EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9-7.58

Digitized by Google



DAN. HARTNACCI
POMERANI
PROLUSIONES
ORATORIÆ
DE
PERIODO
EJUSDEMQUE PRÆCIPUIS
AFFECTIONIBUS
IN USUM
CANDIDATORUM
ELOQVENTIÆ
editæ.

ORENTINAE·BIBLIOTH.

SCHLESVICI
Sumptibus LAURENTII ECKSTORFII
Ducalis Typographi, ANNO CHRISTI MDCCI.

GENEROSIS MAGNIFICIS ET AMPLISSIMIS VIRIS

DOMINO
JACOBO
PREUSSERN
SERENISSIMO SCHLESVICI ET HOLSATIÆ DUCI
A CONSILIIS

STATUS ET CAMERÆ CANCELLARIÆ QUOQUE ET JUSTITIÆ.

NEC NON

DOMINO
MARTINO
A BOECKEL
PARITER SERENISSI-
MO ILLI DUCI A CON-
SILIIS

*CANCELLARIÆ ET JU-
STITIÆ.*

DOMINIS SUIS

SUMMA OBSER-
VANTIA
COLENDIS.

SOPHOCL. HOC SPECIMEN

humiliter demiſſeque

OFFERT ET EXHIBET

AUTOR

DE PERIODO
LIBER PRIMUS
DE
PERIODI CONSTITUTIONE.

CUm omnis Oratio ſit velut quodam corpus & ædificium, eam oportet certis membris, intervallis & veluti contignationibus diſtingui; inque iisdem concinnandis, eum modum ſervare, ut nec nimis ſuperſtitioſa ſit & affectata ſtructura, nec etiam nimis neglecta & diſſoluta. Quævis abſoluta verò oratio ex periodis, periodus ex membris, membra ex inciſis, inciſa ex verbis uno aut pluribus ſolent conflari. Periodum Latini ambitum vocant: Membra Græci Cola, Inciſa commata dicunt; quæ aliter ap. Grammaticos, aliter ap. Rhetores diſtinguuntur.

Grammatici integram conſtructionem, quæ nomine & verbo abſolvitur, *membrum* orationis vocant, *inciſum* partē membri, ob alias voces interjectas diviſam *Periodum*, quæ plura membra inter ſe connectit, ad eandem ſententiam abſolvendam. *Signa* verò illis diſtinguendis ferè adhibent diverſa; ut inciſo tale (,)

 quod

quod *Comma* appellant: membro tale (:) quod colon dicitur, cui tamen ſemicolon hoc ſigno (;) ſubſtituitur. Si verbo eodem, cum vicina periodi parte, ad ſenſum abſolvendum utatur (:) imò ſolo clauditur commate (,) ſi inciſa periodo deſint; Periodus verò puncto (.) abſolvitur, majuſcula conſequente litera; ſi à proxima periodo ejus, ſententia non pendeat; ſin autem, minuſcula. Hic igitur ſignorum diſtinguentium ordo eſt. Comma diſtinguit in Periodo inciſa, vel cum hæc deſunt, ad membra etiam transfertur: Semicolon membra minus perfecta, perfectiora colon (ideoque in oppoſitis membris ejus uſus præcipuus eſt) punctum claudit periodum. Quod ſi inciſa aut membra talia ſint, quæ ſejuncta à periodo ſe ipſis abſolvant ſententiam, punctis utraque clauduntur: ſolentque inter Grammaticos periodi appellari.

Periodus autem *Oratoribus* & quidem vi nominis dicitur oratio, quæ principium finemque habeat & magnitudinem uno obtutu ſpectabilem. Quibusdam definitur Oratio ſubjecto conſtans & prædicato, oratoris verò arte decenter expolita & circumducta. Periodus itaque perfectis ſententiis confecta eſſe debet; non curta nimis, ne auditorum aures prætervolet, antequam percipi queat: neque juſto longior, ne ſententiarum multitudine orationem obſcuram reddat. Deinde etiam in periodo apta fiat membrorum & inciſorum connexio, ſententiam & rationem aliquam abſolvens atque includens; Non enim perfecta eſſe poterit periodus, niſi inter ſe aptè deviciantur inciſa & membra. *ARTI-*

ARTICULUS I.
DE PERIODI PARTIBUS
PUNCTUM. I.
DE INCISO.

PArtes Minores Periodi vocari ſolent: Inciſum & Membrum. *Inciſum* una voce conſtare poteſt, imò eadem monoſyllaba: ulterius vero progrediens rarò numerum octo ſyllabarum excedit. Inciſum unius vocis poteſt eſſe hujusmodi: *Heus! Soſia, Adeſdum.* Item. *Veni, Vidi, Vici.* Pariter: *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* Binis vero vocibus abſolvitur Periodus ſ. d. *Luſiſti ſatis.* Vel ut Cic. in Catil. *Illum redire, non ſinam, non feram, non patiar.* Atque ex his ſimul patet, inciſa duplicis eſſe generis; quædam ſc. perfecta quæ extra periodum (particula connectente, ſi adſit, ſublata) ſenſum aliquem abſolvunt: quædam verò imperfecta, quæ non niſi in periodo (ob nominis aut verbi, aliis periodi membris incluſi defectum) ſententiam exhibent.

Majora verò inciſa reperiuntur in Oratione pro Leg. Manil. *Non illæ ſolæ virtutes Imperatoriæ, quæ vulgo exiſtimantur: Labor in negotiis, fortitudo in periculis. induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo.* Itemque in illa pro Plancio: *Neque tu habebas hæc: neque iis confidis. Alia te ratio, alia cogitatio, ad ſpem hujus opprimendi excitavit. Magnæ ſunt in te opes; latè patet gratia: multi amici: multi*

cupidi tui: multi fautores laudis tuæ: multi huic invident. Majora minoribus permixta in Orat. poſt redit. in Senatu: *Cum hoc homine, an cum ſtipite Æthiope in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe, ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem, modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi, quàm libidinoſus? quàm impurus? quàm intemperans?* Creſcit Oratio per inciſa pluribus modis e. g. per congeriem effectuum e.g. Cic. in Orat. pro Arch. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt. ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium prabent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.* Item per oppoſita e. g. Cic. in Catil. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido. Hinc æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant, cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, temeritate, cum vitiis omnibus. Poſtremo copia cum egeſtate: bona ratio cum perdita: mens ſana cum amentia: bona denique ſpes cum rerum omnium deſperatione confligit.* Sed de his infra pluribus.

In concitata oratione frequens inciſorum uſus eſt:

eſt: in moderata verò & gravi non nunquam per epitheta vocum, quandoque etiam per membra longius evagatur. Exemplum habemus in *narratione* ap. Cicer. Verr. 3. *Maturè veniunt, diſcumbitur, fit inter eos ſermo, & invitatio, & græco more bibitur, hoſpes hortatur, poſcunt majoribus poculis, celebratur omnium ſermone lætitiaque convivium.* in *exhortatione* in Orat. pro Sextio: *Amemus patriam, pareamus Senatui, præſentes fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſerviamus &c.* In *exagitando*.Cic. in Vatin. *De te ipſo homine, & arrogantisſimo mihi inimicisſimo, quæro, Vatini: utrum tandem putes huic civitati, huic reipublicæ, huic urbi, his templis, ærario, curiæ, viris his, quos vides horum bonis fortunis, liberis, civibus, cæteris denique Deorum immortalium delubris, auſpiciis, religionibus, melius fuiſſe, & præſtabilius, me civem in hac civitate naſci: an te?* Et in Piſon. *Dimittendi verò exercitus quàm potes afferre cauſam? quàm poteſtatem habuiſti? quam legem? quod Senatus conſultum? quod jus? quod exemplū? Quid eſt aliud furere, niſi cognoſcere homines non leges, non Senatum, civitatem? cruentare corpus ſuum? major hæc eſt vitæ, famæ, ſalutis ſuæ vulneratio.* Viciſſim Philipp. II. *Neq. alienus ab eo eſſem, niſi ille vobis, niſi manibus, patriæ, niſi huic urbi, niſi Diis penatibus, niſi aris & focis omnium no-*

ſtrum, niſi denique naturæ & humanitati inventus eſſet inimicus. Ex quibus omnibus liquet, vix figurarum ornatu carere hanc dictionem poſſe, præcipuamque ejus vim in partium rerumque circumſtantium enumeratione conſiſtere.

PUNCTUM II.
DE MEMBRO.

MEmbrum ſi magnitudinem ſpectes, aliud breve eſt, decem aut duodecim ſyllabarum: aliud medium, octodecim: aliud denique maximum quod certam menſuram non habet, cum aliquando longam periodum expleat. Communiſſime verò membrum verſus Heroici exæquare magnitudinem ſolet. Viciſſim ſimplex aliud eſt, aliud è diverſo ex his compoſitum. Illius generis quidem hoc: *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Præterea ſi ſenſus ſpectetur, aliud perfectum, ut quod protulimus: aliud imperfectum e. g. *Cum obſequio amicos, veritate odium conciliari intelligas; nonnulla tici in vitiis amicorum diſſimulanda ſunt; nulla verò obſequia, cum tempus poſtulat, prætermittenda.* Denique Membrum vel omni interpoſitione caret e. g. ſ. d. *Nos quotidie tabellarios veſtros expectamus:* vel aliquam interpoſitionem habet e. g. *Nos tabellarios, homines veſtri ſtudioſiſſimos, expectamus.*

Cæterum ut ad primam membrorum differentiam revertamur, ad medii generis membra referri

quoque

quoque ejuſmodi poſſunt, ſ. d. *O turpiſſimum rei honeſtiſſima contemtum! O craſſiſſimam contemtorum imprudentiam!* &c. Vel cum Cic. dicit pro Rabir. *Qui verò duo lauta & copioſa patrimonia accepiſſet, remque præterea bonis & honeſtis rationibus auxiſſet: quid eſſet tandem cauſa, cur exiſtimari vellet, nihil habere?* Et in Piſonem. *Ad horum omnium judicia tot & tanta domeſticum judicium acceſſit, ſententia damdamnationis tuæ: Occultus adventus, furtivum iter per Italiam; introitus in urbem, deſertus ab amicis; nulla ad ſenatum è provincia litera! nulla ex trinis æſtivis gratulatio: nulla triumphi mentio* &c. Nec non pro Milone: *Quando illius poſtea ſica illa, quàm à Catilina acceperat, conquievit? Hæc intentata nobis eſt: huic ego vos objici pro me non ſum paſſus. Hæc inſidiata Pompejo eſt. Hæc iſtam Appiam viam, monumentum ſui nominis, nece Papirii cruentavit: Hæc eadem longo intervallo converſa rurſus eſt in me. Nuper quidem, ut ſcitis, me ad Regiam pene confecit*, Prolixius Colon habetur in Orat. ad Quirites poſt redit. *Illi* (parentes) *mihi fratrem incognitum, qualis futurus eſſet, dederunt: vos ſpectatum, & incredibili pietate cognitum reddidiſtis.*

Creſcit verò Colon, vel quando decenti mixtura membris inciſa junguntur v. g. in Orat. in Piſon. *Ego te non vecordem, non furioſum, non men-*

te captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem? qui ſis auſus primum facere (nam id eſt caput) deinde paulò ante Torquato, graviſſimo, & ſanctiſſimo viro premente, confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum tranſportaſſes, ſine ullo milite, reliquiſſe? Mitto de amiſſa parte exercitus: ſit hoc infelicitatis tuæ: dimittendi verò exercitus, quàm potes afferre cauſam? quam poteſtatem habuiſti? quam legem? quod ſenatus conſultum? quod jus? quod exemplum? quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere leges, non Senatum, non civitatem? cruentare corpus ſuum leve eſt: major hæc eſt fama, vita, ſalutis ſuæ vulneratio. Vel per congeriem effectuum e. g. in Orat. de leg. Agrar. cont. Rullum. *Sollicitatam mihi civitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu, perturbatam veſtris legibus, & concionibus, & ſeditionibus tradidiſtis, tum ſpem improbis oſtendiſtis, timorem probis injeciſtis, fidem de foro, dignitatem de republica ſuſtuliſtis.* Vel quando contraria contrariis opponuntur, ut Verr. 3. *Vide quid interſit inter tuam libidinem, majorumque autoritatem; inter amorem furoremque tuum, & illorum conſilium atque prudentiam. Illi aditum littoris Syracuſanis ademerunt: tu maritimum Imperium conceſſiſti, &c.*

Viciſ-

Viciſſim aliquando periodus ex ſolis inciſis conflata in unius tantum membri partes diſſolvitur: aliquando verò involuta in unius pronunciationis ductu, plura membra, complectitur ex. gr. Cic. pro Roſc. *Quoniam cujus conſilio occiſus ſit, video: cujus manu ſit percuſſus, non laboro.* Duo hic membra ſunt, quæ in quatuor poterunt reſolvi h. m. *Quoniam non obſcurè video, cujus hic homo conſilio occiſus ſit, non magnopere laboro, cujusnam ſit manu percuſſus.* Eadem ratione illud, quod in principio adduximus, licet reſolvere; *Cum verò tempus ita poſtulat, nulla facilè obſequia ſunt prætermittenda.* Quod ſi verò dixeris: *Quoniam cujus fraudibus homo innocentiſſimus circumventus, ſceleratoque conſilio à nefariis ſicariis occiſus ſit &c. Facilè animadverto &c.* Membrum viciſſim efficies, aliis inſertis membris productum; inque & utique reſolvi poterit.

Uſum quod ſpectat membrorum, valent illa imprimis in Epiſtolis ad familiares, in docendo item & diſputationibus; In narrationibus quoque, & deſcriptionibus perſonarum vel locorum e. g. *Milo domum venit, calceos & veſtimenta mutavit, paulisper dum ſe uxor, ut fit comparat, commoratus eſt.* Utimur verò etiam membris in contentionibus, non enim illa ad elegantiam ſolum & venuſtatem: ſed ad vehementiam quoque faciunt, & ſua quadam acrimonia, gravius & celerius, imo quaſi cum impetu obruere & vincere adverſarium videntur e. g. Cice-

in Orat. pro Flacco: *O conditiones miſeras admi-niſtrandarum provinciarum, in quibus diligentia eſt plena ſimultatum, negligentia vituperationum, ubi ſeveritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata, ermo inſidioſus, aſſentatio perniciosa, fraus omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundia occulta, blanditia aperta, &c.* Et pro Cælio: *Detur aliquid ætati, ſit adoloſcentia liberior; non omnia voluptatibus denegentur, non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem: dum modo illa in hoc genere præſcriptio, moderatioque teneatur: parcat juventus pudicitiam ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne interſit inſidiis, ſcelere careat.* Item pro lege Manilia. *Qui plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt: plures provincias confecit, quam alii concupiverunt. Cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris, non alienis præceptis: ſed ſuis imprimis, non offenſionibus belli: ſed victoriis; non ſtipendiis ſed triumphis eſt traducta.* Denique & Plinius in Trajano: *Eminuit aliquis in bello: ſed obſolevit in pace; alium toga: ſed non arma honeſtarunt; ille quæſitam domi gloriam in publico: hic in publico partam domi perdidit; poſtemo adhuc nullus extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio laudarentur.* Seqq.

EX-

EXEMPLA QUÆDAM DICTIONIS CONCISÆ.

Plinius Lib. I. Ep. 20. ad Corn. Tacit.

FRequens mihi eſt diſputatio cum quodam docto homine & perito, cui nihil æquè in cauſis agendis ut brèvitas placet. Quam ego cuſtodiendam eſſe confiteor, ſi cauſa permittat: alioqui prævaricatio eſt, tranſire dicenda; prævaricatio etiam, breviter & curſim attingere, quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore tractatu vis quædam & pondus accedit. Utque corpori ferrum: ſic oratio animo non ictu magis, quàm mora imprimitur. Hic ille mecum autoritatibus agit, ac mihi ex Græcis Orationes Lyſiæ oſtentat; ex noſtris Grachorum Catonisque, quorum ſanè plurimæ ſunt circumciſæ & breves: Ego Lyſiæ Demoſthenem, Æſchinem, Hyperidem, multosque præterea: Grachis & & Catoni Pollionem, Cæſarem, Cælium, imprimis M. Tullium oppono, cujus oratio optima fertur, quàm maxima. Non enim amputata oratio, & abſciſſa: ſed lata, magnifica, & excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat & miſcet. Optimus tamen modus eſt. Quis negat? ſed non magis ſervat modum, qui infra rem: quàm qui ſupra; qui adſtrictius: quàm qui effuſius dicit. Itaque (quod audis frequenter) ut illud immodicè & redundanter: ita hoc jejunè & infirmè. Alius exceſſiſſe materiam, alius dicitur non impleſſe; Sed ille imbecillitate: hic viribus peccat, quod certè etſi non limatioris: majoris tamen ingenii vitium eſt &c.

Cati-

Catilina in Orat. ad Milites ap. Salluſt.

Scitis equidem, milites, ſocordia atque ignavia Lentuli, quantam ipſi nobisque cladem attulerit; quoque modo, dum ex urbe præſidia operior, in Galliam proficiſci nequiverim. Nunc verò quo in loco res noſtræ ſint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hoſtium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obſtant. Diutius in his locis eſſe, ſi maximè animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egeſtas prohibet. Quocunque ire placet, ferro iter aperiendum eſt. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo ſitis, & cum prælium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris veſtris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt: commeatus abunde, municipia atque coloniæ patebunt. Sin metu ceſſerimus, eadem illis adverſa fient: neque locus neque animus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea milites, non eadem nobis & illis neceſſitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis ſupervacuum eſt, pro potentia paucorum pugnare. Quò audacius aggredimini, memores priſtinæ virtutis. Licuit vobis cum ſumma turpitudine in exilio, ætatem agere. Potuiſtis nonnulli Romæ, amiſſis bonis alienas opes expectare. Quia illa fœda atqe intoleranda viris videbantur, hæc ſequi decreviſtis &c.

Cicero Orat. I. in Catil.

Egredere ex urbe, Catilina, libera Remp. metu, in exilium, ſi hanc vocem expectas, proficiſcere Quid eſt

eſt Catilina ? ecquid attendis ? ecquid animadvertis horum ſilentium ? patiuntur, tacent. Quid expectas autoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis. At ſi hoc idem huic adoleſcenti optimo P. Sextio, ſi fortiſſimo viro M. Marcello dixiſſem. jam mihi hoc ipſo in templo, jure optimo, Senatus vim, & manus intuliſſet. De te autem Catilina, cum quieſcunt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant. Neque hi ſolum, quorum tibi autoritas eſt. videlicet chara, vita viliſſima: ſed etiam illi equites Romani, honeſtiſſimi atque optimi viri, cæterique fortiſſimi cives, qui circumſtant Senatum; quorum tu & frequentiam videre, & ſtudia perſpicere, & voces paulò ante exaudire potuiſti: quorum ego vix à te jam diu manus & tela contineo: eosdem ego facilè adducam, ut te hæc, quæ jam pridem vaſtare ſtudes, relinquentem, usque ad portas proſequantur. Quanquam, quid loquor ? ut te ulla res frangat ? ut tu unquam te corrigas ? tu ut ullam fugam mediteere ? ut ullum tu exilium cogites? utinam tibi iſtam mentem Dii immortales donarent! ut vitiis tuis commoveare, ut legum pænas pertimeſcas, ut temporibus Reip. concedas, non eſt poſtulandum. Neque enim Catilina is es, ut te, aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaret. Quamobrem, ut ſæpe jam dixi, proficiſcere &c. Egredere cum importuna ſceleratorum manu: confer te ad Manlium: Concita perditos cives: ſecerne te à bonis: infer patriæ bellum; exulta impio latrocinio, ut à me non

ejectus ad alienos : ſed invitatus ad tuos eſſe videaris &c.

Et pro Sextio.

Video P. Sextium meæ ſalutis, veſtræ autoritatis publicæ defenſorem, propugnatorem, autorem, reum. Video hunc prætextatum ejus filium, oculis lachrymantibus me intuentem: video Milonem, vindicem veſtræ libertatis, cuſtodem ſalutis meæ, ſubſidium afflictæ Reip. extinctorem domeſtici latrocinii, repreſſorem cædis quotidianæ, defenſorem templorum atque tectorum, præſidium curiæ, ſordidatum & reum: Video P. Lentulum, cujus ego parem, Deum & parentem ſtatuo fortunæ ac nominis mei, & fratris rerumque noſtrarum, in hoc miſero ſqualore & ſordibus. Atque hic tot & talium civium ſqualor, hic luctus, hæ ſordes ſuſceptæ ſunt propter unum me; quia me defenderunt, quia meum caſum luctumque doluerunt, quia me lugenti patriæ, flagitanti Senatui: poſcenti Italiæ, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum eſt in me ſcelus? Quid tantopere deliqui illo, illo die, cum ad vos judicia, literas, confeſſiones communis exitii detuli? cum parui vobis? Ac ſi ſceleſtum eſt, amare patriam, pertuli pænarum ſatis. Everſa domus eſt, fortunæ vexatæ, diſſipati liberi, raptata conjux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorum: ego pulſus aris focis, Diis penatibus, diſtractus à meis, carui patria, quam (ut leviſſimè dicam) certè texeram, pertuli crudelitatem inimi-

mi-

micorum, ſcelus infidelium, fraudem invidorum &c.

Addam ejusdem dictionis conciſæ alia adhuc exempla è P. *Franciſci Pomeÿ* Societ. JEſu Candidato Rhetor. Progymn. II. Part. 2. pag. m. 173. edit. Lugdun. A. *1668*.

Mellæ Apum prædæ.

Viden, ut direptrices ille apes, ac furunculæ, efflorescentis naturæ theſauros per nectareas plantarum divitias, per roſeas agrorum gazas, inexplebili rapacitate, velut agmine facto, turmatim. volatimque ruunt, roſtellatim carpunt, hortulatim ſugunt, areolatrim hauriunt, alveolatim ſternunt, ſuſpirulatim bibunt, mellificatim rapiunt, & legionatim prædas important. En ut iterum, ex alveariis rauco bombo perſonantibus, præeunte duce, ſtrictis aculeis, aliſque explicatis, eruptionem faciunt: areolasque illas, aromatibus ſaluberrimis pretioſas, ſua veolentibus fragrantes herbulis, venuſtiſſimisque de pictas flosculis, circumvolitantes, in obvios quosque ſine lege flores feroces irruunt, violaria violant, roſæ aurum diripiunt, lilii argentum exportant, thymum ſugunt, caſiam ebibunt, ſerpillum expilant, crocum exſorbent, tilias & hyacinthos exhauriunt.

Formicarum mira Indoles.

Formicæ, non diſperſæ per agros, errant ſolivagæ aliarum more ferarum: ſed in quandam Reipublicæ ſocietatem coëuntes conventus agunt; cætus celebrant, ſe mutuo honore colunt, ſe audiunt, ſe conſulunt, ſibi ob temperant, ſe hortantur: juniores

ores juvant conſiliis, infirmiores robore ſublevant, pigriores ſtimulis admonent, laborantes hortatibus urgent, ægras curant, mortuas efferunt, ætate provectas ſingulari reverentia proſequuntur. Eas jure diceres cum hominibus participare rationis uſum, adeo pro innata ſibi ſagacitate rerum principia & cauſas vident, earum progreſſus & quaſi antecedentia, percipiunt, componunt ſimilitudines, ventos præſentiunt, imbres præſagiunt, futura proſpiciunt, & ſubtili conſequentium comprehenſione cum primis, præſentibus ventura illigant, & præteritis futura connectunt.

ARTICULUS II.

DE
VARIIS PERIODI FORMIS.

PArtes Periodi Majores appellantur antecedens & conſequens, ſive ſubjectum & prædicatum e. g. *antec:* Qui ſemel verecundiæ fines tranſierit: *conſeq.* eum gnaviter oportet eſſe impudentem; Aliquando tamen ut venuſtior ſit periodus prædicatum ſubjecto præmittitur e. g. Graviter impudentem oportet eſſe eum, qui ſemel verecundiæ fines tranſierit. Cic. 5. Epiſt. 12. Sed quemadmodum Propoſitio vel ſimplex eſt, vel compoſita; & hæc viciſſim pro particularum diſcrimine diverſorum generum: ita periodus etiam vel *ſimplex* dici poterit e. g. Maximilianus Cæſar, qui hanc mortalitatem deſeruit, omnium deſideriis repetitur. Vel *Compoſita* eaque vel *disjuncta*, e. g. Aut laborandum tibi eſt; aut ferenda

renda æquo animo paupertas; vel *copulativa* e. g. Et hunc amicum amore proſequor; & ab hoc non potero divelli. Vel *conditionalis* e. g. Si poteſt hæc pecunia ſine aratorum injuria detrahi, pop. Rom. habeat. Nonnunquam & *determinatio* additur e. g. præſertim in tantis ærarii anguſtiis. *Vel cauſalis* e. g. Quoniam vix eſt felicitas, quæ labore non parta ſit, & conſtet: in ſtudiis utique liberalibus eidem haud quaquam parcendum eſt. Vel *concesſiva* e. g. Quanquam non eſt mihi magna facultas: tamen ad quodvis officium promta & parata voluntas eſt, vel *adverſativa* e. g. Obſequium amicos: veritas odium parit. Item. Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus: mihi ipſi nunquam ſatisfacio. Vel *relativa* quæ conſtat particulis. Hic, is, qui, tantum, quantum, toties, quoties, e. g. Qui in vita nihil habet jucundius vita: is cum virtute vitam non poteſt colere. Item. Quæ duæ res in civitate plurimum poſſunt: eæ contra nos valent hoc tempore. item. Quicquid homines vel conatū animo, vel quo contendere labore poſſunt: id omne ad Dei gloriam & proximi ſalutem conferre debent. Vel *comparativa* quæ particulis nectitur: Ut, quemadmodum; ita; ſic, adeo, ut; Tantum quantum &c. e. g. Ut melle nihil eſt dulcius: Ita oratione bona nihil inveniri poteſt amabilius. Item. Adeo in hac doctrina excellit, ut cum quovis contendere in ea arte facilè poſſit. Viciſſim: Quantum quisque nummorum habet in arca: tantum habet & fidei. Denique: Quemadmodum procreſcentis arboris ſurculus majora

ſemper ſibi promittit incrementa; ſic etiam noſtra felicitas ulteriorem ſperet ſuceeſſum.

In hiſce periodorum generibus vel antecedens fere ſyllabarum numero æquale eſt conſequenti e. g. ap. Cicer. in Orat. poſt Red. ad Quirit. *Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus eſſet, dederunt: vos ſpectatum & incredibili pietate cognitum reddidiſtis.* Vel antecedens multitudine ſyllabarum conſequens ſuperat. e. g. in Orat. Cic. pro Milone. *Non enim eſt ulla defenſio contra vim unquam optanda: ſed nonnunquam eſt neceſſaria.* Et Divin. in Verr. *Quo ego argumento ſperabam banc à me moleſtiam poſſe dimoveri: id mihi erat adverſarium maximè.* Vel viciſſim conſequens ſyllabarum multitudine excedit antecedens. e. g. Cic. pro Arch. *Neque enim quiſquam eſt tam averſus à Muſis: qui non mandari verſibus æternum, ſuorum laborum facilè præconium patiatur.* Interdum aliquid conſequens annectitur, ut Periodus fere tribus conſtare membris videatur e. g. Cic. in 5. Verr. Si poteſt hæc pecunia &c. Vid. Supr. It. Lib. 6. Epiſt. fam. *Si mihi tecum non & multæ & juſtæ cauſæ amicitiæ eſſent; repeterem initia amicitiæ ex parentibus; quod faciendum iis exiſtime, qui paternam amicitiam nullis ipſi officiis proſecuti ſunt.*

TrimembrisPeriodus reperitur in illoCic. de ſeneƈt. *Mihi quidem ita jucunda bujus libri confectio fuit:*

ut non modò omnes abſterſerit ſenectutis moleſtias: ſed effecerit mollem & jucundam ſenectutem. quæ æquali fere membrorum menſura gaudet, pariter ut iſta in Orat. pro Roſc. *Vereor, ne aut moleſtus ſim vobis, judices: aut ne ingeniis veſtris videar diffidere: ſi de tam perſpicuis rebus diutius diſſeram.* Inæqualis hujus generis periodus vel primum membrum habet brevius e. g. Cic. 1. Off. *Nullum bellum eſt juſtum: niſi quod aut rebus repetitis geratur: aut denunciatum ante ſit & indictum.* Vel medium e. g. Cic. 1. Tuſcul. *Utrum vivere an mori ſit melius: Dii immortales ſciunt: hominem quidem puto ſcire neminem.* Vel poſtremum e. g. Cic. pro Rabir. *Satis eſt homines imprudentia lapſos non erigere: Urgere verò jacentes aut præcipitantes impellere: certè eſt inhumanum.*

Quadrimembris periodus duplicare quaſi antecedentium aut conſequentium numerum videtur; vel enim antecedens eſt unum; conſequentia verò tria e. g. *Nam cum iſtos, ut abſolvant te rogas: ut pejerent, rogas: ut exiſtimationem negligant, rogas: ut leges populi Rom. tuæ libidini largiantur, rogas.* Vel tria ſunt antecedentia: conſequens verò unum e. g. *Quem Senatus damnarit: quem populus damnarit: quem omnium exiſtimatio damnarit: eum vos ſententiis veſtris*

abſolvetis. It. pro Arch. *Si quid eſt in me ingenii, Judices, quod ſentio, quam ſit exiguum: aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum: aut ſi bujusce rei ratio aliqua ab optimarum artium ſtudiis & diſciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earum rerum omnium vel imprimis hic A. Licinius fructum à me repetere propè ſuo jure poteſt.* Vel duo ſunt antecedentia, & totidem conſequentia e. g. pro Quinct. *Eloquentia Hortenſii ne me in dicendo impediat; nonnihil commoveor: gratia Sext. Nævii nec P. Quinctio noceat; id verò non mediocriter pertimeſco.* Item pro A. Cæcina. *Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt: tantum in foro, atque in judiciis, impudentia valeret: non minus nunc in cauſa cederet A. Cæcina Sext. Æbutij impudentiæ: quàm tum in vi facienda, ceſſit audaciæ.*

Denique hoc quoque obſervationem meretur, membra Periodorum aliquando ita permiſceri ut pauciora ſint quidem actu: plura verò poteſtate & virtute e. g. Verr. 4. *Multa mihi neceſſariò prætermittenda ſunt, ut poſſim aliquando de iis rebus, quæ meæ fidei commiſſæ ſunt, dicere.* Nam hæc Periodus duobus tantum membris conſtat: virtute autem tria habet e. g. (1) Multa mihi ne-

neceſſariò prætermittenda ſunt (2) ut poſſim aliquando de iis rebus dicere (3) quæ meæ fidei commiſſæ ſunt. Viciſſim bimembris eſt illa periodus in Orat. pro Roſcio: *Quoniam cujus conſilio occiſus ſit video: cujus manu ſit percuſſus non laboro.* Sed poteſtate quatuor membra continet e. g. (1) quoniam non obſcure video, (2) cujus his homo conſilio occiſus ſit; (3) non magnopere laboro, (4) cujusnam manu ſit percuſſus. Pariter hæc periodus: Et ſi tuæ occupationes mihi ignotæ non ſunt: tamen quia tempori inſervire ſapientes etiam oportet; non moleſte, ut ſpero, hanc meam interpellationem feres &c. h. m. poterit reſolvi. Te occupatiſſimum eſſe, nequaquam ignoro: & tamen qua es humanitate, interpellationem meam non iniquo animo accipies. Oportet enim ſapientes non tam ſuis, quàm aliorum temporibus ſuum tempus transmittere. Atque ita ex una periodo, duæ jam emerſerunt. Porro & hæc periodus: quod tibi non celeriter reſpondi, ut quidem debui, & tu cupiviſti: ignoſce quæſo ceſſationi meæ; præſertim quæ nulla propria culpa, ſed temporis injuria accidit. h. m. in antecedens & conſequens reſolvi poterit e. g. *Antec.* Non tam celeriter tibi reſpondi, ut debui, & tu fieri à me deſideraſti; *Conſeq.* Ignoſce verò ceſſationi &c. Viciſſim ordine verſo, *antecedens* membrum eſt: nulla profecto culpa mea, ſed temporis injuria factum eſt, quod tam diu ad te literas non dedi. *Conſeq.* Itaque ut mihi ingoſcas, etiam atque etiam oro. Pariter & hæc periodus: Quæ res in civitate duæ plurimum

 poſſunt,

poſſunt, ſumma gratia & eloquentia, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore h. m. poterit transponi; Summa gratia & eloquentia quæ in civitate plurimum poſſunt, contra nos ambæ faciunt hoc tempore. Poterunt quoque Periodo quædam detrahi e. g. ſ. d. Quæ plurimum poſſunt gratia & eloquentia, ambæ contra nos hoc tempore faciunt, aut viciſſim addi e. g Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt, & injuria affectis valde ſunt timendæ, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia. Seqq.

EXEMPLA ORATIONIS PERIODICE CIRCUMDUCTÆ.

Cicero *Lib. I. Epiſt. I. ad Lentul.*

EGo omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus: (1) mihi ipſe nunquam ſatisfacio.

Tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me meritorum: (2) ut quoniam tu, niſi perfecta re, de me non conquieſti:(3) ego quia non idem in tua cauſa efficio, vitam mihi acerbam putem &c.

Pompejum & hortari, & jam liberius accuſare, & monere, (2) ut magnam infamiam fugiat, non deſiſtimus.

Sed plane nec precibus noſtris, nec admonitionibus reliquit locum.

Nam cum in ſermone quotidiano, tum in Senatu palam ſic egit cauſam tuam, (2) ut neque eloquentia majore quisquam, neque gravitate, neque ſtudio,

dio, neque contentione agere potuerit; (*) cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum, & amoris erga te ſui.

Ex eod. Lib. Epiſt. 8. *ad Eund.*

De omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompejus ſuſceperit, optimè ex Emplatorio cognoſces; (2) qui non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam præfuit: (3) neque ullum officii erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit.

Ex eodem de ſtatu rerum omnium cognoſces: (2) quæ quales ſint, non facile eſt ſcribere.

Sunt quidem certè in amicorum noſtrorum poteſtate, (2) atque ita, ut nullam mutationem unquam hac hominum ætate habitura res eſſe videatur.

Ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi præcipeſti, & ut me dignitas utilitasque cogit, me ad ejus rationes adjungo, (2)quem tu in meis rationibus tibi eſſe adjungendum putaſti,

Sed te non præterit, quam ſit difficile, ſenſum in Republ. præſertim rectum & confirmatum deponere.

Veruntamen ipſe me conformo ad ejus voluntatem, à quo honeſtè diſſentire non poſſum.

Neque id facio, ut forſitan quibusdam videor, ſimulatione.

Tantum enim animi inductio, & me hercule amor apud me valet, (2) ut quæ utilia ſunt, & quæ ille vult, ea mihi omnia jam & recta & vera videantur.

Neque, ut ego arbitror, errarent, ne adverſarii quidem ejus (2) ſi cum pares eſſe non poſſunt, pugnare deſiſterent.

Me quidem etiam illa res conſolatur, quod ego is ſum, cui vel maxime concedant omnes, (2) ut vel ea defendam, quæ Pompejus velit; (3) vel taceam: vel etiam, quod maximè lubet, ad noſtra me ſtudia referam literarum.

Quod ego profectò faciam, (2) Si mihi per ejusdem amicitiam licebit.

Quæ enim propoſita fuerant nobis, & cum honoribus ampliſſimis, & laboribus maximis perfuncti eſſemus, dignitas in ſententiis dicendis, libertas in rep. capeſſenda, ea ſublata tota; (2) ſed nec mihi magis, quàm omnibus.

Nam aut aſſentiendum eſt, nulla cum gravitate paucis: aut fruſtra diſſentiendum.

Hæc ego ad te ob eam cauſam maxime ſcribo (2); ut jam de tua quoque ratione meditere.

Commutata tota ratio eſt Senatus, judiciorum, rei totius publicæ: (2) otium nobis acceptandum eſt (3) quod ii, qui potiuntur rerum, præſtaturi videntur; (4] ſi quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerunt.

Dignitatem illam quidem Conſularem fortis & conſtantis Senatoris, nihil eſt quod cogitemus: (2) amiſſa eſt culpa eorum, qui a Senatu & ordinem conjunctiſſimum & hominem clariſſimum abalienarunt.

Sed ut ad ea quæ conjunctiora rebus tuis ſunt revertar &c.

Tu

Tu velim ita tibi perſuadeas (2) nullam rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, (3) quæ mihi non carior ſit, quam meæ res omnes.

Idque cum ſentiam (2) ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum.

Re quidem ipſa ideo mihi non ſatisfacit: (2) quod nullam partem tuorum meritorum, non modo referenda ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum.

Rem te valde bene geſſiſſe rumor erat.

Expectabantur literæ tuæ (2) de quibus eramus cum Pompejo locuti.

Quæ ſi erunt allatæ (2) noſtrum ſtudium extabit in conveniendis Magiſtratibus & Senatoribus.

Cætera, quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus quam poſſumus, minus tamen faciemus, quàm debemus.

Salluſt. *in Bello Catilin. cap. LIII.*

Poſtquam Cato aſſedit (2) Conſulares omnes, itemque Senatus magna pars ſententiam ejus laudant, virtutem animi ad cælum ferunt (3) alii alios increpantes, timidos vocant (4) Cato Magnus atque clarus habetur, (5) Senatus decretum fit, ſicut ille cenſuerat.

Sed mihi multa legenti, multa audienti, quæ populus Romanus, domi militiæque, mari atque terra præclara facinora fecit, forte libuit attendere, quæ res maximè tanta negotia ſuſtinuiſſet.

Sciebam, ſæpe numero parva manu cum magnis legionibus hoſtium contendiſſe, (2) cognoveram

parvis copiis bella geſta cum opulentis Regibus; (3) ad hoc ſæpe fortunæ violentiam toleraviſſe, (4) facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuiſſe: (5) ac mihi multa agitanti conſtabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta paraviſſe (6); eoque factum, ut divitias paupertas, multitudinem paucitas ſuperaret.

Sed poſtquam luxu atque deſidia civitas corrupta eſt, (2) rurſus Reſpublica magnitudine ſua Imperatorum atque Magiſtratuum vitia ſuſtentabat, (3) ac veluti effæta parentium, multis tempeſtatibus, haud ſanè quiſquam Romæ virtute magnus fuit.

Sed memoria mea, ingenti virtute, diverſis moribus fuere viri duo, Marcus Cato, & Cajus Cæſar, (2) quos quoniam res obtulerat, ſilentio præterire non fuit conſilium; (3) quin utriusque naturam & mores, & quantum ingenio poſſem, aperirem.

Cap. LIV.

Igitur his genus, ætas, eloquentia, propè æqualia fuere: (2) magnitudo animi par, item gloria, (3) ſed alia alii.

Cæſar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, (2) integritate vitæ Cato: (3) ille manſuetudine & miſericordia clarus factus, (4) huic ſeveritas dignitatem addiderat.

Cæſar, dando, ſublevando ignoſcendo, (2) Cato nihil largiendo gloriam adeptus eſt; (3) in altero miſeris perfugium erat; (3) in altero malis pernicies (4) illius facilitas: hujus conſtantia laudabatur.

Poſtremo Cæſar in animum induxerat laborare, vigi-

vigilare (2) negotiis amicorum intentus, ſua negligere, nihil denegare quod dono dignum eſſet (3) ſibi magnum Imperium, exercitum, novum bellum exoptabat (4) ubi virtus eniteſcere poſſet.

At Catoni ſtudium modeſtiæ, dedecoris, ſed maximè ſeveritatis erat, (2) non divitiis cum divite, neque factione cum factioſo, ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat: (3) eſſe quàm videri bonus malebat: (4) ita quo minus gloriam petebat, eo magis illam aſſequebatur.

E. Franc. Pomey Candid. Rhetor. Progymn. I. Cap. III. p. m. 169.

Periodi Bimembres.

Peccata gravitas maxima.

Tanta ineſt peccato vel leviſſimo gravitas, tanta fœditas, tanta peſtis [2] ut omnium mortalium ſalus & orbis univerſi conſervatio, unico ſit, ut ita dicam, mendaciolo poſthabenda.

Tanquam à facie colubri fuge peccatum.

Tanquam ſi immanis horribilisque coluber, hianti ore oculisque igneis, peſtem anhelans præſentiſſimam, toto in te impetu immineret irruens: [2] Sic omni contentione mentis ac virium, longè horribilius, immaniusque quovis colubro & Dracone monſtrum exhorreſce peccatum.

Periodi Trimembres.

Initium Sapientiæ, Timor Domini.

Qui veræ laudis incenſus deſiderio illuſtriſſimum

Sapi-

Sapientiæ decus ambit, [1] nihil in omni vita antiquius habere debet ac potius [3] quàm ut æternæ mentis numen, non tam ſupplicii metu, quàm religione officii, nullo plane delicto violanda, caſteque ſanctéque revereatur ac timeat.

Vita turpis abominanda.

Tametſi quantum turpiſſimis in rebus homines ſcelerati voluptatis hauriunt in hac vita: [2] tantum multoque etiam plus doloris & cruciatuum non eſſent toleraturi in altera:(3)eorum tamen nefarios mores, exitumque infelicem per horreſcere debemus.

Periodi Quadrimembres

Vinum & mulieres apoſtatare faciunt Sapientes.

Quis hominum fuit unquam, aut eſſe potuit hoc robore animi, atque hac indole virtutis & continentiæ: [2] quem intemperantia gulæ, quem compotationes immodicæ, quem vinum immoderatè hauſtum, de ſtatu naturæ non ignominioſè dejecerit? [3] aut quis ea præditus altitudine mentis, ea judicii maturitate, ac ſapientiæ laude percelluit; [4] quem fæminarum impudicus amor, & ad obſcænas voluptates libidinoſa propenſio, abductum ab honeſtatis officio, rationis uſum non ſpoliarit?

Quid laudabilius quam non poſſe reprehendi?

[1] Quid eſt oro rectiſſimæ legum normæ, communique ſapientiſſimorum hominum vivendi rationi magis conſentiens?[2] quàm ſic inſtituere vitam & mores temperare, ut nihil reprehenſione dignum appa-

appareat? [3] Aut quid magis honeſtum atque laudabile, ſanctiſſimisque naturæ inſtitutis convenientius, [4] quàm eum vitæ curſum tenere, eamque ſequi agendi regulam, ut nihil in factis noſtris ſeu dictis, non dignum & imitatione & admiratione cernatur.

Periodi quadratæ formæ

Ingratus.

[1] Si tantum apud te valeret accepti beneficii grata recordatio; [2] quantum apud me valuit, tibi gratificandi ſtudioſa propenſio: [3] eandem mihi nunc benevolentiam teſtaretis, adverſante fortuna, meis commodis [4] quàm olim, rebus mihi ad voluntatem fluentibus, teſtabaris.

Bona fortunæ, mala.

[1] Si quantis abundent malis fallacia fortunæ bona, [2] attenta mentis conſideratione perpenderes, [3] quo majori hactenus cura ſollicitudineque illa venatus es, [4] eo majori deinceps contemtu reſpueres, aſpernareris, exhorreſceres.

ARTICULUS III.

DE HIS QUÆ PERIODI AMBITUM EXCEDUNT.

SIcut verò bimembres Periodi in narrationibus & epiſtolis; ita trimembres & quadrimembres pluribus inciſis exuberantes, in exornativo dicendi genere frequentiores ſunt; Equibus præcipuè quadratæ figuræ *corpus*: & quæ illam menſuram excedunt,

dunt, ſpiritus vocari ſolent. Et corporis quidem ferè ejusdem viciſſim generis eſt varietas. Vel enim membrorum numerus eſt ſimilis, ut ap. Cic. in Orat. ad Brut. *Nam & negare ei, quem unicè diligere, cuique me chariſſimum eſſe ſentirem, præſertim & juſta petenti, & præclara cupienti, durum admodum mihi videbatur: & ſuſcipere tantam rem, quantam non modo facultate conſequi difficile eſſet: ſed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar eſſe ejus, qui vereretur reprehenſionem doctorum atque prudentum.* Vel diſſimilis ille membrorum numerus, e. g. in Orat. pro Quinct. *Cum tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus, in tuam C. Aquili fidem, veritatem miſericordiam P. Quinctius confugerit, cum adhuc ei propter vim adverſariorũ, non jus par, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus æquus reperiri potuerit: Cum ei, ſummam per injuriam, omnia inimica atque infeſta fuerint; te C. Aquili vosque, qui in conſilio adeſtis, orat, atque obſecrat, ut multis injuriis jactatam atque agitatam æquitatem, in hoc tandem loco conſiſtere & confirmari patiamini.*

Spiritum vocant Oratores, quando ultra quatuor membra nexus orationis producitur, Etſi enim

ille

ille una quidem vocis contentione abſolvi debet: tamen propter membrorum tarditatem licet ſubinde in pronunciando interſpirare e.g. Cic. in Exor. Orat. pro Milone: *Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem, timere; minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipſe, magis de Reip. ſalute, quàm de ſua perturbetur: me ad ejus cauſam, parem animi magnitudinem afferre non poſſe; tamen hæc novi judicii nova forma, terret oculos; qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum minime vident.* Effunditur autem non rarò pro vigore Oratoris, ut vix numerum illum ſervet: ſed fortuitò quaſi libereque feratur e. g. Cic. pro domo ſua: *Suſcipere tantos animi dolores, atque ea, quæ capta urbe accidunt victis, ſtante urbe, unum perpeti; etiam ſe videre diſtrahi à complexu ſuorum, diſturbari tecta, diripi fortunas, patriæ denique cauſa, patriam ipſam amittere: ſpoliari populi Rom. beneficiis ampliſſimis: præcipitari ex ampliſſimo dignitatis gradu, videre prætextatos inimicos, nondum morte comploratа, arbitria petentes funeris: hæc omnia ſubire, conſervandorum civium cauſa, atque ita, ut dolenter abſis, non tam ſapiens, quam illi, qui nihil curant: ſed tam amans tuorum, quàm communis humanitas poſtulat: ea laus præclara eſt,*

eſt, atque divina. Hujus ergo menſura eſt oratoris vigor,& laterum pulmonumq; firmitas, pro quorum ſc. conſtitutione vel facilis vel difficilis eſt reſpiratio, Duo autem ejus nonnulli conſtituunt genera; *Incitatum* ſpiritum dicunt, quando ut ſententia abſolvatur, ad poſtremum omnium verbum, à quo reliqua pendent, recurrendum eſt e. g. Cic. in Orat. ad Quirites poſt redit. *Ego cum homines, in tribunali Aurelio, palam conſcribi, centuriarique vidiſſem: cum intelligerem veteres, ad ſpem cædis Catilinæ, copias eſſe revocatas: cum viderem ex ea parte homines, cujus partis nos vel Principes numerabamur, partim quod mihi inviderent, partim quod ſibi timerent, aut proditores eſſe, aut deſertores ſalutis meæ: cum duo Conſules emti, pactione Provinciarum, autores ſe inimicis Reipubl. tradidiſſent, cum egeſtatem, avaritiam. libidines ſuas viderent expleri non poſſe, niſi me conſtrictum domeſticis hoſtibus dediſſent: cum Senatus equitesque Romani flere pro me, ac mutata veſte, vobis ſupplicare, edictis atque Imperiis vetarentur: Cum omnium Provinciarum pactiones, cum omnia cum omnibus fœdera, reconciliationes gratiarum, ſanguine meo ſancirentur: cum omnes boni non recuſarent; quin vel pro me vel mecum perirent: armis decertare pro mea ſalute nolui; quod & vincere & vinci luctuoſum fore*

ſore Reipubl. putavi. Tardus verò iterum ſpiritus duplicem modum habet. Vel enim *ab initio* ſtatim ponitur verbum, à quo ſenſus reliquorum eſt petendus e. g. in illo Ciceronis pro M. Cælio. *Illa verò judices in illo homine mirabilia fuerunt; comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare, quod habebat, ſervire temporibus ſuorum omnium, pecunia, gratia labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia: verſare ſuam naturam & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere, & flectere, cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucundè, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe vivere.* Vel denique membris coliſque ſingulis ſua verba adduntur. e. g. Cicero in Orat. pro Archia: *Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi Numidico; & ejus pio filio: audiebatur à M. Æmilio: vivebat cum Q. Catulo & Patre & filio: à L. Craſſo colebatur: Lucullos & Druſum & Octavios & Catonem & totam Hortenſiorum domum, devinctam conſuetudine, cum teneret, afficiebatur ſummo honore, quod eum non ſolum colebant, qui aliquid percipere aut audire ſtudebant; verum etiam ſi qui fortè ſimulabant.*

Extenſio quam vocant hos limites planè ſpernit, & libero curſu ultra ſpiritus anguſtias procurrit;

adeoque plura orationis membra connectit, quàm ut una prolatione quis ea complecti queat. e. g. i. d. *Quanquam anni complures jam præterierunt, cum primum in celebri Academia fundamenta amicitiæ jecimus: & ego quidem humanioribus literis, tu verò juri civili operam dabas; utroq; in id ſeriò incumbente, ut utili ſalutarique doctrina inſtructi, domum aliquando ornatiores redire poſſemus, & patriæ aliquid opis atque emolumenti afferre: tamen memoria adhuc teneo, quæ tunc dicta & acta inter nos ſint, quæque tu de tua diſciplina, ego de mea jucunde familiariterque commentati ſimus, ut iſto pacto alter alterum erudiret & acueret: cum ſatis nobis conſtaret, non doctrinam ullam percipi, nec uſum ejus cognoſci poſſe: niſi crebris exercitationibus repetatur & inculcetur &c.* In narrationibus quidem prolixior ſermonis excurſus vix obtinet: reperitur tamen ap. Julium Cæſarem lib. 2. Comm. de bello Gall. *Cæſar ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi ſuos urgeri, ſignisque in unum locum collatis, duodecimæ legionis milites confertos ſibi ipſis ad pugnam eſſe impedimento: quartæ cohortis omnibus centurionibus occiſis, ſigniferoque, interfecto, ſigno amiſſo, reliquarum cohortium omnibus ferè centurionibus aut vulneratis aut occiſis, in his primipilo*

lo P. Sextio Baculo, fortiſſimo viro, multis graviſſimisque vulneribus confecto, ut jam ſe ſuſtinere non poſſet, reliquos eſſe tardiores, & nonnullos à noviſſimis deſertos, prælio excedere, ac tela vitare: hoſtes neque à fronte ex inferiore loco ſubeuntes intermittere, & ab utroque latere inſtare, ut rem eſſe in anguſto vidit, neque ullum eſſe ſubſidium, quod ſubmitti poſſet, ſcuto ab noviſſimis uni militum detracto, quod ipſe eo ſine ſcuto venerat, in primam aciem proceſſit: centurionibusque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites, ſigna inferre, & manipulos laxare juſſit, quò facilius gladiis uti poſſent. In orationibus vero Ciceronis frequentior eſt Taſis, & reperitur ejus notabile exemplum in Orat. pro Milone, ubi clamat reus: *Occidi, occidi non Sp. Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi: non Tiberium Grachum qui Collegæ Magiſtratum per ſeditionem abrogavit, quorum interfectores impleverunt orbem terrarum nominis ſui gloria: ſedeum (auderet enim dicere, cum patriam periculo ſuo liberaſſet) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fœminæ comprehenderunt: eum cujus ſupplicio Senatus ſolemnes religiones expiandas ſæpe cenſuit: eum quem cum ſorore germana ne-*

 fari-

farium ſtuprum feciſſe L. Lucullus, juratus, quæſtionibus habitis ſe dixit comperiſſe; eum qui civem quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac civium conſervatorem judicabant, ſervorum armis exterminavit: eum qui regna dedit, ademit: orbem terrarum, quibus cum voluit partitus eſt: eum qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari virtute & gloria civem domum vi & armis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit, nec in facinore nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recenſionis, tabulis publicis impreſſam extingueret: eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus: nulli poſſeſſionum termini: qui non calumnia litium, non injuſtis vindiciis ac ſacramentis alienos fundos: ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat: qui non ſolum Etruſcos (eos enim penitus contemſerat) ſed hunc Cn. Pompejum virum fortiſſimum, atque optimum civem, judicem noſtrum, pellere poſſeſſionibus, armis, caſtriſque conatus eſt: qui cum architectis & decempedis villas multorum hortosque peragrabat: qui Janiculo & alpibus ſpem poſſeſſionum terminabat ſuarum: qui cum ab equite Romano, ſplendidiſſimo & forti viro, T. Pacavio non impetraſſet, ut inſulam in lacu Pretio venderet,

ret, repente lintribus in eam inſulam materiam, calcem, cæmenta, atq; arma convexit: dominoque trans ripam inſpectante, non dubitavit ædificium extruere in alieno: qui huic T. Furſanio, cui viro Dii immortales? (quid enim de muliercula Sanctia? quid de adoleſcente Apronio dicam? quorum utrique mortem eſt minitatus, niſi ſibi hortorum poſſeſſione ceſſiſſet) ſed auſus eſt Furſanio dicere, ſi ſibi pecuniam, quantam popoſcerat, non dediſſet, mortuum ſe in domum ejus illaturum: quâ invidia huic eſſet tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem hominem mihi conjunctum fideliſſima gratia, abſentem de poſſeſſione fundi dejecit: qui parietem ſic per veſtibulum ſororis inſtituit ducere, ſic agere fundamenta, ut ſororem non modò veſtibulo privaret, ſed omni aditu & lumine. Et in Ult. Verrinæ Concluſione. *Nunc te Juppiter optime maxime, cujus ille nunc donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio, atque iſta arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab Regibus, tibi dicatum atque promiſſum, per nefarium ſcelus de Regiis manibus extorſit; cujusque ſanctiſſimum & pulcherrimum ſimulacrum Syracuſis ſuſtulit: teque Juno Regina, cujus duo fana, duabus in inſulis poſita ſociorum, Melitæ & Sami ſanctiſſima*

& antiquiſſima ſimili ſcelere, idem iſte, duobus in claris ſimis & religioſisſſimis templis expilavit, Athenis cum auri grande pondus, Syracuſis, cum omnia, præter tectum & parietes, abſtulit, teque Latona & Apollo, & Diana, quorum iſte Deli non fanum ſed ut hominum opinio & religio fert, ſedem antiquam, divinumque domicilium, nocturno latrocinio atque impetu compilavit: etiam te Apollo, quem iſte Chio juſtulit: teque etiam atque etiam Diana, quam Pergæ ſpoliavit, cujus ſimulacrum ſanctiſſimum Segeſtæ, bis ap. Segeſtanos conſecratum, ſemel ipſorum religione, iterum P. Africani victoria, tollendum, aſportandumque curavit: teque Mercuri, quem Verres in villa, & privata aliqua palaſtra poſuit P. Africanus in urbe ſociorum & in Gymnaſio Tyndarianorum, juventutis illorum cuſtodem, & præſidem voluit eſſe: teque Hercules, quem iſte Agrigenti, nocte intempeſta, ſervorum inſtructa & comparata manu, convellere ex ſuis ſedibus atque auferre conatus eſt: teque ſanctiſſima Mater Idæa quam apud Enguinos, auguſtiſſimo & religioſisſimo in templo ſic ſpoliatam reliquit, ut nunc nomen modo Africani & veſtigia violatæ religionis maneant, monumenta victoriæ fanique ornamenta non exſtent: vosque omnium rerum forenſium, conſilio-

liorum maximorum, legum judiciorumque arbitri & teſtes, celeberrimo in loco pratorii locati Caſtor & Pollux, quorum è templo quaſtum ſibi iſte & pradam maximam improbiſſimè comparauit; omnesque Dii, qui vehiculis Tenſarum, Solennes cætus ludorum, initis, quorum iter iſte ad ſuum quaſtum, non ad religionum dignitatem, faciendũ exigendumq; curavit: teque Ceres & libera, quarũ ſacra, ſicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultiſſimis ceremoniis continentur, à quibus initia vitæ, atque victus, legum, morum, manſuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & civitatibus data ac diſpertita eſſe dicuntur, quarum ſacra populus Romanus à Gracis aſcita & accepta, tanta religione & publicè & privatim tuetur, non ut ab aliis huc allata, ſed ut cateris hinc tradita eſſe videantur, qua ab iſto uno ſic polluta & violata ſunt, ut ſimilacrum Cereris unum, quod à viro non modò tangi, ſed ne aſpici quidem fas fuit, è ſacrario Catina convellendum avertendumque curaverit: alterum autem Enna ex ſua ſede ac domo ſuſtulerit: quod erat tale- ut homines cum viderent, aut ipſam videre ſe Cererem, aut effigiem Cereris non humana manufactam: ſed calo delapſam arbitrarentur: vos etiam atque etiam imploro & ap-

 pello,

pello, ſanctiſſima Deæ, quæ illos Ennenſes lacus, lucosque colitis, cunctæque Siciliæ, quæ mihi defendenda tradita eſt, præſidetis: à quibus, inventis frugibus, & in orbem terrarum diſtributis, omnes gentes & nationes veſtri religione numinis continentur: cæteros item Deos Deasque omnes imploro atque obteſtor, quorum templis & religionibus iſte nefario quodam furore & audacia inſtinctus, bellum ſacrilegum ſemper impiumque habuit indictum, ut ſi in hoc reo atque in hac cauſa omnia mea conſilia ad ſalutem ſociorum dignitatem populi Romani, fidem meam ſpectarunt: ſi ullam ad rem niſi ad officium & veritatem omnes meæ curæ vigiliæ cogitationesque elaborarunt: quæ mea mens in ſuſcipienda cauſa fuit, fides in agenda, eadem veſtra in judicanda ſit: deinde uti C. Verrem, ſi ejus omnia ſint inaudita, & ſingularia facinora ſceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, avaritiæ, crudelitatis, dignus exitus ejusmodi vitæ atque factis veſtro judicio conſequatur: utque Reſpubl. meaque fides una hac accuſatione mea contenta ſit: mihique poſthac bonos potius defendere liceat, quàm improbos accuſare neceſſe ſit.
Commodiſſimum eſt, ut hoc exemplum monet una tandem complexione, quæ antecedentia omnia ad ſenſum perfectum referat, concludere, ne longiore deductione diſtentus Auditoris intelle-

ctus,

ctus, terminum tandem, quo ſiſtatur, inveniat. Subjicimus in periodos diſtributam.

Cic. Orationem 2. in Catilin.

TAndem aliquando Quirites L. Catilinam, furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque urbi huic ferrum flammamque minitantem (2) ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus (3) Abiit, exceſſit, evaſit, erupit (4) nulla jam pernicies à monſtro illo, atque prodigio mænibus ipſis intra mænia comparabitur.

Atque hunc quidem unum, hujus belii domeſtici ducem (2) ſine controverſia vicimus.

Non enim jam inter latera noſtra ſica illa verſabitur (2) non in campo, non in foro, non in curia, non deniq; intra domeſticos parietes pertimeſcemus.

Loco ille motus eſt (2) cum ex urbe eſt depulſus.

Palam jam cum hoſte, nullo jam impediente (2) bellum juſtum geremus.

Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus [2] cum illum ex occultis inſidiis in apertum latrocinium conjecimus.

Quod verò non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quod vivis nobis egreſſus eſt, quod ei ferrum de manibus extorſimus, quod incolumes cives, quod ſtantem urbem reliquit (2) quanto tandem illum mærore afflictum eſſe, & profligatum putatis?

Jacet ille nunc proſtratus Quirites, atque ſe perculſum, atque abjectum eſſe ſentit, & retorquet o-

retorquet oculos profectò ſæpe ad hanc urbem (2) quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget, (3) quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantam peſtem evomuerit, foraſque projecerit.

At ſi quis eſt talis, quales eſſe omnes oportebat (2) qui in hoc ipſo, in quo exultat & triumphat oratio mea, me vehementer accuſet (3) quod tam capitalem hoſtem non comprehenderim potius, quàm emiſerim, (4) non eſt iſta mea culpa Quirites: ſed temporum.

Interemtum eſſe L. Catilinam & graviſſimo ſupplicio affectum jam pridem oportebat, (2) idque à me & mos majorum & hujus Imperii ſeveritas, & Reſpubl. poſtulabat.

Sed quam multos fuiſſe putatis, qui quæ ego deferrem, non crederent (2)? quàm multos, qui propter ſtultitiam non putarent? (3) quàm multos, qui etiam, defenderent? (4) quàm multos qui propter improbitatem faverent?

Ac ſi, ſublato illo, depelli à vobis omne periculum judicarem: (2) jam pridem ego L. Catilinam, non modo invidiæ meæ, verum etiam vitæ periculo ſuſtuliſſem (3) ſed cum viderem, ne vobis quidem omnibus, re etiam tum probata, ſi illum, ut erat meritus, morte multaſſem; fore, ut ejus ſocios invidià oppreſſus perſequi non poſſem, (4) rem huc deduxi, ut palam pugnare poſſetis, cum hoſtem apertè videretis.

Quem quidem ego hoſtem, Quirites, quàm vehementer foris eſſe timendum putem (2) licet hinc intelli-

telligatis, quod illud etiam moleſtè fero, quod ex urbe parum comitatus exierit.

Utinam ille omnes ſecum copias eduxiſſet!

Tongillum mihi eduxit, quem amare in prætexta cæperat, (2) Publicium & Munatium, quorum æs alienum contractum in popina, nullum Reipublicæ metum afferre poterat. (3) reliquit quos viros? quanto alieno ære? quàm valentes? quàm nobiles? vos videtis.

Itaque ego illum exercitum, ex Gallicanis legionibus & hoc delectu, quem in agro Piceno & Gallico Q. Metellus habuit, & his copiis, quæ à nobis quotidie comparantur, magnopere contemno; (2) collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus, ex iis, qui vadimonia deſerere, quam illum exercitum maluerunt (3) quibus ego, non modò ſi aciem exercitus noſtri, verum etiam, ſi edictum Prætoris oſtendero, concident.

Hos, quos video volitare in foro, quos ſtare ad curiam, quos etiam in ſenatum venire, qui nitent unguentis, qui fulgent purpura, mallem ſecum ſuos milites eduxiſſet; (2) qui ſi hîc permanent, mementote, non tam exercitum illum eſſe nobis, quam hos, qui exercitum deſeruerunt, pertimeſcendos.

Atque etiam hoc magis ſunt timendi, (2) quod quid cogitent, me ſcire ſentiunt; (3) neque tamen permoventur.

Video, cui Apulia ſit attributa (2) qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, (3) qui ſibi

ſibi has urbanas inſidias cædis atque incendiorum depopoſcerit.

Omnia ſuperioris noctis conſilia ad me perlata eſſe ſentiunt, (2) patefeci in Senatu heſterno die, (3) Catilina ipſe pertimuit, profugit; (4) hi quid expectant?

Næ illi vehementer errant (2) ſi illam meam priſtinam lenitatem ſperant perpetuam futuram.

Quod expectavi, jam ſum aſſecutus, (2) ut vos omnes factam eſſe apertè conjurationem videretis; (3) niſi verò quis eſt, qui Catilinæ ſimiles, ſentire cum Catilina non putet.

Non eſt jam lenitati locus: (2) ſeveritatem res ipſa flagitat.

Unum etiam nunc concedam; (2) exeant, proficiſcantur, ne patiantur deſiderio ſui Catilinam miſerum tabeſcere, (3) demonſtrabo iter (4) Aurelia via profectus eſt, (5) ſi accelerare volent, ad veſperam conſequentur.

O fortunatam Rempubl, ſi quidem hanc ſentinam ejecerit!

Uno mehercule Catilina exhauſto, relevata mihi & recreata Reſp. videtur.

Quid enim mali aut ſceleris fingi aut excogitari poteſt, quod ille non conceperit? (2) Quis tota Italia veneficus; quis gladiator, quis latro, quis ſicarius, quis parricida, quis teſtamentorum ſubjector, quis circumſcriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quæ mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri poteſt, qui

qui ſe cum Catilina non familiariſſime vixiſſe fateatur? (3) quæ cædes per hoſce annos ſine illo facta eſt? quod nefarium ſtuprũ non per illum? (4) Jam verò quæ tanta in ullo unquam homine juventutis illecebra fuit, quanta in illo? (5) qui alios ipſe amabat turpiſſimè, aliorum amori flagitioſiſſimè ſerviebat: (6) aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adjuvando pollicebatur.

Nunc verò quam ſubito non ſolum ex urbe, verum etiam ex agris, ingentem numerum perditorum hominum collegerat?

Nemo, non modò Romæ, ſed nec ullo in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, (2) quem non ad hoc in credibile ſceleris fœdus adſciverit.

Atque, ut ejus diverſa ſtudia in diſſimili ratione perſpicere poſſitis, (2) nemo eſt in ludo gladiatorio paulo ad facinus audacior, qui ſe non intimum Catilinæ eſſe, fateatur (3) nemo in ſcena levior & nequior, qui ſe non ejusdem prope ſodalem eſſe commemoret.

Atque idem tamen ſtuprorum & ſcelerum exercitatione aſſuefactus (2) frigore & fame & ſiti, ac vigiliis perferendis fortis ab his iſtis ſuis ſociis prædicabatur, (3) cum induſtriæ ſubſidia atque inſtrumenta virtutis, in libidine audaciaque conſumerentur.

Hunc verò ſi ſui fuerint comites ſecuti, ſi ex urbe exierint deſperatorum hominum flagitioſi greges; (2) O nos beatos, o Rempulicam fortunatam, o præclaram laudem conſulatus mei!

Non

Non enim jam ſunt mediocres hominis libidines, non humanæ audaciæ, ac tolerandæ; (1) nihil cogitant, niſi cædes, niſi incendia, niſi rapinas: (3) patrimonia ſua profuderunt, fortunas ſuas abligurierunt, res eos jam pridem, fides nuper deficere cæpit: (4) eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet.

Quodſi in vino & alea commeſſationes ſolū & ſcorta quærerent (2) eſſent illi quidem deſperandi: ſed tamen eſſent ferendi.

Hoc verò quis ferre poſſit,(2)inertes homines fortiſſimis viris inſidiari,ſtultiſſimos prudentiſſimis,ebrioſos ſobriis, dormientes vigilantibus (3);qui mihi accubantes in convivis,complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo,ſertis redimiti, unguentis obliti, debilitati ſtupris, eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum atque urbis incendia.

Quibus ego confido impendere fatum aliquod, & pænas jamdiu improbitati, nequitiæ, ſceleri, libidini debitas: aut inſtare jam planè, aut certe jam appropinquare.

Quos ſi meus Conſulatus,quoniam ſanare non poteſt, ſuſtulerit, (2)non breve neſcio quod tempus, ſed multa ſecula propagarit Reipublicæ?

Nulla eſt enim natio, quam pertimeſcamus (2)? nullus Rex, qui populo Rom. bellum inferre poſſit.

Omnia ſunt externa, unius virtute terra marique pacata: (2) domeſticum bellum manet, intus inſidiæ ſunt, intus incluſum periculum eſt, intus eſt hoſtis; cum luxuria, cum amentia, cum ſcelere certandum eſt.

Huic

Huic ego me belli Ducem profiteor, Quirites, ſuſcipio inimicitias hominum perditorum: (2) quæ ſanari poterunt, quacunque ratione potero, ſanabo: (3) quæ reſecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis, manare.

Proinde aut exeant, aut quieſcant: (2) aut ſi in urbe & eadem mente permanent, ea quæ merentur, expectent.

At enim ſunt Quirites, qui dicant (2) a me in exilium ejectum eſſe Catilinam.

Quos ego, ſi verbo aſſequi poſſem, [2] iſtos ipſos ejicerem, qui hæc loquuntur.

Homo enim videlicet timidus & permodeſtus, vocem conſulis ferre non potuit: [2] ſimul atque ire juſſus eſt in exilium, paruit.

Quid quod heſterno die, cum domi meæ pene interfectus eſſem, [2] Senatum in ædem Jovis Statoris vocavi, rem omnem ad patres conſcriptos detuli; [3] quò cum Catilina veniſſet [4] quis eum Senator appellavit? quis ſalutavit? quis denique ita aſpexit, ut perditu civem, ac non potius ut perditiſſimum hoſtem? [5] Quin etiam Principes ejus ordinis partem illam ſubſelliorum, ad quam, ille acceſſerat, nudam atque inanem reliquerunt.

Hic ego vehemens ille conſul, qui verbo cives in exilium ejicio, [2] quæſivi à Catilina, an nocturno Conventu ap. Leccam fuiſſet, nec ne?

Cum homo ille audaciſſimus, conſcientia convictus, primò reticuiſſet, [2] patefeci cætera, quid ea nocte egiſſet, ubi fuiſſet, quid in Provincia conſtituiſſet,

tuiſſet, quemadmodum ei eſſet ratio totius belli deſcripta, docui.

Cum hæſitaret, cum cunctaretur [2] quæſivi, quid dubitaret, eò proficiſci, quò jam pridem pararet? [3] cum arma, cum ſecures, cum faſces, cum tubas, cum ſigna militaria, cum aquilam illam argenteam, cui ille etiam ſacrarium ſcelerum domi ſuæ fecerat, ſcirem eſſe præmiſſam.

In exilium ejiciebam, [2] quem jam ingreſſum in bellum eſſe videbam?

Etenim credo, (2) Manlius iſte Centurio, qui in agro Feſulano caſtra poſuit, bellum populo Romano ſuo nomine indixit? [3] & illa caſtra nunc non Catilinam ducem expectant, [4] & ille ejectus in exilium, ſe Maſſiliam, ut ajunt, non in hæc caſtra conferet.

O conditionem miſeram, non modò adminiſtrandæ, verum etiam conſervandæ Reipublicæ!

Nunc ſi L. Catilina conſiliis laboribus periculis meis circumcluſus ac debilitatus, ſubitò pertimuerit ſententiam mutaverit, deſeruerit ſuos, conſilium belli faciundi abjecerit, ex hoc curſu ſceleris ac belli iter ad fugam, atque in exilium converterit: [2] non ille à me ſpoliatus armis, audacia, non obſtupefactus ac perterritus mea diligentia, non de ſpe conatuque depulſus: ſed indemnatus, innocens, in exilium ejectus à conſule, vi & minis eſſe dicetur; [3] & erunt, qui illum, ſi hoc fecerit, non improbum; ſed timidum, me non diligentiſſimum conſulem; ſed crudeliſſimum tyrannum exiſtimari velint.

Eſt

Eſt mihi tanti Quirites hujus invidiæ falſæ atque iniquæ tempeſtatem ſubire, (2) dummodo à vobis hujus horibilis belli ac nefarii periculum depellatur.

Dicatur ſanè ejectus eſſe à me, (2) dummodo eat in exilium: (3) ſed mihi credite, non eſt iturus.

Nunquam ego à Diis immortalibus optabo, Quirites, invidiæ meæ levandæ cauſæ (2) ut L. Catilinam ducere exercitum hoſtium, atque in armis volitare audiatis: (3) ſed triduo tamen audietis, (4) multoque magis illud timeo, (4) ne mihi invidioſum ſit aliquando, quod illum emiſerim, (5) potius quam ejecerim.

Sed cum ſint homines, qui illum, cum profectus ſit, ejectum eſſe dicant, (2) iidem, ſi interfectus eſſet, quid dicerent?

Quanquam iſti, qui Catilinam Maſſiliam ire dictitant, (2) non tam hoc queruntur, quàm verentur.

Nemo eſt illorum tam miſericors, (2) qui illum non ad Manlium, quàm ad Maſſilienſes ire malit.

Ille autem, ſi me Hercle hoc quod agit, nunquam ante cogitaſſet, (2) tamen latrocinantem ſe interfici mallet, quàm exulem vivere: (3) nunc verò cum ei nihil adhuc præter ipſius voluntatem cogitationemque acciderit, niſi quod vivis nobis Roma profectus eſt, (4) optemus potius, ut eat in exilium, quàm queramur.

Sed cur tam diu de uno hoſte loquimur, & de eo hoſte, qui jam fatetur, ſe eſſe hoſtem, & quem (quia-

quod ſemper volui, murus intereſt) non timeo (2) de his, qui diſſimulant, qui Romæ remanent, qui nobiscum ſunt, nihil dicimus. (3) Quos quidem ego ſi ullo modo fieri poſſet, non tam ulciſci ſtudeo, quam ſanare, & ipſos placare Reipubl. (4) neque id, quare fieri non poſſit, ſi me audire voluerint, intelligo.

Exponam enim vobis Quirites, ex quibus generibus hominum iſtæ copiæ comparentur; (2) deinde ſingulis medicinam conſilii atque Orationis meæ, ſiquam potero, afferam.

Primum eſt eorum, qui magno in ære alieno, majores etiam poſſeſſiones habent, (2) quarum amore adducti, diſſolvi nullo modo poſſunt.

Horum hominum ſpecies eſt, honeſtiſſima (2) ſunt enim locupletes: [3] voluntas verò & cauſa impudentiſſima.

Tu agris, tu ædificiis; tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copioſus ſis; [2] & dubites aliquid de poſſeſſione detrahere, ac fidem acquirere?

Quid enim expectas.? [2] bellum?

Quid ergo? [2] in vaſtatione omnium tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas? [3] an tabulas novas? [4] errant, qui iſtas à Catilina expectant. (5) Meo beneficio tabulæ novæ proferentur; Verum auctionariæ.

Neque enim iſti, qui poſſeſſiones habent, [2] alia ratione ulla ſalvi eſſe poſſunt.

Quod ſi maturius facere voluiſſent; [2] neque id

id [quod ſtultiſſimum eſt] certare cum uſuris, fructibus prædiorum maluiſſent: (3) locupletioribus his & melioribus civibus uteremur.

Sed hoſce homines minimè puto pertimeſcendos (2) quod aut deduci de ſententia poſſunt: (3) aut ſi permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra Rempublicam, quàm arma laturi.

Alterum genus eſt eorum, qui quanquam premuntur ære alieno, dominationem tamen expectant: (2) rerum potiri volunt; honores, quos quieta Republica deſperant, perturbata conſequi ſe poſſe arbitrantur.

Quibus hoc præcipiendum videtur unum ſc. idem, quod cæteris omnibus, (2) ut deſperent, ſe id quod conantur, conſequi poſſe: (3) primum omnium, me ipſum vigilare, adeſſe, providere Reipublicæ; (4) deinde magnos animos eſſe in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas præterea copias militum: (5) Deos denique immortales huic invicto populo, clariſſimo Imperio, pulcherrimæ urbi contra tantam vim ſceleris, præſentes auxilium eſſe laturos.

Quod ſi jam ſint id, quod ſummo furore cupiunt, adepti: (2) num illi in cinere urbis, & ſanguine civium, quæ mente conſcelerata ac nefaria concupierunt, ſe Conſules ac Dictatores, aut etiam Reges ſperant futuros? (3) non vident ſe cupere id, quod ſi adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori concedi ſit neceſſe?

Tertium genus eſt ætate jam confectum, exercitatione

tatione robuſtum, (2) quo ex genere eſt ipſe Manlius, (3) cui nunc Catilina ſucceſſit.

Hi ſunt homines ex iis coloniis, quas Feſulis Sylla conſtituit; (2) quas ego univerſas civium eſſe optimorum, & fortiſſimorum virorum ſentio; (3) ſed tamen hi ſunt coloni, qui ſe ſperatis repentinisque pecuniis, ſumtuoſius inſolentiusque Jactarunt.

Hi dum ædificant, tanquam beati: (2) dum prædiis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatibus delectantur (3) in tantum æs alienum inciderunt, (4) ut, ſi ſalvi eſſe velint, Sylla ſit iis ab inferis excitandus: (5) etiam nonnullos agreſtes, homines tenues atque egentes in eadem illam ſpem rapinarum veterum impulerunt.

Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere prædatorum direptorumque pono; (2) Sed eos hoc moneo, (3) deſinant furere, & proſcriptiones ac dictaturas cogitare.

Tantus enim illorum temporum dolor eſt inuſtus civitati, (2) ut jam iſta non modo homines, ſed ne pecudes quidem mihi paſſuræ eſſe videantur.

Quartum genus eſt ſanè varium, & miſtum & turbulentum, (2) qui jam pridem premuntur: (3) qui nunquam emergent: (4) qui partim inertia, partim malè gerendo negotio, partim etiam ſumtibus in vetere ære alieno vacillant: (5) qui vadimoniis, judiciis, proſcriptionibus bonorum defatigati, permulti & ex urbe, & ex agris, ſe in illa caſtra conferre dicuntur.

Hosce ego non tam milites acres, (2) quàm inficiatores lentos eſſe arbitror. Qui

Qui homines primum, ſi ſtare non poſſunt, corruant: (2) ſed ita, ut non modo civitas, ſed ne vicini quidem, proximi ſentiant.

Nam illud non intelligo (2) quamobrem, ſi vivere honeſtè non poſſunt, perire turpiter velint: (3) aut cur minore dolore perituros ſe cum multis, quam ſi ſoli pereant, arbitrentur.

Quintum genus eſt parricidarum, ſicariorum, denique omnium facinoroſorum: (2) quos ego à Catilina non revoco; (3) nam neque divelli ab eo poſſunt: (4) & pereant ſanè in latrocinio; (5) quoniam ſunt ita multi, ut eos capere carcer non poſſit.

Poſtremum autem genus eſt, non ſolum numero, verum etiam genere ipſo atq; vita: (2) quod proprium eſt Catilinæ: (3) de ejus delectu, imo verò de complexu ejus ac ſinu: (4) quos pexo capillo, nitidos aut imberbes, aut bene barbatos videtis: (5) manicatis & talaribus tunicis: velis amictos, non togis: (6) quorum omnis induſtria vitæ, & vigilandi labor, in ante lucanis cænis expromitur.

In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique verſantur.

Hi pueri tam lepidi ac delicati, non ſolum amare & amari, neque cantare & ſaltare, ſed etiam ſicas vibrare & ſpargere venena didicerunt: qui niſi exeunt, niſi pereunt, etiamſi Catilina perierit, (3) ſcitote hoc in Republica ſeminarium Catilinarium futurum.

Veruntamen, quid ſibi iſti miſeri volunt? (2) num ſuas ſecum mulierculas ſunt in caſtra ducturi?

 (3) quem-

(3) quemadmodum autem illis carere poterunt, (4) his præſertim noctibus? (5) quo autem pacto illi Apenninum atque illas pruinas ac nives perferent? (6) niſi idcirco ſe facilius hiemem toleraturos putant, (7) quod in conviviis ſaltare nudi didicerunt.

O bellum magnopere pertimeſcendum (2) cum hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem prætoriam!

Inſtruite nunc Quirites contra has tam præclaras Catilinæ copias, veſtra præſidia, veſtroſque exercitus: (2) & primum gladiatori illi confecto & faucio Conſules, Imperatoreſque veſtros opponite: (3) Deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum, florem totius Italiæ atque robur educite.

Jam verò urbes Coloniarum ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſylveſtribus.

Neque verò cæteras copias, ornamenta, præſidia veſtra (2) cum illius latronis inopia, atque egeſtate debeo conferre.

Sed ſi omiſſis his rebus omnibus, quibus nos ſuperamus, eget ille, Senatu, equitibus, R. populo, urbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus: ſi inquam his rebus omiſſis, ipſas cauſas, quæ inter ſe confligunt, contendere velimus; (2) ex eo ipſo quam valde illi jaceant, intelligere poſſumus.

Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, il-

illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: (2) deniq; æquitas, temperantia fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: (3) poſtremo copiæ cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit.

In hujus modi certamine ac prælio, nonne etiamſi hominum ſtudia deficiant, Dii ipſi immortales cogent, ab his præclariſſimis virtutibus, tot & tanta vitia ſuperari?

Quæ cum ita ſint Quirites, vos, quemadmodum jam antea dixi, veſtra tecta cuſtodiis vigiliisque defendite: (2) mihi, ut uni ſine veſtro motu, ac ſine ullo tumultu, ſatis eſſet præſidii, conſultum ac proviſum eſt.

Coloni omnea municipesque veſtri, certiores à me facti de hac nocturna excurſione Catilinæ, (2) facilè urbes ſuas finesque defendent.

Gladiatores, quam ſibi ille maximam manum & certiſſimam putavit, quanquam meliore animo ſunt, quàm pars patriciorum (2) poteſtate tamen in veſtra continebuntur.

Q. Metellus, quem ego proſpiciens hoc, in agrum Gallicamum Picenumque præmiſi (2) aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus conatusque prohibebit: (3) reliquis autem de rebus conſtituendis, maturandis, agendis, jam ad Senatum referemus, quem vocari videtis.

Nunc illos qui in urbe remanſerunt, atque adeo, qui contra urbis ſalutem, omniumque veſtrum, in urbe à Catilina relicti ſunt, quanquam ſunt hoſtes, tamen quia nati ſunt cives, monitos etiam atque etiam volo.

Mea lenitas adhuc, ſi cui ſolutior viſa eſt, hoc expectavit, (2) ut id quod latebat erumperet.

Quod reliquum eſt, jam non poſſum obliviſci (2) meam hanc eſſe patriam, me horum eſſe conſulem : (3) mihi aut cum his vivendum aut pro his moriendum eſſe.

Nullus eſt portæ cuſtos, nullus inſidiator viæ : [2] ſi qui exire volunt, conſulere ſibi poſſunt.

Qui verò in urbe ſe commoverit, cujus ego non modo factum, ſed inceptum ullum, conatumque contra patriam deprehendero : [2] ſentiet in hac urbe eſſe conſules vigilantes, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortem Senatum, eſſe arma, eſſe carcerem: [3] quem vindicem nefariorum ac manifeſtorum ſcelerum, majores noſtri eſſe voluerunt.

Atque hæc omnia ſic agentur, Quirites, [2] ut res maximæ minimo motu, pericula ſumma nullo tumultu, bellum inteſtinum ac domeſticum, poſt hominum memoriam crudeliſſimum ac maximum, me uno togato Duce & Imperatore ſedetur; (3) quod ego ſic adminiſtrabo Quirites, ut ſi ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quiſquam, in hac urbe pænam ſui ſceleris ſufferat.

Sed ſi vis manifeſtæ audaciæ, ſi impendens patriæ periculum me neceſſariò de hac animi lenitate de-

duxe-

duxerint: [2] illud profecto perficiam, quod in tanto & tam inſidioſo bello vix optandum videtur: (3) ut ne quis bonus intereat, paucorumque pæna vos omnes jam ſalvi eſſe poſſitis;

Quæ quidem ego neque mea prudentia, neque humanis conſiliis fretus polliceor vobis Quirites, (2) ſed multis & non dubiis Deorum immortalium ſignificationibus; (3) quibus ego ducibus in hanc ſpem ſum ingreſſus, (4) qui jam non procul ut quondam ſolebant, ab extero hoſte atque longinquo, ſed hic præſentes ſuo numine atque auxilio, ſua templa atque urbis tecta defendunt; [5] quos vos Quirites precari, venerari atque implorare debetis, (6) ut quam urbem pulcherrimam florentiſſimam potentiſſimamque eſſe voluerunt, hanc omnibus hoſtium copiis terra marique ſuperatis, à perditiſſimorum civium ſcelere nefario defendant.

ARTICULUS IV.

DE

PERIODI MENSURA ET NUMERO.

Quemadmodum in hortis arborum inter ſe ordine implicatarum confuſa diſtinctio, exactæ ad libellam ambulationes amæniſſimæ, ſuaveolentium pulvillorum deſcriptiones flexuoſæ, directi ad normam areolarum ordines, & collucentium ubique floſculorum ad viridantem regulam odorifera diſpoſitio admodum oculos; ita numeroſa atque aptiſſima menſura ordinata dictio, admodum aures

noſtras

noſtras afficit atque permulcet. In his ſi quidem ut ait Cicero in Oratore num. 173. *Omnium longitudinum & brevitatum in ſonis, acutarum graviumque, vocum judicium natura collocavit* & num. 177. *Aures enim, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in ſe continet vocum omnium menſionem. Itaque & longiora, & breviora judicat, & perfecta, ac moderata ſemper exſpectat: Mutila ſentit quædam, & quaſi decurtata; quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia, & quaſi immoderatius excurrentia, quæ magis etiam aſpernantur aures; quod cum in plerisque, tum in hoc genere nimium quod eſt, offendit vehementius, quam id, quod videtur parum.* Verbi gratia ſi quis ita dicat: *Credo cum adhuc floreret Roma, multos præclaros viros fuiſſe in ea.* Sententiam hanc reſpuunt aures, quoniam mutila habetur; decurtata, & debito quodã ſuo defraudare videtur auditorem; iis verò adjecto unico vocabulo ſc. *urbe* vel *republica*, verboque *fuiſſe* ſubjecto, ſatisfieri potuiſſet. Tum quoque ſi quis dicat: *Itaque quo me vertam neſcio & ignoro.* Vel hoc modo: *Non ſum cum his, qui ſedent, comparandus aut conferendus:* Auribus ingrata ſententia accidit; quoniam paulò productior eſt, & immoderatius excurrit. Quemadmodum verò in aliis quoque rebus exceſſus magis quam defe-

defectus reprehendi ſolet; quoniam qui nimium facit, gravius offendit, quàm qui parum; ille ſi quidem bono ſaltem deſtituitur: hic verò vitioſum in medium adducit; pariter in hac quoque cauſa magis auditorum animos offendunt, qui redundantia & nimis producta afferunt, quàm qui mutilis & decurtatis utuntur.

Non ergo Mathematica quadam demonſtratione, aut concluſionum neceſſitate cognitus emerſit in oratione numerus: ſed è ſeminario naturæ profectus, amica primum voluptate aurem titillavit, & in animum illapſus, quodammodo poſtea ſe juſſit obſervari; Mens enim ſuavibus affecta modis, quid eſſet quod adeo delectaret, propius inſpexit, & eo quod fortuito exciderat, tanquam regula quadam appoſito, rudem materiam in eandem rationem menſuramque direxit; una demum, altera tertiaque ſic expolita, cum haud minus oblectaret atque prima, ſignatus tandem eſt locus, & inde porro præceptorum origo. Cic loc. cit. n. 178. *Ut igitur Poëtica & verſus inventus eſt terminatione aurium, obſervatione prudentum: ſic in oratione animadverſum eſt; multò illud quidem ſerius: ſed eadem natura admonente, eſſe quosdam certos curſus concluſionesq; verborum.* Quo itaque incitatior ferretur periodus, & ſine aliquo impedimento laberetur, nec claudicaret; non aures aut brevitate nimia defraudaret, aut obrueret prolixitate, Traſymachus Chalcedonenſis primus, numerum inveniſſe: Gorgias Leontinus auxiſſe: Iſocrates perfeciſſe creditur.

Non

Non multum ab his diſſentit Cicero l. cit. n. 175. *Neminem in eo genere ſcientius verſatum Iſocrate confitendum eſt: ſed princeps inveniendi fuit Tiraſimachus, cujus omnia nimis etiam extant ſcripta numeroſe.* & mox. *Gorgias primus invenit: ſed his eſt uſus intemperantius* n. ſeq. *Horum uterque Iſocratem ætate præcurrit, ut eos ille moderatione, non inventione vicerit.*

Eſt itaque numerus Oratorius apta quædam orationis modulatio, qua verba certo inter ſe implexa ordine, quendam quaſi concentum efficiunt; datisque ſibi velut manibus, Gratiarum in morem circumducunt chorum; pendetque is cum à quantitate ſyllabarum, tum idonea vocum collocatione atque ſtructura; commoda ſc. verborum & ſententiarum diſpoſitione, quæ cohærentem leniterque fluentem reddat orationem, ut neque claudicet, neque fluctuet: ſed æqualiter conſtanterque ingrediatur. Differt, à metro poëtico, quod æqualiter hic ubique ſervatur: at Oratorius numerus minus curatur in medio, magis in initio, maximè in fine, prout infra pluribus dicemus. Poëticus ſui ſimilis eſt: Oratorium autem ſui diſſimilem eſſe convenit, ne ſui ſimilitudine agnitus, faſtidium & contemtum pariat, fidemque prorſus abroget orationi: Alios quoque pedes conſectatur Poëta, alios Orator; non quod numerus Poëticus deterior ſit: ſed quod nimis manifeſtus. Quamobrem numerus Oratorius quaſi metrum imperfectum eſt, utpote non adeo conſpicuum,

um, ſed latens; ita tamen ut ſuavitatem ejus aures percipiant. Præterea certus in verſibus pedum numerus eſt, ut in pentametris quinque, in hexametris ſex &c. in numero autem quot ſint omnino pedes, conſtitutum non eſt; & nunc ſinguli collocantur e. g. *Diximus*, *O ſcelus*! nunc bini e. g. *O me miſerum*! *O me infelicem*! aliquando bini cum Syllaba e.g. *Teſtes dare volumus*: Quandoque terni e. g. *O ſcelus incredibile*! nonnunquam quaterni e. g. *Valeant*, *valeant*, inquit, *cives mei*. Sæpe ſeni, aut lepteni, duodeni etiam vel plures ; neque ſunt continuandi numero pares, ne ligatæ ſimilis oratio eſſe videatur. Adhæc in verſu certi ac definiti pedes ſunt,ut Dactylus & Spondæus in heroico vel elegiaco genere: Jambus in Jambico, & Anapæſtus in Anapæſtico: in proſa autem conſtitutum non eſt, quibus eam deceat pedibus incedere, & licet nunc binas vel ternas in pedem ſyllabas ſumere, nunc has nunc illas, & hoc pacto pro arbitrio metientis varios pedes efficere, e. g. *Omittendæ ſunt omnes voluptates; relinquenda ſtudia delectationis, ludus, jocus, convivium, ſermo etiam penè omnium familiarum deſerendus eſt.*

In ſoluta verò Oratione non alii pedes, quam in ligata; Varia tantum & diverſa eorum eſt collocatio. Atque ex his quidem, qui *duabus ſyllabis* conſtant, recipiuntur hoc loco omnes, *Pyrrichius* ᴗᴗ. qui conſtat duabus correctis, e. g. DEus. *Spondæus* quoque, qui duabus longis e. g. anceps. *Jambus*

bus brevi & longa e. g. minax: *Trochæus* longa & brevi e. g. doctus. In *triſyllabis Moloſſus* qui conſtat ex omnibus longis e. g. terrores: *Tribrachis* ex omnibus brevibus e. g. gelidus: *Dactylus* prima longa reliquis brevibus e. g. arbiter, *Anapæſtus*, prioribus duabus brevibus, ultima longa e. g. animans, *Bachius* prima brevi & reliquis duabus longis e. g. amantes. *Palimbachius* duabus longis & ultima brevi e. g. audire. *Amphimacrus* media brevi, prima atque ultima longis e. g. colligunt *Amphibrachys* prima & ultima brevi, media longa e. g. ammus. In *Quadriſyllabis*: *Dichoræus* è duobus ſc. choræis ſ. trochæis compoſitus e. g. Principalis. *Pæon primus* prima longa, reliquis tribus correptis e. g. conficere. *ſecundus* prima brevi, ſequenti longa, reliquis iterum brevibus e. g. reſolvere. *tertius*, primis duabus brevibus, tertia longa & ultima brevi e. g. Sociare: & *quartus*, tribus prioribus brevibus ultima longa e. g. Miſericors, *Dijambus* vel Dochimus prima & media brevibus, ſecunda & ultima longis e. g. amamini; Sunt quidem in quadriſyllabis longæ plures; ſed hos pro inſtituti ratione enumeraſſe & noviſſe ſufficiet.

Breves ex his pedes, ut tribrachys & pæan, celeriter feruntur,: Longi verò ut Spondæus atque Moloſſus tardè: Temperati, ut Dactylus & Anapæſtus mediocritatem retinent. Jambus & Trochæus celeritati quàm tarditati propiores ſunt. Viciſſim qui pedes à longis in breves deponuntur, volubiliter prodeunt atque jucundè: qui autem à brevibus in longas aſ-

ſur-

ſurgunt, aſpera percuſſione aurem feriunt, & in fine ſubſiſtunt. Spondæus gravis & tardus: Jambus aſper, humili tamen & attemperato ſermoni aptus: trochæus mollior & volubilior: Pyrrichius tenuis & planè demiſſus: Tribrachys levis, nec quicquam ferè venuſtatis habet: Moloſſus planè gravis: Amphibrachys obſcurus nec admodum heroicus: Anapæſtus, gravis ſed nonnunquam exultans; aptus ergo ad ſeria atque affectus exprimendos: Dactylus optimus & elegantiſſimus, rebus amplioribus admodum conveniens: Creticus temperatus: Bachius ſeverus: Dochimus majeſtate conſpicuus: Dichoræus denique jucundus & clauſulis aptiſſimus.

Non negligendas hujus generis obſervationes exiſtimavit Cicero loc. cit n. 218. *Creticus* inquit *qui eſt è longa, & brevi & longa, & ejus æqualis pæan, qui ſpatio par aſt, ſyllaba longior: quam commodiſſime putatur in ſolutam orationem illigari, cum ſit duplex. Nam aut è totidē longis, & tribus brevibus, qui numerus in primo viget, jacet in extremo; aut è brevibus, & longa. in quem optime cadere cenſent veteres; ego non planè rejicio, ſed alios antepono. Ne ſpondæus quidem funditus eſt repudicandus. Etſi, quod eſt è longis duabus, hebetior videtur, & tardior, habet tamen ſtabilem quendam, & non expertem dignitatis gradum: in inciſis verò multo magis, & in membris. Paucitatem enim pedum gra-*

gravitatis ſuæ tarditate compenſat. Sed hos cum in clauſulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adjungo (quod minimum ſit) proximum ſuperiorem, ſæpe etiam tertium. Ne jambus quidem, qui eſt è brevi, & longa, aut par choræo, qui habet treis breveis, ſed ſpatio par, non ſyllabis: aut etiam dactylus, qui eſt è longa & duabus brevibus, ſi eſt proximus à poſtremo: parùm volubiliter pervenit ad extremum: ſi eſt extremus choreus, aut ſpondeus. Nunquam enim intereſt uter ſit eorum in pede extremo. Sed iidem hi tres pedes male concludunt, ſi quis eorum in extremo locatus eſt, niſi cum pro cretico poſtremus eſt dactylus. Nihil enim intereſt, dactylus ſit extremus, an creticus: quia poſtrema ſyllaba, brevis, an longa ſit, ne in verſu quidem refert. Quare etiam pæana qui dixit aptiorem, in quo eſſet longa poſtrema, vidit parum: quoniam nihil ad rem eſt, poſtrema quam longa ſit. Jam pæan, quod plureis habeat ſyllabas, quam treis, numerus à quibusdam, non pes habetur. & n. ſeq. *Dochimus* ſubjungit, *quovis loco aptus eſt, dum ſemel ponatur: iteratus verò aut continuatus numerum apertum & nimis inſignem facit.* Ex hac ergo varietate multæ quoque naſcuntur ſpecies ut ita dicam orationis, haud equidem ſi pes idem ſemel vel iterum collocetur; ſed ſi aut ſæpius idem,

aut

aut rationis ejuſdem alius miſceatur; quod ſi quis tamen pluries iterandus veniat, alio quodam pede interjecto iterabitur commodius.

Porro autem in pedibus collocandis tria locorum genera probè obſervanda ſunt, principia np. media & poſtrema ſententiarum. Et quoniam periodo circumducta ad extremum quieſcit auris, atque à labore optata numeri jucunditate recreatur, haud immerito, ſi quid in Oratione voluptatis eſt, apparet in *FINE*; in eo autem locum obtinebunt vel *Creticus & Dichoræus* e. g. cum exercitu & victoria conferatis: vel *Chorœus & Moloſſus* e. g. maximè laboraret: vel *Creticus duplex* e. g. in communionem tuorum temporum contulit: vel *triplex Creticus*. e. g. perpeti turpiter maluit: *Creticus & dactylus* e. g. *Moribus* conſonet: vel *Tribrachys & ſpondæus* e. g. jucunditasque ſapienti: vel *Chorus & Diſpondæus* e. g. in monumentis majorum ſuorum ſit interfectus: vel *Jambus & Diſpondæus* e. g. ſed etiam gloriam per tales viros infringendam: vel denique, ne longius hæc obſervatio abeat, *triplex Spondæus* e. g. victoriæ ſunt illuſtratæ. *Principia* verò etſi vacuas ingrediuntur aures, numero tamen vacare non debent; non enim illud placere poteſt, quod ſtatim quaſi in veſtibulo offendit. A *Spondæo* Cicero orditur Milonianam: Etſi vereor Judices &c. A *Cretico* orationem poſt reditum ad Quirites: Quod precatus à Jove opt. Max. &c. Ab *Anapæſto* orationem pro Cluent. Animadverti Judices omnem accuſatoris Orationem &c. A *Moloſſo*, pro

Quinctio: Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt. A *Pæano primo* Catilinariam ſecundam: Tandem aliquando Quirites L. Catilinam. A *Dochimo* denique illam pro Valerio Flacco: Cum in maximis periculis hujus urbis atque imperii:

MEDIA quoniã ſurdius audiuntur, quàm prima vel extrema paulo negligentiꝰ inſtrui ſolent;& ſi quis incompoſitior eſſe velit,media habebit,quibus occultare negligentiam queat. Traducitur enim animus impetu dicentis, & dum rerum pondus verborumque decus complecti nititur, non eo tempore admodum numeris, qui medio curſu rapiuntur, intendit. Eſt tamen huic quoque intervallo ſuum decorum. Quemadmodum enim cum celeriter ſpatium corripit generoſus equus, quàm aptè ſingula ponat veſtigia conſpicere vix poſſis; at ſi fortè inſigniter aut claudicet, aut offendat, aut moretur, aut tranſiliat, aut attollatur, aut declinet, continuò diſparem gradibus obſervas deformitatem: haud ſecus cum volubiliter oratio fertur, pedum ſingulorum poſitiones metiri vix licet, quam verò commodus, reliquisque gradibus conſentaneus ſit curſus judicare facilè poſſumus; Media ergo initiis & clauſulis aptè reſpondere debent, & reſpondebunt ſanè, ſi ad eundem numerum atque ad eandem modulationem proximè accedant, & quo cæpere tenore, eodem progrediantur ad extremum. Mediis verò partibus ampliſſimus eſt uterque Pæan primus & quartus; nec enim dignitatem ſolum affert & amplitudinem: ſed volubilitatem quoque & celeritatem, qua animi conci-

tati

tati affluente volùptate recreantur e. g. Cic. pro Cæl *Vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem dummodo illa in hoc genere præſcriptio moderatioque teneatur*, ubi ſex Pæanæ primi curſum incitatiorem & magnifieentiorem periodum faciunt. Et viciſſim octo peænas quartos è ternis brevibus & ſingulis longis dimetiri licet in ſeq. *Fieri enim non poteſt, ut animus libidini deditus, amore, deſiderio cupiditate, ſæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quicquid eſt, quod nos facimus, in dicendo non modò agendo, verum etiam cogitando ſuſtinere poſſit.* Occurentibus ergo verbis expendendum eſt animo, quanta ſint intervalla ſpatiaque Syllabarum; nimirum, quænam ſit brevium longarumque temperies, eax quibus alii atque alii pedes fluunt. Si quis delectetur Spondæis, Moloſſis, Bachiis, Palimbachiis, Creticis, plures adhibeat longas: Si verò Dactylos malit, Anapæſtos, Trochæos Pæanos, breves Sylabas copioſius inducat.

ARTICULUS V.

DE PERIODI VIRTUTIBUS ET VITIIS.

NUmerus ille oratorius ut probe conſiſtat, & ornatum decusque ſervet, ne aliis quoque in ſermone vitiis conſpurcetur, ſed illius potius virtutibus hoc magis reſplendeat probè obſervandum eſt; Cavendus itaque literarum durior concurſus, vo-

calium præſertim hiatus. e. g. Vulturnia aere Jonio educata: Vaccæ æneæ amæniſſimæ item: Ego omni officio &c. quod initium eſt Epiſtolæ primæ ad fam. Cic. ſed in familiari ſermone toleratur. Conſonantium quoque, quæ aſperiorem pronunciationem faciunt e. g. Rex Xerxes exercitum exercens ad bella. Ejusdem quoque literæ nimia aſſiduitas in orationis commiſſura quaſi rixatur e. g. Rex Perſarum Xerxes Pontem pedibus pertranſivit; Sed aſperos illos conſonantium concurſus facilè quis hoc pacto evitaverit: Xerxes opulentiſſimus Rex Perſarum, cum in Græciam contendere decreviſſet, ſuper Helleſpontum fabricato ponte, pedibus ipſum mare pertranſiit. Idem quoque accidit in ejusdem vocis aſſiduitate nimia e. g. ſ. d. Nam cujus rationis ratio non extat, ei rationi præter rationem eſt ut fidem adhibeas. In ipſo ſermone agreſtis vaſtaque grandiloquentia, quæ ſonorum magnitudine buccas rumpere & horrenda conciſtare tonitrua cupit, parum auribus grata eſt e. g. ſ. d. Obſcænitatem verborum etiam in fulminandis vitiis devitavi; quamvis enim ſublimis & ardua detur, hoc tamen inameno ſonitu preſſior debebat eſſe Oratio. Sunt quoque qui de induſtria conſtructionis ordinem adeo permiſcent, ut verba in locum prorſus alienum trajiciant e. g. O qnando Lucilius: Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Æli. Item ſi quis dicat: Platonis in Protagora ſententia videtur eſſe, eas artes, quæ ad victum pertinent humanum, providentiam humanam reperiſſe. Commodius id ipſum

ſum hoc ordine proferetur: Sententia Platonis eſt in Protagora, eas artes, quæ ad humanum victum pertinent, humana providentia repertas eſſe; hoc enim pacto vitabitur trajectionis vitium in vocibus *Platonis* & *humanum*: ambiguæ etiam conſtructionis.

Cavendum porro ne monoſyllaba levius ſubſultantia & poſtrema ſyll aba præcedentis dictionis & prima ſequentis repetitæ & colliſæ irgratum auribus ſonum pariant e. g. in Epiſt. Cic. res hæc eſt inviſa viſa Brute, & in verſu: O fortunatam natam me Conſule Romam. Præterea vitioſum, quando una prope menſura nonnulli ſententias æquant, eodemque modo terminant, ſegni numero langueſcunt, inæqualitate claudicant, & capiti grandiori tenue corpus affuunt; Nec non quando aliqui inania verba inferciunt, aut verba communia negligentes tum ſe magna loqui arbitrantur, cum quod uno verbo dici poterat, integra clauſula complectuntur; longa enim illa verborum continuatio, nimisque prolixa periodus & auditoris aures lædit, & oratoris ſpiritum. Adverſatur quoque numero orationis continuatio multarum brevium vel longarum Syllabarum; hæc ut pigra quidem: illa verò ut referens ſonitum puerilium crepitaculorum, Argumento ſunt illa. Severi in Poëmatio de leporis morte: Periit at avipedis animula leporis; & viciſſim: Animula miſerula properiter obiit. His ut vix quicquam celerius: ita iſtis Ennii nihil tardius: Romani muris Albam cinxerunt longam. Atque iterum Romani victores Germanis devictis. Atque

ex his adeo perſpicuum, optimos illos eſſe pedes, qui è brevibus longisque ſyllabis temperantur. Porro ſpectandum hoc etiam, quale ſit, quod vel maximè deſiderat diligentiam, ut ejus potiſſimum fiat quaſi ſtructura quædam, neque tamen operosè. Omnium ſiquidem moleſtiſſimi ſunt ii, qui verba ambitiosè delecta nimio ſtudio in numeros compingunt; faſtidium pedum hæc in ſermone cura atque ſatietatem affert. Quin ſocordia quædam, numerique neglectus aliquando gratior accidit auribus; præſertim cum dolorem exprimere cupimus vel haberi nobis fidem; ſi ſtudium atque ars appareat, imminuitur. Denique ſicut in poëmate reprehenditur, quando compoſitio ſimilis proſæ: ita in proſa viciſſim nihil vitioſius, quàm ſi quis periodum à verſu, vel hemaſticho ordiatur: vel cum verſu eandem aut parte ejus finiat. Ita Heroicus ille excidit Ciceroni Orat. pro Archia: in quo me non inficior mediocriter eſſe erſatum,& in prima Ep. ad Lentul. His ego conſiliis ſi te præſentem habuiſſem.

Cæterum hæc in dicendo vitia prout ingeniorum magna eſt varietas hoc magis etiam in ſcribendo apparent, ipſumque adeo ſtylum pluribus modis diſtinguunt. Etenim *puerilis* ille dicitur, qui nec varba nec ſententias aptà, & tumidum quandoque cum frigido permiſcet: *Frigidus* autem, qui humilia tantum & abjecta, trita atque communia affert. *Fluctans* & diſſolutus qui parum cohæret: oppoſitus illi, qui nimium imitationi addictus eſt: *Scholaſticus*, qui plurimis præceptionibus conſtrictus progreditur, *Poëticus*, ingenioſis quidem, numeris tamen

tamen pedibusque alligatus. *Siccus*, qui abſque omni ornamento & exſanguis planè. *Miſcellaneus* & antiquarius, qui varia lectione inflatus è ruderibus ſurgit, ob aſperitatem parum gratus: *Parenthyrſus*, qui grandibus & intempeſtivis affectibus in re parva fere inſanet: *Inflatus*, qui verbis & ſententiis plusquàm par eſt inſoleſcit. *Acutus* denique qui ſententiarum brevitate & cumulo tumet qualis eſt Senecæ. Optimus ſtylus rebus ſe accommodat, & humilia ſubtiliter: magna graviter: mediocria temperatè profert, ubique tamen perſpicuus, ſplendious, ſuavitatem & acrimoniam conjungit. & gracilis quidem venuſtatem: medius ſuavitatem: uber vim amplitudinemq; oſtendit. *Sublimis* atq; gravis ſtatus qui verborum & ſententiarum magna atque ornata conſtructione conſtat, in laudibus amplificandis verſatur commiſeratione quoque excitanda, vel indignatione quorum exempla ap. Cic. pro Rabir, Poſth. & Verrinis ſæpe occurrunt. Numeroſe ac volubiliter rem exequitur, atque adeo illius oratio Dactylo aſſurgit, ut Ariſtoteles quoque exiſtimarit, grandiorem eſſe hunc dicendi characterem, quàm ſoluta requirat oratio. *Infimus* quem & tenuem dicunt, quoniam quotidianum & familiarem ſermonem exhibet, non ducit in pompam numeroſas comprehenſiones, nec grandia membrorum corpora fundit: ſed plena modulatione ſenſum demulcet, lenioribus utitur figuris, frequentiores autem adhibet ſales & urbanitatis lepores, exemplum ejus in Lib. *1*. Act. 3. in Verrem Agraria prima, pro Sylla pro Cælio &c, *Mediocris* ſeu temperatus, aliquantum à

majeſtate verborum ac ſententiarū gravitate recedit, neque tamen prorſus ad humile genus ſe demittit: & junctura leni, æquabili ac ſuavi conſtat, in exemplum eſſe poſſunt Ciceronis Actio prima in Verrem. Orat. pro lege Manilia, pro Muræna, pro Archia &c. Genus demonſtrativum, ſtylum petit probe elaboratum & expolitum, argutum, illuſtrioribus concinnatum ſententiis atque verbis. Judiciale verecundiorem initio, acutiorem tamen ſententiis. Narrationes quotidianum ſermonem deſiderant, quo plus fidei rebus illis adhibeatur: In Confirmationibus, & præcipue, quando affectus excitantur, ſermo requiritur vehementior, figurarumque inſignis luminibus. Concluſiones adeo afficient auditores, ut ſine ſatietate delectent. Pueris denique ſtylus convenit humilior; juvenibus ardentior atque ornatior; viris ſolidior & elegantior; Principibus magnificus, ſententiis abundans; gravior & moderatior: Rhetoribus accuratior; concionatoribus ſanctior; Philoſophis ſimplicior: Hiſtoricis purior & validior; Sophiſtis verò omnibus gratiis ac leporibus affluentior.

Sigillatim verò ut Orationis virtutes exequar; verborum principio delectus adhibendus eſt, ut genuinis utamur, uſitatis ac perſpicuis, atque iis præſertim quæ ornatum Orationi afferant. Idioma linguæ quod ſpectat, in puro illud ſermone atque elegantia poſitum eſt; verba itaque adhibenda ſunt ſimplicia, & linguæ propria, eaque ita jungantur, ut nec genera, nec numeri, nec perſonæ nec tem-

pora,

pora, neque ſenſus perturbentur: perſpicuitati vix quicquam decedet, modo non inferciantur à communi uſu remota, ordine haud perturbato commiſceantur, ipſeque ſermo non ampliori exæſtuet ambitu: neque tamen per Ellypſes minus neceſſarias ſermoni quicquam ſubtrahatur, quod ad ſenſus integritatem pertineat. Ornatus verborum & ſententiarum è Doctrina de Elocutione repetendus eſt. Verba ſeorſim quod ſpectat, ſuperlativus ſonum graviorem quàm poſitivus habet; nomina quoque verbalia quàm derivata: compoſita quàm ſimplicia &c. ſententias verò in acri ſermone membratim cæſimque dicere expedit; in moderato cavendum, ne membra periodi longius excurrant, aut propter arctiores anguſtias jejuna videantur: in aſperis aſperi quoque adhibendi ſunt numeri, ut cum dicente æque audiens inhorreſcat: in lenis levibusque ſuaviores, ipſæque periodi crebrioribus intervallis & laxioribus nodis reſolvendi univerſim in rebus amplificandis leviori poſtponatur gravius: in imminuendis gravioribus leviora ſuccedant. Ad membrorum verò omnium concinnam rationem ea plurimum faciunt quorum ſimiles ſunt caſus vel exitus, vel quando eadem ferè dimenſione paribus paria referuntur, aut contrariis denique contraria, de quibus dixi in Rhetoricis.

Integro tandem Contextui Orationis ornatum adhuc ferè quatuor contribuunt: Venuſtas ſc. ſplendor, amplitudo & ſuavitas. *Venuſtatem* ſermoni præcipuam conciliat rerum natura verbis aptè ex-

preſſa, utpote celeriter ſc. tranſeuntia concitata velocitate vocum e. g. fluit unda volubilis, proutnatura ejus mollis eſt & lubrica, magna verborum gravitate e. g. Monſtrum horrendum ingens. Item: Nubila, lurida ſquallida, tetrica, terribilis nox. Utrumque conjunxit Poëta in deſcriptione fulminis: Lacerataque nubes Succumbens gemitu horrendum, & cava nubilà ſolvens, Fracta fragor, crepitusque caduca tonitrua torquent: Animo concitato & auſtero vultu prolata aſpero verborum ſono e. g. Cic. in Catil. Quid eſt Catilina, quod te delectare poſſit? quæ libido in oculis? quod flagitium à toto corpore abfuit? viciſſim: Muta jam iſtam mentem, obliviſcere cædis & incendiorum &c. Faciunt huc quoque plurimum epitheta, & verba ficta ad contumeliam. e. g. Gurges bonorum, peſtis Reipubl. Item: Non nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt. Exclamationes denique e. g. O tempora! ò Mores! O lutum! O ſordes! Ad *Splendorem* Orationis valent commoda partium diſpoſitio, temporum & locorum intervallis diſtinctæ figuræ, & ſi ea afferantur quæ in magna apud plerosque exiſtimatione ſunt e. g. Cic. in Piſon. Ego Catilinam cædem Senatus, interitum urbis non obſcure ſed palam molientem egredi ex urbe juſſi, ut à quo legibus non poteramus, mænibus tuti eſſe poſſemus.

Ego tela extremo menſe Conſulatus mei intenta jugulis civitatis, de conjuratorum nefariis manibus extorſi, ego faces jam accenſas, ad hujus urbis incen-

incendium, comprehendi, protuli, extinxi &c. Antecedentium quoque repetitio vigorem orationi addit: e. g. Cic. Philipp. 4. Non eſt, non eſt vobis Quirites cum eo hoſte certamen, quo cum aliqua pacis conditio eſſe poſſit. Neque enim ille ſervitutem veſtram, ut antea: ſed jam iratus ſanguinem concupiſcit. Nullus ei ludus videtur eſſe jucundior, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio civium &c. Ad rem *amplificandam*, maximè omnium conferunt deſcriptiones ab effectis præcipuè partibus & adjunctis, Hypotypoſes, Proſopopæjæ &c. de quibus in Rhethoricis e. g. Cic. pro Sylla: Quid ſi hoc (triumphos ſc. & laudum inſignia) non poſtulo? ſi ille labor meus priſtinus, ſi ſollicitudo, ſi officia, ſi operæ, ſi vigiliæ deſerviunt amicis, præſtò ſunt omnibus? ſi neq; amici in foro requirunt ſtudium meum, neque Respubl. in curia? Si me non modò rerum geſtarum vacatio, ſed neque honoris, neque ætatis excuſatio vendicat à labore? ſi voluntas mea, ſi induſtria, ſi domus, ſi animus, ſi aures patent omnibus &c. Et ad Quirit. In referenda gratia hoc vobis promitto, ſemperque præſtabo, mihi neque in conſiliis de Republ. capiendis diligentiam, neque in periculis à Republ. propulſandis animum, neque in ſententia ſimpliciter referenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro Republ. lædendis libertatem, nec in perferendo labore induſtriam, nec in veſtris commodis augendis gratam animi benevolentiam defuturam &c. Tandem ad *Suavitatem* quoque orationis plurimum faciunt ſermo comtus & elegans,

elegans, in partibus proportio in ſtructura concinnitas in ſententiis acrimonia, in periodis apti ad ſpiritum vocis termini atque fines e, g. Cic. 2. de Nat. deor. n. 100, At verò quanta maris eſt pulchritudo? Quæ ſpecies univerſi? Quæ multitudo & varietas inſularum? Quæ amænitas orarum & littorum? Quot genera, quàm diſparia, partim ſubmerſárum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad ſaxa nativis teſtis inhærentium &c.

Cæterum res hæc univerſa & lectionem ſeduſam & perpetuam fere exercitationem poſtulat. Inter lectiſſimos Autores primum & maximè uni Tullio diutius inſiſtendum arbitror, ut ejus ſtylo quaſi coloratus animus generoſo fætu impleatur; poſt haud ita multum erit laborandum de vocum optima indole, optimo genere dicendi, concinnitate ſermonis atque numeris periodorum. Quod enim accidit ſcribentibus, ut non de ſingulis literis cogitent, ſed ipſæ ultro ad verborum textum veniant: ſic ubi fuerit circumſcripta mente ſententia confeſtim verba etiam illa numeri ſuavitate, qua inſtillata fuere concurrent. Sed ut dixi ea res magnam quoque & jugem exercitationem flagitat; hæc enim longa conſuetudine conciliabit tandem habitum, ut expedite parem optimis Autoribus curſum Orationis teneamus. Principiò tamen (ut tyrocinio quodam) in ſcribendo numeris illis ſtylum adſtringere conſultum, non quidem omnino minutis & quaſi mutilatis, quibus in tenuitate rerum graciles uti ſolent: ſed

ſed optimis quibusque & ampliſſimis, à quibus dein proclivior ad ima deſcenſus ſit, quàm ab imis ad ſumma. Poſt ubi plurimum ſcribendo dicendoque profecerimus, tum porro laxare numeros pro ſententia & liberius ſpatiari licebit. Pronius enim eſt atque facilius orationem quaſi laxis habenis effundere, quàm certo numerorum vinculo & componendi moderatione frænare. Qui non cohibet ſciens, negligentia laborat; qui cohibere non poteſt, ignorantia, quod multò fædius atque turpius. Operæ quoque pretium facturum exiſtimat Voſſius, qui inconditam alicujus orationem in quadrum redegerit ac numerum; quemadmodum Lazarum Bonamieum celeberrimum humanarum artium in Gymnaſio Patavino Profeſſorem feciſſe memoriæ proditum eſt, & orationem Philadelphi, eruditam illam quidem, præclarisque ſententiis refertam: ſed nulla juncturæ elegantia & numeri prorſus expertem, verborum ordine mutato, ea forma exhibuiſſe, ut ab alio quovis, quàm à Philadelpho ſcripta videretur. Conſequemur certè hoc pacto, (ut verbis Ciceronis concludam de Orat. num. 229.) *ne quid eorum, qui hoc genus ſecuti non tenuerunt, ſimile faciamus, ne aut verba trajiciamus apertè, quò melius aut cadat aut volvatur oratio &c. Hæc vitia qui fugerit, ut neque verbum ita trajiciat, ut ad induſtria factum intelligatur, neque inferciens verba, quaſi rimas expleat, nec minutos numeros ſequens concidat de-*

lum-

lumbetque ſententias, nec ſine ulla commutatione in eodem ſemper verſetur genere numerorum, is omnia fere vitia vitaverit.

LIBER SECUNDUS DE VARIATIONE PERIODI

ARTICULUS I. DE VARIATIONE IN NOMINIBUS SUBSTANTIVIS.

PRoximum jam eſt, periodo conſtituta, variis eandem formis poſſe deſcribere, ipſaque hæc variatio vel partibus ejus accidit vel ipſi toti, & partibus quidem ſeorſim ſecundum varia partium orationis accidentia, nominis ſc. cum ſubſtantivi tum adjectivi: Pronominis, verbi, participii, & partium deniq; earum à quibus cæteroquin formæ illa ratio diverſa exulare ſolet. Principio autem *Subſtantivum* vel alio caſu exprimitur, vel numero, vel terminatione vel derivatione alia, vel per ſynonyma quædam, aut deſcriptionem aliquam cum proprii tum appellativi, vel transmutatione in adjectivum. pronomen, verbum participium velaliam quoque orationis partem: per tropum denique aut oppoſitum aut aliam conſtructionis formam.

Secundum CASUS autem varietas induci poterit ac prope ratione ſ. d. *Onus* hoc intolerabile eſt: *Oneris:*

Oneris illius moles excedit vires meas : *Oneri* huic impar ſum atque ſuccumbam : *Onus* hoc tolerare & ſuſtinere non valeo : O moleſtum id mihi *onus* : *Onere* iſto inferiores ſunt vires meæ. Item : *Vir probus* amat Deum : *Viri probi* eſt amare Deum : *Viro probo* nihil jucundius, quam amare Deum : *Virum probum* decet damare Deum : *O vir probe* ecquid dubitas amare Deum : à *viro probo* requiritur, ut amet Deum. Viciſſim : *Eruditio* ab omnibus laudatur : *Eruditionis* gratia plerique laudantur : *Eruditioni* optima tribuitur laus : Eruditionem cuncti maximo in honore habent & colunt : *O eruditio* mentis humanæ quantis tu à cunctis celebrare laudibus : in *Eruditione* potiſſima celebrium virorum laus poſita & ſita eſt. Porro : *Virtus* eſt amplectenda : *Virtutis* ſtudium amplexandū eſt : *Virtuti* ſtudeamus oportet : *Virtutem* merito unusquisque debet colere : *O virtus* beatâ quæ meritò ab omnibus colenda es : Omnes *virtute* ad veram gloriam debent contendere. Pariter in nomine proprio, e. g. Ariſtoteles eſt omnium Philoſophorum ſapientiſſimus ; adjectivum ſimul hoc in ſubſtantivum mutando : *Ariſtoteles* à nemine Philoſophorum ſapientia ſuperatur : Summa eſt *Ariſtotelis* præ omnibus aliis Philoſophis ſapientia : Haud ſcio , an quisquam Philoſophorum *Ariſtoteli* æquandus ſit ſapientia : Putasne *Ariſtotelem* ulli Philoſophorum ſapientia cedere : Quàm ſingulari ò *Ariſtoteles* ornatus es ſapientia ! In *Ariſtotele* ſummam omnium ordinum Commentatores repererunt ac deprehenderunt ſapientiam. Itidem i. d. Nemo

Phi-

Philoſophorum eſt ſapientior Ariſtotele, & nomen *Philoſophi* per pluralis numeri caſus deducendum ſit: Sint alii *Philoſophi* ſapientes ; atqui cum Ariſtotele contendere auſis, vixquemquā reperias: Ecquis *Philoſophorum* Ariſtotele ſe præſtantiorem jactaret? quem omnis Antiquitas uno ore Philoſophorum principem dixit: *Philoſophis* quidem aliis laudem non invideo, quin cuique ſuam libens concedo: Ariſtoteli tamen plerique Principatum facilè concedent: Omnes veteres *Philoſophos* & ingenii acumine & methodi dexteritate ſuperaſſe Ariſtotelem, nemo eſt, qui non confiteatur: Heus quotquot eſtis *Philoſophi* ſapientia vos inferiores eſſe Ariſtotele, non poteritis negare. Ex omnibus *Philoſophis* Ariſtoteles facilè ſapientiſſimus dicendus eſt.

Multis viciſſim modis unusquisque iſtorum caſuum, tam voce adjectiva quàm ſubſtantiva, variè efferri poteſt. Et primùm *adjectiva* quidem e. g. *Nominativus*: Plato doctus fuit præ cæteris & præter cæteros: Plato verè doctus dicendus eſt: Plato celebratur doctus eſſe: Quod Plato probè doctus fuerit, vix quisquam ibit inficias. *Genitivus.* Platoni eſt laus docti: Plato meretur nomen docti: Plato habet nomen docti: Quis non concederet Platoni nomen docti? *Dativus*: Docto Platoni qui laudem derogat, improbus eſt: Docto Platoni omnes boni litant: Docto Platoni vix quisquam eſt doctorum qui palmam non concedat. *Accuſativus* Plato adæquat virum doctum: Haud alium reperies perinde doctum. Platonem ſi legeris doctum ſenties: Pla-

Platonem legens doctum eum fuiſſe cognovi. *Vocativus*: O Plato docte, quis te non extollit? Quam verè ſcripſit atque eleganter docte Plato! O Plato docte, quis ingenium tuum non admiratur & veneratur. *Ablativus*: Nemo eſt inferior Platone docto. Vix quisquam ſapientiæ fama auſit contendere cum Platone docto: Omnia in Platone conjunctim reperies, quæ in cæteris ſeparatim In Platone docto ſumma cum Sapientiâ contendit & eloquentia.

Itidem voce *Subſtantiva* e.g. *Nominativus*, in Platone eſt maximum ingenium & omnis generis doctrina: Summa eſt divi Platonis doctrina: In Platone certat doctrina cum ſapientia, omnes implet numeros: Platonem nihil magis quam doctrina ejus commendat: Doctrina in Platone præter cætera eminet: Doctrina Platonis in cauſa eſt atque efficit, ut is à nemine non laudetur. *Genitivus*: Doctrinæ ornamento Plato cæteros antecellit atque eminet. Acumine Doctrinæ Plato omnium Philoſophorum eſt præſtantisſimus; Plato multis doctrinæ nominibꝰ eſt ſuſpiciendus. Magna eſt commendatio doctrinæ Platonis: Plato doctrinæ ſuæ laudatisſimum ſpecimen poſteris reliquit: Doctrinæ elogio Plato omnes ſuperat. *Dativus*: Doctrinæ præcipuè Philoſophicæ natus Plato videtur: Doctrinæ Philoſophicæ omnem vitam ſuam conſecravit: Philoſophicæ doctrinæ mirum in modum Plato deditus fuit, eique maximam operam dedit atque impendit: Doctrinæ Platonis, cui is omni vita maximo ſtudio incubuit, plurima laus debetur. *Accuſativus* ob doctrinam Plato-

ſumma apud poſteros laude ſemper fuit. Præter ſummam doctrinam Platonem prudentia quoque & eloquentia commendant: Plato præcellentisſimæ virtnti adjunxit doctrinam: Omnem Philoſophicam doctrinam Plato penitus animo imbibit: Nullam ferè doctrinam rerum humanarum Plato ignoravit: *Vocativus*: O excellens doctrina Platonis, quam in eo negare non inimici poſſunt: O plurima doctrina Platonis, quæ effeciſti, ut divinus poſteris dicatur: O doctrina ſummi Philoſophi cujus deſiderio diſcipuli ejus admodum incenſi. *Ablativus*. Doctrina Plato omnes ſui temporis philoſophos ſuperavit: Doctrina Plato cum omnibns Philoſophis facile potuit contendere: Doctrina philoſophica Plato inter philoſophos principatum tenuit: Doctrina Plato nulli unquam ceſſit, aut ſecundus fuit. Plato doctrina ſua immortalem ſibi gloriam peperit.

Denique & per Antiptoſin quam vocant vel Græciſmum multis modis caſus ſolent permutari, ut ſc. ponatur *nominativus pro vocativo* e. g. Vos ò patricius (patricie) ſanguis: (a) Ita Livius Lib. 8. Agedum Pontifex publicus populi Romani, præi verba quibus me devoveam. Plaut. in Captiv. Act. 1. ſc. 2. Abi ſtultus & Senec. in Herc. fur. v 893. Stantes Sacrificus comas Dilecta tege populo item. Nominativus pro *genitivo* a. g. Initio Reges (Regum) pars ingenium alii corpus exercebant *Genitivus* quoque *pro aliis Caſibus* e. g. Ejus rei (ea res) venit mihi in mentem (b) Sæpe pro *Ablativo* Tacit. 2. Annal. cap. 26. lætum animi militem. Horad. 1.

Od.

Od. 22. 1. Integer vitæ ſcelerisque purus. Claudian. de 4. Conſul. Honorii: velavit regina comas, feſtinaque voti Præſumtum diadema dedit. Et Statius in Sylvis. Laudum feſtinus, & audax ingenii. Nonnunquam nominativus, qui verbo ſubſtantivo à tergo addendus erat, in Genitivum pluralem mutatur. Horat. 3. Od. 13. Fies nobilium tu quoque fontium i. e. fons nobilis. *Dativus* pariter *pro aliis* e. g. Tullio cognomen Fuit Ciceroni (Cicero, vel Ciceronis) It. clamor cælo (ad cælum) Cic. 2. de Orat. Quod in unaquaque re juris beneficio populi Rom. habebam id tu mihi eripuiſti atque abſtuliſti ſe, mihi pro à me. *Accuſativus* quoque *pro aliis* e. g. Pro *Nominative* Terent. in Heaut. Illum (ille) ut vivat, optant. Plaut. 2. Menæchm. 1. Ego illum (ille) ſcio, quam cordi carus ſit meo. Non ſum id (ejus) neſcius pro *Dativo* in illo Plauti 1. Moſtell. 2. ſi illum inſervibis ſolum, dum tibi nunc hæc ætatula, in ſenecta malè quærere. & pro *Ablativo* Livius; ſuam magis vicem anxios, quàm ejus. Curt. Lib. 7. cap. 2. mæſtus non ſuam vicem. Cic. Lib. 9. Ep. 15. Res has magnam partem relinquere. Cælius Lib. 8. ep. 9. majorem partem nihil curare Cæſar. 4. bell. Gall. maximam partem lacte atque pecore vivunt. *Vocativus pro nominativo*, ut: macte virtute eſto, pro mactus eſt; quod tamen in uſu non eſt. Virgil. 2. Æneid. Quibus Hector ab oris Expectate (expectatus) venis. Perſ. Sat. 3. Cenſoremve tuum vel quod trabeate (trabeatus) ſalutas. Tandem & *Ablativus pro dativo*. e. g. hæret pede pes,

 i. e.

i.e. pes pedi: (e)Voſſius de Conſtr.cap.10. extr.inHiſtoricis peregrinam iſtam loquendi rationem non probat; Buchnerus autem de Commut. dic. rat. cap. 19. pag. 291. Mihi in Panegyrica oratione laudem talia inveniant; extra hanc verò intra vitium videntur ſtare, parcè & cum judicis uſurpata, quod res & locus maximè inſtruunt.

In *Numeris* verò etiam per mutatio nonunquam poteſt fieri, ut ſc. *pluralis* pro ſingulari ponatur e. g piarum mentium commoda & præmia innumera ſunt, pro pietatis vel pii hominis: ipſi vidimus, pro: vidi. vel *ſingularis* pro plurali e. g. conſcribere militem ſ. milites. Urbem armato milite complere, pro militibus: vel *certus numerus* ponatur: pro incerto e. g. O terque quaterque beati i. e. multis modis beati. In *Terminationibus* quoque nominum *abundantium*, ut ſunt buccina, & buccinum: lanius & lanio Pileus & pileum: materia & materies: avaritia & avarities: in *caſibus* etiam e. g. in *Genitivo*, domi & domus: in *accuſativo*, navem & navim: & *ablativo* cum ſingulari, felice & felici: tum plurali, poëmatibus & poematis; præcipuè ſi voces è Græco originem ducant, ejusdemque linguæ inflexionem quandoque ſervent ut Paſcha, Paſchatis. Sic Cicero 7. Verr. duo pocula non magna, veruntamen cum emblematis. Plaut. 4. Epid. 2. Hanc aſſerva Cirram (Circen) Solis filiam. Horat. 1. Od. 7. Laudabunt claram Rhodon, aut Mitylenen. Virgil. Ecl. 1. Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas. Ibidem viciſſim: Mirabar quid mæſta DEos Amarylli voca-

vocares & 11. Æneid. Quin ego non alio digner te funere Pallá. In *Plurali* quoque 6. Æn. Congeſta cremantur Thurea dona dapes, fuſo crateres olivo. Ecl. 4. divisque videbit permiſtos Heroas, & ipſe videbitur illis Martial. Lib. 1. Epigr. 1. Toto notus in orbe Martialis argutis Epigrammator libellis. Plin. Lib. 7. Sermonis dubii de Varrone: Quam maxime vicino Græco Græce dixit, ut nec Schematis quidem dicat, ſed Schemaſin.

Confinis huic permutatio inter *primitiva & derivata.* præcipuè diminutiva, ut ſi ponatur *primitivum* pro derivativo e. g. morbus Gallorum i. e. Gallicus; vel diminntivo, ſic Plautus 5. Perſ. 2. fruſtum pueri, pro: puerulo. Vicisſim *derivativum* ſc. diminutivum pro primitivo e. g. ne digitulo quidem eum tetigi, pro digito. Item: Nos homuli quantilli ſumus, pro: nos homines quanti ſumus. Sic quoque cum *numerus* diſtributus ponitur pro Cardinali e. g. bis ſeni juvenes, pro: bis ſex juvenibus. Vel Cardinalis pro ordinali e. g. Sexta cervice feratur i. e. ſex cervicibus. Nec ea hinc forma longe abit, quando *ſubſtantivum* tranſit in *adjectivum* e. g. ſi pro: homines, dicas: mortales, item, pro: vox hominis, vel humana. Horat. 1. Sat. 1. vel tibi ſi ſit opus liquidi non amplius urna; ubi liquidum ponitur pro liquore ſive aqua, & Sat. 10. Ridiculum acri fortius; ubi ridiculum ponitur lepido joco vel *participum*, ut ſi pro: Medici, dicas: Medentes: ap. Lucret. 1, 30. Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes cum dare conantur. Sic Pro-

 pertius

pertius 1, 6. arata dixit, pro: arationibus; & culta Cereris, pro: prædiis ac ſativis agrorum, qui coluntur. Et Plautus 3. Aſinar. 1. Antu tibi verba blanda aurum rere? dicta docta pro datis ſc. donariis. Sæpisſime verò etiam in *verbum* tranſit ſubſtantivum, poſitum ſc. pro caſu *nominativo* e. g. ſcire tuum (ſcientia tua) nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Item Deum timere & colere pro pietate. Sic Cicero 1. de Offic. decipere hoc quidem, non judicare eſt. Terentius 1. Andr 3. Si id peccare eſt, fateor id quoque. Plaut. 3. Aſin. 1. Hoccine eſt pietatem colere, matris imperium minuere. Nonnunquam verò infinitivus loco *accuſativi* verbis poſtponitur Horat. 2. Sat. 5. Nil ſibi legatum præter plorare. Perſ. Sat. 1. ad noſtrum iſtud vivere triſte reſpexi. Plaut. 1. Bach. 2. Hic vereri perdidit. Quin & Cicero 15. ad fam. 15. Ut ipſum vinci contemneret.

Simplicisſima quidem ſed maxime etiam illuſtris variandi ratio eſt quæ fit per *Synonyma*, quorum è bonis autoribus comparanda ſuppellex, ut in promtu ſint & congeſta jam reperiantur, talia ſunt enſis & gladius, liber & codex, item forma, decor. pulchritudo. Ex hoc genere verò optima & maxime commoda ſeligenda ſunt; vix enim duo verba repiruntur quæ non aliquo diſſideant diſcrimine, ſic prorſus idem notare videntur, acervus, ſtrues, ſtrages, ſarcina, faſcis, cumulus, congeries, theſaurus, mundus &c. E quibus, cumulus & congeries ſunt nomina generalia: acervus rerum minutarum: ſtrues lignorum: ſtrages cadaverum: ſarcina utenſilium:

faſcis

faſcis rerum geſtandarum: theſaurus pretioſarum: mundus muliebrium. Non tantum ergo requiritur in Synonymis colligendis ſedulitas: ſed impromendis quoque & adhibendis judicium. Præſtat enim judice Hermogene de Methodo cap.4. uno vocabulo uti ſæpius, quàm copiam ſermonis inepte atque intempeſtivè oſtendere. Neque verò ſeorſim tantum voces: ſed integra ſimul ſententia multis modis hac ratione proferri poteſt e, g. hæc: Pietas ad omnia utilis eſt h. m. Timor cultusque ille DEi & veneratio ſupremi numinis humano generi univerſo ad omnia bona comparanda, perquam idonea & commda, rebusque omnibus opportuna eſt. Item ſ. d. Homo doctus laudandus eſt h. m. ex parte *ſubjecti*: Homo eruditus literatus, literis omnibus perpulchrè inſtructus, ingenuarum artium longe callentiſſimus, omnigena rerum notitia dives, omnibus diſciplinis diſciplinis ornatus, Politioris diſciplinæ longe ſcientiſſimus, multiformi eruditionis ſupellectile inſtructus, meliorum literarum ſtudio cum primis inſignis, in nullo doctrinæ genere non perpolitus &c. Et ex parte *prædicati*, nullo non laudum genere eſt afficiendus, dignus publicis præconiis, omnibus laudibus celebrandus, omni laudum genere proſequendus, ornandus, honeſtandus, commendandus, celebrandus, prædicandus, illuſtrandus, in cœlum extollendus &c.

Præcipuè verò *periphraſeos* in hac re uſus maximus eſt; ſed ſi decorum ſervat; immodica ſiquidem gratiam perdit. prout verò ipſa ap. Philoſophos de-

 finito:

finitio: ita hæc quoque vel *nominis* eſt vel rei. Illa nomen ſc. evolvit: hæc ipſam rem explicat. Iſthac ratione heredipetam nominabimus illum, quia alienas hæræditates captat:paraſitum, qui menſas ob ambulat, & iis aſſentatur, aput quos *τὸν σῖτον* ſ frumentum panem & victum invenit: locupletem, que plenum locorum quæ poſſidet: philoſophum, hominem ſtudioſum ſapientiæ, & Rhetorem, à cujus oremellæ dulcior oratio fluit. Sic Auſon. Idyll. 26. ſacra ſigillorum nomine dicta, pro Sigillaribus dixit; nam Sigillariorum voxà ſigillis dicitur conſule Macrob. 1. Saturn. cap. 6. Extr. Similiter Lucanus Lib. 9. orbem ſignorum dixit pro ſignifero: *Rei* autem definitiones vel deſcriptiones potius, ſi peculatorem appellem compilatorem ærarij publici: Ebrietatem, Flagitiorum matrem, rixarum nutricem, turbationem capitis, ſubverſionem ſenſus &c. Mortem, ſomnium æternum diſſolutionem corporum, divitum pavorem, pauperum deſiderium, inevitabile fatum &c. Thronum Regis, arcembonorum, improborum ſcopulum, innocentiæ propugnaculum, inopiæ perfugium &c. Sic Cic. 5. Tuſcul. O vitæ Philoſophia dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitionum &c. Cornel. Nep. in Miltiade cap. ult. omnes habentur & dicuntur Tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua, in ea civitate, quæ libertate uſa eſt. Virgil. juvenes 2. Æneid. O vos quibus integer ævi Sanguis adhuc, ſolidoque ſuo ſtant robore vires. Et Juvenalis Palæſtinam Sat. 6. Obſervant ubi feſta mero, pede Sabbata Reges & vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Peri-

Periphraſis rerum viciſſim. duplex eſt, vel earum np. quæ nomen habent *proprium*, vel quæ commune. Illarum viciſſim vel mente præditarum, vel ejus expertium. *Perſonarum* quidem cum à *patria*, ut quando Muſæ dicuntur Pierides à Pieria regione ap. Virgil. Ed. 3. Pierides vitulam lectori poſcite veſtro: vel Sicelides à Sicelia Inſula ap. eund. ibid. Sicelides Muſæ paulò majora canamus. Pimpleis quoque à Pimpla monte Thraciæ ap. Martial. 11. Epigr. 4. Non urbane mea tantum Pimpleide gaudent Otia: Aonides ab Aone monte ap. Juven. Sat. 7. Cupidus Sylvarum aptusque bibendis Fontibus Aonidum; Sic quoque Caſtalides, Aganippides à Caſtalia & Aganippe fontibus. Vel patriæ *conditore*. Sic Romani à Romulo urbis conditore Romulidæ dicuntur ap. Perſ. Sat. 1. Ecce inter pocula quærunt Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent. Trojani à Dardano Rege Dardanidæ Virgil. 2. Æn. Ecce manus juvenum interea poſt terga revinctum paſtores magno ad regem clamore trahebant Dardanidæ. Athenienſes à Cecrope Rege Athenarum conditore Cecropidæ ad. Virgil. 6. Æneid. tum pendere pænas Cecropidæ juſſi. vel à *Duce*, ut focij Æneæ, Æneadæ ap. Virg. 1. Æn. Defeſſi Æneadæ, quæ proxima littora. Curſu Contendunt petere & Libyæ vertuntur ad oras; vel ab *illuſtri* gentis à familiæ *viro* quemadmodum majores Timodemia Pindaro Nem. β. appellantur Timodemidæ: Ægei majores Pyth. E. Ægeidæ, & Emmenis Pyth. 5. Emmenidæ. Vel à *parentibus*, e. g. *avo*, ita Mercurius ab avo materno Atlante di-

ctus Atlantides ab Ovid. 8. Metam. Venit Atlantides poſitis caducifer alis. Etiam à *matre*, ut Iliæfilij dicti Iliadæ ab Ovid. 3. Faſtor. omnibus agricolis armentorumque magiſtris Iliadæ fratres jura petita dabant. Sic quoque Phillyræ matris filius dictus Phillyrides à Virgil. ſub fin. 3. Georg. Ceſſere magiſtri Phillyrides Chiron. Tum denique ab *adjunctis* varijs. Cic. de orat. 3. Lib. illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Craſſi. Horat. 3. Od. 21. Virtus Catonis & 2. Sat. 1. Virtus Scipiadæ & mitis Sapientia Læli, Prudent. quoque in Hymn. 10. Martis indignabitur offenſa virtus pro L. Craſſo, Catone, Scipione, Lælio Marte. Sic quoque, Horat. 3. od. 12. Nitor Hebri pro Hebro nitente 1. Epiſt ad Jec. Acumen Stertinij pro, Stertinio acutulo. Viciſſ. 3. od. 5. Mens Reguli pro Regulo ſapiente. Sic quoque Auſon. Epigr. 121. Medæam vellet cum pingere Timomachi mens, pro Timomacho artifice. Virgil. etiam 7. Æneid. Corpus Turni, dixit pro Turno & Lucret 1. Corpora Divum, pro: Divis, viciſſim Virgil. 2. Æn. Facies Tyndaridis & Lib. 6. Imago Adraſti, pro Adraſto. Rerum denique periphraſis plerumque fit motione generis, ut urbs Trojæ Virgil. 1. Æn. Elidis 6. ib. 6. Mænia Lavini 1. Æn. Amnis Eridani 6. Æn. Fons Oceani Stat. 9. Theb. &c. nonunquam tamen adjunctis quoqualiis e.g. Aut. ad Herenn. Lib. 4. Scapionis providentiam Cartaginis opes fregiſſe, & Panegyriſta in laudem Conſtantini circa fin. Facile eſt vincere timidos & imbelles, quales amæna Græcia & deliciæ orientis

tis educunt. pro: Oriente. & Juvenal, Sat. 11. Dentibus ex illis, quos mittit prota Syenes, pro: Syene.

In *Appellativis* quæ vocant nominib9 miraPeriphraſeos eſt varietas,potiſſimũ verò pro diverſa ſignificandi ratione c.g.per voculam *Rei* ap. Plaut.2.Amphitr.2. Satiſt. parva res eſt voluptatum [proſparvæ voluptates ſunt] in vita atque ætate agenda, præ quod moleſtum eſt. O vid. 5. Faſtor. Ille ubi res cæli tenuit i.e. cælum. Terent. in Phorm. Ac ſi talentum rem reliquiſſe decem. pro: decem talenta. Hinc Prudent. 2. contra Symmach. Et res naturæ ſit publica promtaque cunctis. & in Apotheoſi. Nec ſaga clangore loquax & ſtridula cornix rem docuere dei pro: divina myſteria. Per vocabulum *Nominu* ap. Lucan. Lib. 6. vidi ego lætantes popularia nomina Druſos ſi. e. populares. Arnob. ſub init. Lib. 1. Poſtquam nomen eſſe interris Chriſtianæ religionis occepit. pro: poſtquam religio Chriſtiana intulit ſe mundo, prout ipſe mox pag. ſeq. & Salvian. 3. de Gubern. Dei. Nomen ingenuum hac flagitiorum labe non polluitur. pro; ingenui non polluuntur. Petronius etiam pag. 41. Nomen amicitiæ, ſi quatenus expedit hæret. Porro vocabulo *vis* copia plerumque rerum deſcribitur e. g. Livius lib. 1. cap. 37. Miſſis qui magnam vim lignorum [plurima ſc. ligna] influmen conjicerens, & eod. lib. cap. 51. Servum Turni auro corrupit, ut in diverſorium ejus vim magnam gladiorum inferri clam fineret. Curt. lib. 3. Magna vis ſaxorum ad manum erat. Virgil. 7. Æn. Furit intus aquævis.

Lucret.

Lucret. lib. 6. Fida canum vis. conf. Virgil. 4. Æn. v. 132. Juven. Sat. 6. verborum tanta cadit vis. Forma deſcribitur vocibus: *Formæ*, *Imaginis vultus*, *Faciej*. e. g. 9. Æn. v. 349. forma oris, pro: ore. & lib. 7. forma luporum, pro: lupis. lib. 6. Imago pietatis, pro: pietate. 5. Æn. vultus ſalis. 1. Georg. v. 48. facies ſcelerum. Sic quoque *figura* rotunda, globo, rota: falcata, falce etc. Lucret. lib. 4. Globus cordis. lib. 5. rota ſolis. Apulej. de Deo Socrat. Falx lunæ, pro luna. Et corpora beſtiarum voce *tergi*. Virg. 1. Æn. Terga ſuum lib. 7. Terga ferarum & lib. 9. Terga Juvencum. Sic quoque ap Senec. in Hippol. Terga biſontis; quemadmodum verò ap Lucret. lib. 6. Tergum terræ ſic quoque ap. eund. Lucret. lib. 1. Tegmen cæli. & lib. 3. tegmen corporis, pro: corpore. Vocum porro *Auctus* & *Augminis* in iis rebus uſus eſt, quæ auger poſſunt, e. g. ap. eund. Lucret. lib. 3. Augmen corporis, pro corpore. lib. 6. Augmen guttæ, pro gutta. ibid. ſtructus arboris, pro: arbore. & Auctus impetus, pro: impetu; Loca idem autor voce, *Templi* mutare ſolet lib. 1. Templa cæli. lib. 5. Templum mundi, & viciſſim ibid. templa mentis; loca quoque camporum lib. 2. pro: campis. Tempora denique deſignantur vocabulo *Seculi* e. g. Arnob. lib. 1. mortalium importata ſunt ſeculis, & viciſſim: ſubmovere de ſeculis. Lucret. lib. 2. ſæcla animantum, & lib. 5. parit omnia ſæcla ferarum. lib. 6. ſæcla virorum. etiam lib. 3. ſæcla ſcriptorum.

Per *Antonomaſian* quoque ut Rethores vocant com-

commutatio propria inter & communia nomina fieri ſolet tribus ferè modis. Primo quidem prout jam diximus, quando Patronymicum vel *Gentile* nomen ponitur. loco proprii e. g. Anchiſiades pro *Ænea* Anchiſæ filio, aut Pelides pro Achille qui patrem Pelea habuit. Sic quoqua Mantigena virgilius dicitur à patria Mantua, quam Mincius flumen alluit; & Mæonides vel Mæonius Homerus, à Mæonia, quæ & Lydia eſt, ubi Homerus natus credebatur. Et ejus modi innumera leguntur ap. Poëtas, ad quos cumprimis hæc loquendi ratio pertinet; quanquam nec cæteris eripienda, modò ne temerè adhibeatur. Caſaubonus ad Polyb. pag. 41. obſervat, Græcorum eam conſuetudinem fuiſſe, ut magnos & claros viros aliter, quàm propriis nominibus appellarent; e quò planum eſt, eos verum Patronymicorum uſum ignorare, qui vulgo ſe vocant: Petrides, Martinides, Johannides, Volckmarides etcc. quæ affectatam quorundam novitatem ſpirant. Goruel. Nepos ſæpius hac loquendi forma uſus eſt ſc. in Timoth. cap. 1. Aquo cum Laco [np. Lyſander] pecuniam accepiſſet. & viciſſim in Ageſilao, cap. 2. Inducias à Lacone petivit. pariter in Datame, cap. 2. Beilo præfecit propinquum Paphlagonis. Thyum ſc. notans, de quo in num. præced. Erat eo tempore Thyus Dynaſtes Paphlagoniæ etc. Sic Hannibal paſſim Pænus vocatur np. ap. eund. Nep. in Annib. cap. 10. init. Sic conſervatis rebus ſuis Pænus etu. ap. Polyb. quoque Liv. & Florum ut obſervavit Kirchmaj. in Ind. Cicero denique hac dicendi ratione uſus

lib. 2. Epiſt. 13, ad Q. fratrem Siculis ille (np. Philiſtus] capitalis, oteber. acutus, brevis pene puſillus Thucydides ex quibus ſatis apparet, non ſolis Poëtis transſcribendum hoc eſſe dicendi genus. Secundus porro Antonomaſias modus eſt, quando, [Quoniam ultra biennium h. l. operæ Typographi in excudendo hoc opuſculo ceſſarunt, amiſſa fere duo folia ſunt, quibus ſupplendis aliis negotiis diſtrictus Autor vacare non potuit] & ap. Gell. lib. 5. cap. 20, Græcorum idonei. Horat. 1. ad 10. ſuperis Deorum gratus & imis i. e. ſuperis & imis Diis. Apul. in apol. lib. 1. & STat. lib. 1. Thebaid. lecti juvenum, pro: juvenes. ſive *infæminino*: Turpes & pulchræ formarum; ſive *neutro*. Plin. lib. 12. cap. 3. Animalium noxia. Symmach. 1. Epiſt 94. Inter votorum ſumma conſtitues, Senec Epiſt. 95. Sanctiora ſacrorum & Lucret. lib. 4. v. 361. Saxorum ſtructa. vel *una* ſaltem, ut ſc. neutro addatur viciſſim vel *Maſcuini* generis nomen Tacit. 1. Anal. 61. ut occulta ſaltuum ſcrutaretur lib. 4. Sæva ventorum item opportuna locorum. Apul. 1. Metam. Ardua montium, roſcida ceſpitum, & globoſa camporum Minut. Fel. in Octav. Quid loquar aptè diſpoſita recta montium collium flexa, porrecta camporum. vel *Feminini*. Tacit. 2. Amal. prima Sylvarum. Senec. Conſol. ad Marc. cap. 25. æterna rerum. Apul. 4. Metam. ſingula rerum ſentiens. Symmach. lib. 10. Ep. 46. interpretationum dubia ſuſtinere. Lucan. lib. 10. v. 464. Cogunt tamen ultima rerum. vel. viciſſim, *ut adjectivo ſingulari genitivus addatur pluralis* ap. Cic.

Cic. 8. ad Att. Ep. 17. Pompejus: vos hortor, ut quot cunque millitum contrahere poteritis, contra hatis. Et ibid. ut miltum quot haberent ad nos deducerent. Quintil. lib. 12. Inſt. Orat. cap. 11. plurimum in eo virtutis, non nihil vitiorum. vel deniq; *adjectivo plurali genitivus ſingularis.* Tac. 2. Ann. valetudinis adverſa rimantes. lib. ſeq. amæna Aſiæ atque Achaiæ. & lib. 15. occulta conjurationis. Solin. cap. 48. Interiora Judææ Virgil. 4 Æn. cæli convexa tueri. Lucret. lib. 5. Fundarit cælum ac terram. pontique profunda & Lucan. lib. 10. Mundi devexa ſecutus. His accedunt formulæ ap. Terent. Act. 3. Andr. ſc. 4. nihil loci ſegnitiæ eſt neque ſocordiæ. Item multum eſt loci gaudio. Plurimum loci eſt tranquillitati.

Quædam præter hæc *adjectiva ſeorſim* variam commutationem ſuſtinent; exemplo ſit primum univerſalitatis vocula *omnis* quæ exponitur nonnunquam *per negationem* contrarii e. g. 2. Pet. 3. v. 9. Deus non vult ullos perire ſed omnes ad pænitentiam converti. Sueton. in Aug. cap. 32. Ad nullius non ſceleris ſocietatem coibant. Cic in Brut. de Anton. Nihil non ad tationem tanquam ad artem dirigebat. Et quoniam quæ univerſaliter proponuntur, rariſſimè ſolent concedi, & difficulter probantur, tanquam in re manifeſta *per interrogationem* proferri ſolent. Ita Cic. 1. de Offic. Quis eſt, qui mullio officii præceptis tradendis, philoſophum ſe audeat dicere! pro Arch. Quid horum Græche infirmari poteſt? qs. d. omnia eo quo dixi modo ſe habent

habent ; præcipuè vero in univerſalibus *negativè* per vocem *quotus quiſque* ut ap. Cicer. 1. de Nat. Deor, Quotusquiſq; formoſus eſt? & pro Plan. Quotus enim quiſque diſertus? quotusquiſque jure peritus. Et Tuſc. 2. Qnotus enim quiſque Philoſophorum invenitur, qui ita ſit moratus, ut ratio poſtulat? Porro per ſinoymum *Quicunque* Cic. 1. ad fam. ep. ult. Quæcunque à me ornamenta proficiſcentur 3. ad Att. Ep. 21. ſi quid erit quod perſpicias, quamcunque in partem quàm planiſſimè ad me perſcribas. & 1. de Orat. Per multos exellentes in quocunque genere videbis. Sueton in Claud. cap. 33. cibi vinique quocunque & tempore & loco appetentiſſimus. Et *Quiſque* Cic. 2. de Nat. Deor. Edixit, ut quod quiſ-à ſacris haberet, in ſuum quodque fanum referret. 6. Epiſt. Suæ quemque fortunæ maximè pænitet. & poſt red. ad Quir. Nihil dulcius hominum generi à natura datum eſt, quam ſui cuique liberi. præcipuè cum numeralibus. Cic. pro Rab. perd. Tertio quoque verbo excitabantur. & 4. Verr. Quinto quoque anno Sicilia cenſetur. Sæpe etiam ſimplici pronomine in neutro genere & particula ſi præpoſita univerſalitas indicatur e. g. ſi quid erat copiarum, amiſit. pro: Quicquid erat etcc ſi quid aliàs ſibi bone famæ comparerat, id jam perdidit h. e. Quicquid ſibi paraverat famæ, ſeu: omnem bonam famam perdidit. Sic Cicero in princip. Orat. pro Archia. Si quid eſt in me ingenii etc. aut ſi qua exercitatio dicendi etu. Præter hæc ad exaggerandam illam univerſalitatem, ſigno ejus aliæ quoque voces

ejusdem

ejusdem ferè ſignificationis ſubjiciuntur, e. g. vox *Omnino* Cic. 1. de Invent. Hoc genus & cætera ne ceſſaria & omnis omnino argumentatio, & ejus reprehenſio majorem quandam vim continet. viciſſim: Vis & in juria & omne quod obfuturum eſt 2. de Orat. M. Antonium omnino omnis eruditionis expertum atque ignarum fuiſſe. Ulpian. l. 1. D. de tab. exhib. Ad omnem omnino ſcripturam teſtamenti. Etiam negativè lib. cit. de orat. Herodotum etc. incauſis nihil omnino verſatum eſſe accepimus. Et mox: Theopompus & Euphorus etc. Cauſas omnino nunquam attigerunt: per Pleonaſmum quoque *univerſus* Plaut. Trin Act. 4. ſc. 3. Id genus hominum omnibus univerſis eſt adverſum Liv. lib. 23. cap. 18. [annorum. Thraſimenique & Trebiæ ſingulos admonens univerſosque. Apul. lib. 7. Talibus dictis univerſi omnes aſſenſere. Vel ad omnem adimendam exceptionem, voces? *ad unum* Liv. lib. 2. Quos Conſul Romanus in Algido conſecutus ad unum omnes occidit Cæſ. 5. de B. G. Noctu ad unum omnes deſperata ſalute ſe ipſos interficiunt. Cic. pro Planc. Cui ſunt aſſenſi ad unum omnes, & de Amic. De amicitia omnes ad unum idem ſentiunt. Aliquando in hac conſtructione vox omnis diſſimulatur. Aurel. Vict. cap. 14. Fabii in inſidias dilapſi ad unum occidione perierunt. Virgil. 5. Æn ſi non exoſus ad unum Trojanos. Ad exactam indicandam univerſalitatem vox *plerique* ſæpe præponitur. Plaut. Epid. Act. 2. ſc. 1. [ex lectione Douſæ] Plerique omnes, quoſcum nihil refert pudet, ubi pudendum eſt, ibi

eos deſeſit pudor Cæſar 2. bell. Gall. Pleriſque omnibus Gallis præmagnitudine corporum ſuorum brevitas noſtra contemtui eſt, &c. Terent. in Andr. Act. 1. ſc. 1. Quod pleriſque omnes faciunt adoleſcentuli. In Phorm. quoque Act. 1. ſc. 3. Ita pleriſque ingenio ſumus omnes. Exprimitur etiam univerſalitas per voces: *quantum eſt*, aut: *quicquid eſt*. Plaut. in Prolog. Pæn. vendit homini, ſi leno eſt homo, quantum hominum terra ſuſtinet, acerrimo. Cic. 3. de Offic. Hoc loco eſt Syracuſis, quicquid eſt piſcium. Tacit. 15. Annal. Exorta vis locuſtarum ambederat quicquid herbidum aut frondoſum. Symach. 1. Ep. 31. vir quantum eſt hominum in terris expectatiſſime. Silius Ital. 2. Quicquid ſcelerum pænarum quicquid. Prudent hymno 10. de Coronis: Et quicquid usquam eſt, una virtus condidit. Nonnunquam huic pronomini vox *omnium* eadem qua modo diximus ratione *adjicitur* Valer Max. Lib. 1. cap. 5. Animadvertit immenſæ magnitudinis ſerpentem omnes quicquid fuerat proterentem. Cic. in Verr. lib. 4: omnia quæcunque Carpinatus poſtulabat, facere & decernere ſolebat. Quemadmodum vero univerſalitatis particula in his abundat: ita quoque aliquando *omittitur* Cic. pro Rab. poſt. virum unum toties Græciæ juſtiſſimum Platonem. Sæpe etiam *diverſis caſibus repetitur*. Cic. l. cit. Omnes omnium ordinum homines. pro Roſc. Am. ut non omnem arborem in omni agro reperimus: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur viciſſim: Non in omnes arbitror omnia convenire 1. de Offic. In omni ſermone

mone omnibus affabilem ſe eſſe vult. & 7. ad Att. Hic omnia facere omnis debet ne armis decernatur. Elegantiſſimè deniq; univerſalitas *per enumerationem plurimorum* quæ ſub ea continentur *generum* explicatur Cic. 2. ad fam. Ep. 3. iis bonis quæ tibi natura ſtudio fortuna data ſunt. 2. ad Q. fr. 9. Ego te audio, quacunque de re publica, privata, ruſtica, urbana. 1. Philipp. A ſummis mediis infimis, denique ab univerſis hoc idem ſit. Apul. de Philoſ. Moral. Deus prima media & ultima obit. & Senec. de Ira lib. 3. cap. 5. Peſtilentia promiſcuè, imbecilla robuſtaque invadit.

Ab hac univerſalitate propius longiusve quædam abeunt, & ad *particularitatem* majorem minoremve deflectunt. Et principio *univerſalitas* quædam in modo ut vocant ſive *accommoda*, per voces *quantum, quantum, quantumcunque, quamlongum latum ve* ſolet deſignari Plaut. in Pæn Act. 3. ſc. 4. Homo furti ſe adſtringet, quantum quantum ad eum erit delatum ſc. pecuniæ ejus omnis, quæ ad illum delata fuerit. Terent. in Adelph Act. 3. ſc. 4. Tu quantus quantus nil niſi ſapientia es. & in Phorm Act. 5. ſc. 8. Quanta quanta hæc mæa paupertas eſt, curavi, ut mihi eſſet fides. Cic pro Marcello: Totum hoc quantumcunque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt inquam tuum de Finib. Debeo profectò quantumcunque poſſum in eo laborare. de Orat. Atque ego isqui ſum, quantuscunque ſum ad judicandum, ſic ſtatuo. viciſſim: Nos primi, quicunque eramus, & quantulumcunque dicebamus, con-

 vertimus.

vertimus. denique: Hyemem quam longa fuit [np: totam] in ſtudiis conſumſit. Magna rerum quoque *multitudo*, vocibus: *Copia*, *facultas vis*, *nubes* nimbus etcc deſcribitur. Cic. pro lege Manil. utinam virorum fortium tantam copiam haberetis. & de Orat. Rerum copia verborum copiam gignit. Epiſt. ad fam. lib. 6. Erit materies digna facultate & copia tua & pro Quinct. Hortenſio ſummam copiam facultatemque dicendi natura largita eſt. Id. ad Q. fratr. Quædam infinita vis lachrymarum & dolorum. de Legib. Quantam vim rerum optimarum mens humana contineat. Cornel. Nep. in Cimone cap. 2. Barbarorum maximam vim proſtravit, Epiſt. ad Ebr. cap. 12. v. 1. cum tanta nos circumſtet teſtium nubes Liv lib. 35. Equitum peditumque nubes jactat. Virgil. 4. Georg. de apum examine; ſuſpexeris agmen obſcuramque trahi vento mirabere nubem. nec non 10. Æn. Sic obrutus undique telis Æneas, nubem belli dum detinet omnes, Suſtinet. *Particularitatu* ſigna Quidam & aliquis vocibus: *Pars*, *genus*, *ſpecies* etcc. efferri ſolent Cic. de Orat. Res aliquas verbis deſignari, generibus illuſtrare, partibus diſtribuere. ad Att. Mulieres filiique parvi etcc itineribus neceſſariis aut magnam partem tectis ac tenebris continebantur. pro Cluent. Hæc ille & aliqua ex parte habebat, & majore ex parte habere ſe ſimulabat. Salluſt. in Jug. Eorum magna pars ſuperioribus locis feſſa conſederat. Id. Magna pars vulneribus confecti abeunt. viciſſim: pars capti, pars in crucem acti, pars beſtiis objecti ſunt. Cic. iterum

iterum de Orat. Ejus generis homines, & mox: ex eo genere. pro Cor. in omni genere & varietate artium excellere: ad Att. Tota Domus in omni genere diligens. Porro lib. 1. de Inv. Quod quadam parte & ſpecie differat. de Orat. virtutes ſpecie diſpares, prudentia conjunguntur. ad Attic. Hæc me ſpecies cogitatioque perturbat.

Quoniam verò adjectiva pleraque qualitatem deſignant, eaque ſæpiſſimè aptitudinem aut dignitatem ad aliquid: vel ejus contrarium non rarò & indigentiam alicujus rei, aut ordinem ad aliud connotant in his ipſis quoque varia hoc loco conſtructio proponenda eſt. Principio itaque adjectivum *aptus* vel *abſolute* ponitur Cic. de Seneƈt. Aptiſſima ſunt omnino arma ſeneƈtutis, artes exercitationesque virtutum. 13. ad Att. 36. Nihil poteſt fieri, nec commodius, nec aptius, quàm ut ſcribis & 1. Offic. ordo eſt compoſitio rerum aptis & accommodatis locis nec non 3. de Orat. ji ſunt in eo genere laudandi laudis, quod ego & aptum & congruens nominem, vel eum *Dativo* Cic. 1. Tuſc. Cum id non habeas, quod tibi nec uſu nec natura aptum ſit non careas, etiamſi ſentias, te non habere. in Bruto: Aptior Palicanus auribus imperitorum & viciſſim: Hæc genera dicendi aptiora ſunt adoleſcentibus. & ad Att. lib. 12. Ep. 28. Huic meo conſilio nihil reperio iſto loco aptius. Frequentiſſimè verò cum *accuſativo* intercedente propoſitione *Ad.* Lib. 8. ad Att. Aptus ad docendum. pro Milon. utri locus ad inſidias aptior fuerit. vel *inter* Cic. 3. de nat. Deor. init. Balbus multa

ta dixit, etiamſi minus vera, tamen apta inter ſe & cohærentia. in Partit. Tanta ſeries artis eſt, ſic inter ſe ſunt pleraque connexa & apta. Etiam cum *Ablativo* mediante præpoſitione *ex*. Cic. de fato. Si ea cauſa non ex æternis cauſis apta dicatur. in Parad. Is beatisſimus eſt, qui eſt totus aptus ex ſeſe. Et. Tuſc. Quæſt. cui viro ex ſe ipſo apta ſunt omnia, quæ ad beatè vivendum ferunt. Nonnunquam vox *aptus omititur*. Divites conferrent, qui oneri ferendo eſſent. lib. 30. cap. 6. Ea modo, quæ reſtinguendo igni forent, portantes. & 9. Pro ſe quisque, quæ diutinæ obſidioni tolerandæ ſunt, ex agris convehebat.

Non minus varia eſt conſtructio vocum *Dignus* & *Indignus*, nimirum vel cum *nomine*, & caſu quidem cum *Genitivi* per Græciſmum Plaut. in Trin. Act. 5. ſc. 2. v. 29. Non ego ſum ſalutis dignus Cic. 8. ad Att. ſuſcipe cogitationem digniſſimam virtutis tuæ: Sueton. in Ott. dignus ſucceſſionis imperii Virgil. 12. Æn. deſcendam magnorum haud unquam indignus avorum Ovid. 3. de Arte: Curia conſilii quæ nunc digniſſima tanti: tum *Ablativi* Cic. pro Arch. cognitione atque hoſpitio dignus. pro Domo: præclara voluntas atque omni laude digna 3. Phil. Philippus vir, avo patre majoribusque ſuis digniſſimus. Plancus Ciceroni lib. 10. ad fam. Ep. 7. ut dignum aliquid & conſulatu meo & veſtra expectatione efficerem. Sueton. in Aug. cap. 43. Siquid dignum cognitu ad vectum eſſet, vel *abſolutè* Cic. Phil. 2. Hominem dignum mittent: Num Servilio digniorem.

&

& Philipp. 3. hæc affert verba edicti : Nulla contumelia eſt , quam facit dignus, pro Quinct. Qui mæror dignus inveniri in tanta calamitate poteſt ? nec non 3. de Legib. digniſſima autam dona habentur & formæ ab uno pictore uno abſolutæ die. vel Græca viciſſim conſuetudine *cum infinitivo paſſivi* plerumque Cic. 2. de Inv. de Injuriis indignum ſit non judicari Horat. in arte poet. v. 183. digna geri. & v. 283. vim dignam lege regi Ovid. 1. Art. v. 686. vincere digna Venus Stat. 3. Thebaid. v. 173. laudanda rogas, nec digna negari vel mutato in *conjunctivum* intercedente pronomine quodam relativo vel conjunctione ut. Plaut. in Mil. Act. 4. ſc. 4. v. 4. Qui non ſum dignus præ te ut figam palum in pariete. Martial. 10. Epigr. 34. Dignus es ut poſſis totum ſervare clientem. Cic. pro Roſc. indigni qui imperarent. 3. de Off. dignus qui cum in tenebris mices. 3. de Legib. Qui modeſtè paret, videtur qui aliquando imperet dignus eſſe. Nonnunquam intercedit præpoſitio *pro* e. g ap. Lucret. Quis potis eſt dignum pollenti pectore carmen Condere pro rerum Majeſtate hisque repertis? Denique etiam *deſcriptiones* adhiberi ſolent per *nomina* ſc. ablativi caſus e. g. *jure* Cic. 3. Philipp. jure vexatur, ſi dignus eſt qui vexetur. Plin. lib. 10. ep. 26. tantis laudibus te omnes jure & vere ferunt i. e. dignus es, qui ferare. *merito* Cic. ead. Phil. merito veſtro maximas vobis gratias agere debemus. h. digni eſtis, quibus pro merito agamus gratias. Teren. in Eun. Act. 3. ſc. 2. plurimum te amo merito tuo e. dignus es pro merito quem amem. nonnunquam

hæ duæ voces conjunguntur. Cic. 3. Catil merito & jure laudantur. Flor. lib. 2. jure meritoque fateatur. Seneca 1, de clem. cap. 12. Dionyſius major jure meritoque præferri multis regibus poteſt: vel per *verba*, qualia ſunt *Mereor* vel promereor *cum Acuſativo* Plaut. Trin. Act. 5. ſc. 2. Non videor meruiſſe laudem. Plin. lib. 7. cap. 30. Salve etc linguæ lauream merite: Cum *Infinitivo* Arnob. 1. adv. gent. Gens noſtra felicitate donari meruit. Valer. Flaccus lib. 5. v 224. Soligenæ, falli meriti, mentique relinqui: aut *conjunctivo* intercedente conjunctione ut Cic. 1. de Orat. Interrogatus Socrates reſpondit ſeſe meruiſſe, ut ampliſſimis honoribus & præmiis decoraretur. *Decet* cum *Accuſativo* Cic. in Bruto Decet hoc neſcio quomodo illum ſc. Socratem. & *Dativo* Plaut. in Amphitr Act. 2. ſc. 2. Facinus, quod tu inſimulas generi noſtro non decet. Terent. in Adelph Act. 5. ſc. 8. Ita nobis decet. *Convenit*. cum *Dativo* Cic. pro Cæl. Hic introitus defenſionis adoleſcentiæ M. Cælii maximè convenit vel *infinitivo*. Cic. pro Quinct. oſtendi, quàm multa ante fieri convenerit quàm hominis propinqui bona poſſideri poſtularentur. Tandem & per verbum *debet* Juven. Sat. 3. v. 311. Pænas iratis debent. Horat. lib. 14. Od. 14. Tu niſi ventis ludibrium debes cave. Plerumque hoc verbum in partibus pejoribus aut inferioribus adhibetur.

Indigentiam præcipuè vocabulum *Opus* nec non *uſus* deſignant, conſtruitur tam cum verbo & elegantius participio, quàm cum nomine; cum

cum hoc verò vel ipſo themate ſive *nominativo* caſu Cic. 2. de Inv. Nobis exempla permulta opus ſunt. 2. Fam. Ep. 6. Dux nobis & autor opus eſt. Et Plaut. in Capt. ap. Nonium. omnes maritimi milites jam opus ſunt tibi: Quod ſi oratio finita in finitam tranſeat, nominativi regulariter in accuſativos mutantur Cic. 6. ad Att. Ep. 9. Dices, Nummos mihi opus eſſe ad apparatum triumphi & 7. Epiſt ad Fam. 31. Sulpitii tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuiſſe: vel cum caſu extremo np. *Ablativo* Cic. contra Rullum. Mihi ad hujus verbi vim vehementer opus eſt prudentia veſtra & ad Herenn. Præſidio mihi firmori opus eſt ad iſtam provinciam Plaut. in Truc. act. 5. v. 12. opus eſt igne, opus eſt carbonibus, faſciis opus eſt, pulvinis cunis incunabulis. Lucret. lib. 5. v. 233. Denique non armis opus eſt non mænibus altis. & lib. 6. v. 1079. Nec tibi tam longis opus eſt ambagibus. Eleganter verò ut diximus *ablativus* adhibetur *participii* Cic. in Parad. ult. Quis hunc non putet confiteri quæſito opus eſſe. ad Herenn. lib. 4. Tacito cum opus eſt, clamas lib. 10. ad Attic. epiſt. 4. opus fuit Hiſtori convento Plaut. in Pæn. Act. 1. ſc. 2. v. 106. opus eſt facto. in Bach. Act. 2. ſc. 2. v. 41. opus eſt invento. Terent. Andr. Act. 3. ſc. 2. v. 10. Non imperabas coram, quid opus facto eſſet puerperæ. & v. 43. Quod parato opus eſt, para. in Hecyra Act. 1. ſc. 2. v. 29. Non opus eſt prolato. Act. 3. ſc. 4. v. 17. In arcem. tranſcurſo opus eſt. Salluſt. in Catil. Antequam incipias conſulto, ubi

conſulueris maturè facto opus eſt. Symmach. lib. 6. Ep. 3. Præfato opus eſt, ſi ardua poſtulentur, cum *verbo* etiam plerumque *modo infinito* Cic. lib. 1. ad fam. Epiſt. 9 circa fin. legem curiatam conſuli ferre opus eſſe: ſibi neceſſe non eſſe lib. 7. ad Att. Epiſt. 8. Quid opus eſt, de Dionyſio tam valdè affirmare? an mihi nutus tuus non faceret fidem? Brutus lib 11. ad fam. Epiſt. 11. Tu quæ iſthic opus erunt adminiſtrari, proſpicies. Terent. Andr. Act. 1. ſc. 5. v. 31. Sed nunc peropus eſt, ut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa ad verſus hunc loqui. Nonnunquam & *conjunctivo*, Plaut. in Truc. Act. 2. ſc. 6. v. 19. Nunc tibi opus eſt, ægram ut te aſſimiles, & Act. 5. v. 11. opus nutrici autem ut habeat veteris vim; ut ibi dies noctesque potet. Sed *uſus* quoque vox pro *opus* ap. Autores paſſim adhibetur Cic. 5. de Finib. Mihi ſic uſus eſt, tibi ut opus eſt facto, face. 4. Tuſcul. De cæteris ſtudiis alio loco dicemus ſi uſus fuerit, & 1. de Offic. cap. 26. Et amicis impartientes & Reipubl. ſi quando uſus eſſet. Plaut im Amphitr. Act. 1. ſc. 3. v. 6. citius quod non facto eſt uſus, fit, quàm quod facto eſt opus, & Ciſtell. act. 1. ſc. 2. v. 10. Tacere nequeo miſera, quod tacito uſus eſt, Terent. in Adelph. Act. 3. ſc. 1. Non uſus facto eſt mihi nunc & Act. 5. ſc. 4. n. 38. Perme nonem terreat, quod facto uſus ſit. virgil. 8. Æn. v. 44. Nunc. viribus uſus denique ad notandam indigentiam Autores vel nomen *indigus* uſurpant Plin. lib. 8. Hiſt. nat. cap. 40. de canibus: Hæc erant fidiſſima auxilia, nec ſtipendiorum

diorum indiga Lucr. lib. 1. v. 60. Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri, vel verbum *indigeo* cum *genitivo* Cic. 1. de Orat. Exercitationes non tam artis indigent quam laboris. Philipp. 6. Hoc bellum indiget celeritatis. Terent. Andr. Act. 5. ſc. 3. v. 19. Quaſi tu hujus indigeas Patris, vel *ablativo* Cic. lib. 1. Ep. 3. ut vivo me, aliis indigeres, pro Roſc. Comed. mea adoleſcentia indiget illotum bona exiſtimatione. & Serv. Sulpit. 4. ad fam. Ep. 5. videamur aliorum conſolatione indigere.

Annotandum denique quàm varie identitas rerum aut diverſitas indicetur. *Identitas* quidem, per voces, *Perinde*, Cic. 13. Epiſt. ad fam. 49. A te peto, ut meas injurias perinde doleas, ut me exiſtimas dolere tuas ſolere. Philipp. 14. Perinde homines, ut quisque meretur judicant. & pro Cluentio: Perinde ut opinio eſt de cujusque moribus, ita quid ab eo ſit factum aut non factum ſit, homines judicant. & 3. Offic. infin. Munus mea ſententia magnum, ſed perinde erit, ut acceperis. Terent. Heaut. Act. 1. ſc. 2. v. 21. Hæc perinde ſunt ut illius animus, qui ea poſſidet. *proinde* idem in Hecyra Act. 2. ſc. 1. v. 21. Ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris. *Sic* Cic. lib. 13. ad fam. Epiſt. 69. init: Apud eum ſic Epheſi fui, quotiescunque fui, tanquam domi meæ. & de Senect. literas Græcas ſic avidè arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens. Terent. in Adelph Act. 4. ſc. 7. v. 21. Sic vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris. Liv. dec. 3. lib. 7. Ut parentum ſævitiam,

quiſquam in Curcul. Act. 4. ſc. 1. v. 17. Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam. Juven. Sat. 3. Modo longa coruſcat Saraco veniente abies, atque altera pinum Plauſtra vehunt. Horat. Ep. ult. Permutet dominos & cedat in altera jura. *Alienus* Cic. 1. de off. Difficilis eſt cura rerum alienarum. definib. lib. 1. n. 18. Epicurus in Phyſicis totus eſt alienus. Ulpianus 3. §. planè ff. de ho. lib. exhib. non oportet judicium fieri alienæ quæſtioni 3. ff. de Rei vind. Amiſſis centum remis totidem capita aliena. Julian. l. 5. nemo ff. de duob. reis. Nemo eſt qui neſciat alienas promitti poſſe. oppoſita verò & potiſſimum *Contraria* deſignantur eum per particulam *contra* Cic. pro Corn. Balbo n. 51. Atque utinam qui ubique ſunt propugnatore hujus imperii, poſſent in hanc civitatem venire: & contra oppugnatores Reipubl. de civitate exterminari. 1. Acad. quæſt. Non is ſum, qui obtrectem libenter, ſed contra qui laudem omnia. 1. de finib. Quæ bona ſunt mala putant, bona contra quæ mala. lib. 4. ad fam. epiſt. 3. Nos qui domi ſumus, tibi beati videmur: at contra, nobis tu præ nobis beatus. *Contrario* Æmil. Prob. in lumine cap. 1. n. 5. at apud illos contrario nemo ad id officium ad mittitur. vel *ex* ſive *è contrario*. Cic. pro Qu. Roſcio. Atque ego hoc ex contrario contendo. de orat. Itaque eadem ſunt in adverſarios ex contrario conferenda. 1. de Inv. Defenſor autem ex contrario primum dicet. lib. 1. ad Herem. Si neminem læſi, ſi etiam è contrario opem tuli & 5. de finib. E aontrario moderati

rati habitus. Cornel. Nep. in Iphicr. cap. 1. n. 4. Ille è contrario peltam pro parma fecit. & in Hamilcare, cap. 1. n. 2. Sæpeque è contrario occaſione data (hoſtem) laceſſivit. *Contrariè* denique idem notare ſolet, quod repugnanter Cic. in Partit. Idem de eadem re contrariè ſcriptum eſt. & de orat. contrariè ſcriptum aut ambigue, & viciſſim: verba relata contrariè. denique complexum *alia omnia* idem quoq; ſæpe ſignificare ſolet quod contraria Cic. pro Cælio. Omnia ſunt alia non crimina: ſed male dicta lib. 1. ad fam. epiſt. 2. de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia & lib. 10. ad Planc. Eum Senatus reliquit, & in alia omnia diſcesſit. Cæſ. lib. 8. de bell. Gall. Diſcesſionem faciente Marcello Senatus frequens in alia omnia tranſit. Salluſt. in Catil. Volturius interrogatus de itinere, deliteris etc. primo fingere alia omnia. Sueton in Nerone: Sed diverſa omnia arandoque evaſiſſe eam comperit.

Maxime propria Adjectivis *comparatio* vel contendens ſaltem cum una parte cui præferatur aut cedat, qui gradus abſolutè comparativus dicitur: vel ſuper cuncta ejus generis ſe efferens, aut ſubter ea omnia ſe demittens, qui ſuperlativus appellari ſolet. Et his *Comparativus* plurimis præter conſuetam & regularem formis efferri ſolet. & *generaliter* quidem per intendendi particulas *affirmative* poſitas. Cic. 1. de orat. *Multo* pauciores oratores, quàm Poetæ boni reperiuntur. Plaut. in Bach. Act. 1. ſc. 2.

ſc. 2. v. 24. Quem ego ſapere *nimio* cenſui *plus*, quàm Thalem in Rudent. Act. 2. ſc. 6. v. 37. Ego *multo tanto* miſerior (vivo) quàm tu Labrax. Virgilus Æn. At pedibus melior *longe* Lycus viciſſim Cic. 1. Tuſcul. Næ ego *haut paulo* hunc animum malim, quàm eorum omnium fortunas. 1. ad famil. epiſt. 1. Perſpiciebam in Hortenſii ſententiam *multis partibus* plures ituros. Et in quæſt. Acad. Solem. multis partibus majorem eſſe quàm terram. viciſſim 1. de Invent: Exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur quàm is, qui ſtultitia & temeritate alicujus adminiſtratur Gellius lib. 18. cap. 12. Nonne hoc *impendio* venuſtius gratiusque eſt, quàm ſi dicere; Salvian. lib. 4. de Gubern. Dei. Lege Catholica *ſine comparatione* meliores ſumus: vel *negativè* Cic. 2. de offic. *Non tanta* ſtudia aſſequuntur eorum quibus dederunt, *quàm odia* eorum quibus ad emerunt. ſc. odia majora. 3. ad Att. Ep. 19. *Neque tantum* eſt in re, quantus eſt ſermo h. e. ſermo plenior Caſſius ap. eund. lib. 12. ad famil. ep. 13. Nunc illa *non* ego quidem dici *tantopere* deſiderabo, quàm ſentiri à te ipſo. ideſt Magis deſiderabo ſentiri etcc. Terent. in Andr. Act. 4. ſc. 2. v. 15. *Non* Apollinis *magis* verum atque hoc reſponſum eſt. i. e. hoc æquè verum, & fortaſſe verius. Paulus l. 19. §. 5. ff. de captiv. poſſim. Ne contrarium jus *non tam* ipſi injuricſum ſit, qui ſervus ſemper permanet, quàm domino damnoſum conſtituatur, h. e. ne jus contrarium gravius damnum

num inferat domino, quàm injuriam ſervo. Virgil. Ecl. 3. v. 48. Si ad vitulam ſpectes, *nihil eſt quod pocula laudes* Plaut. in Pſeud. act. 2, ſc. 3. Aurichalco contra *non carum* fuit meum mendacium i. e. Meum mendacium carius fuit. interdum loco negationis ponitur contrarium Plaut. in Capt. Act. 2. ſc. 2. v 24. Ad Sapientiam hujus ille (ſc. Thales) nimius migater fuit. i. e. Hic Thalete fuit Sapientior. *Specialiter* verò per *verba præcellentiam* quandam notantia c.g. Cic: in Lælio. *Præſtat* amicitia & propinquitate h e. potior eſt. in Bruto. Totidem annis mihi ætate *præſtabat* natu ſc. major erat. 5. de finib. Ita fiet, ut animi virtutes non voluntarias *vincant* virtutes voluntariæ ſ. ſint. potiores & viciſſim: Animi virtus corporis virtuti *anteponatur* ſ. habetur præſtantior 1. ad fam. ep. 9. Bibuli fortunam omnibus triunphis victoriisve *ante ferre* i. e. præſtantiorem duco. in orat. Horum uterque Socratem ætate *præcurrit*, i. e. Antiquior eſt pro lege Manil. veſtram voluntatem & Reip. dignitatem etc meis omnibus commodis & rationibus *præferre* me oportet. ſ. potiorem habere. pro Rabir. ut Amicitiam patriæ *præponeret*. lib. 3. ad Herem.' *Antiquiorem* mortem turpitudine *habere* oportet. & 1. Tuſc. Ne ego haud paulò hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas. Plaut. in Pſeud. Act. 2. ſc. 3. v. 12. Centum doctorum hominum conſilia ſola hæc *devincit* Dea fortunæ. nimirum: præſtantior eſt fortuna & & potior conſiliis doctorum in Capt. Act. 5. fin. *Præverti* hoc certum eſt rebus aliis omnibus & in

Amphitr.

Amphitr. Act. 1. ſc. 3. v. 30. Ne me uxorem prævertiſſe dicunt præ republica. Terent. in Eunuch. Act. 2. ſc. 1. fin. Hæc *ſuperat* ipſam Thaidem, & forma præſtantior eſt. Arnob. 1. contra Gent. pag. 33. quod omnia ſuperavit & *transgreſſum* eſt munera h. e. omnibus muneribus potius fuit. Aut *Minorem dignitatem*. Symmach. lib. 7. epiſt. 51. Quibus ego veluti *herbam porrigens*. Auſon. ad Symmach. An quiſquam ita nitet, ut comparatus tibi non *ſordeat*? Virgil. in Bucol. utque viro Phœbi chorus *aſſurrexerit* omnis. Idem Ecl. 7. v 17. *Poſthabui* tamen illorum mea ſeria ludo. Terent. Hecyr. Act. 3. ſc. 5. v. 33. Cum te *poſt putaſſe* omnes res præparente intelligo. Autor vitæ Virgil. *Cedite* Romani Scriptores, cedite Graji. Neſcio quid majus naſcitur Iliade.

Superlativus itidem variè effertur, & quidem per *negationem* ſeu *excluſionem comparationis* ratione *ſubjecti abſolutè* Cic 1. ad famil. ep. 9. Exiſtimes neminem cuiquam neque chariorem neque jucundiorem unquam fuiſſe 2. de Nat. Deor. Nihl omnium rerum melius eſt mundo. Plaut. in Aſinar. *Act.* 3. ſc. 1. v. 38. Te ædepol nihil eſt impudentius vel *in ſpecie* aut *ſingulari* Plaut. in Capt. *Act.* 4. ſc. 2. v. 48. Qui homine adæque nemo vivit fortunatior Virgil. 1. Æn. v. 548. Rex fuit Æneas nobis quo juſtior alter nec pietate fuit nec bello major & armis ratione *forma* ſecundum quam comparatio inſtituitur. Cic. 9. ad fam. Ep. 14. Nihil mihi cre-

de virtute formoſius, nihil pulchrius; nihil amabilius. & de Nat. Deor. Nihil mundo præſtabilius, nihil pulchrius: nec ſolum nihil eſt: ſed nec cogitari quidem quicquam melius poteſt. *Additur* nonnunquam eleganter voces *quisquam alter*, *alius* &c. Plaut. in Perſa *Act.* 4. ſc. 4. v. 96. Nemo quisquam acceptior in Mil. *Act.* 3. ſc. 1. v. 65. Non invenies alterum lepidiorem ad omnes res. in Mercat. *Act.* 1. ſc. 1. v. 100. Qua mulier alia nulla eſt pulchrior. Loci. Martin. Opitius Epigr. ad Caſp. Kirchner. *A*ccipe vix alium magis iſto munere dignum Quærere ſol etiam ſi velit ipſe queat. *Temporis.* Cic. pro domo. Erat res poſt homines natos pulcherrima. 2. ad fam. ep. 5. Ne in illa quidem re, poſt hominum memoriam maxima, hortatorem deſideraſti. Cornel. Nep. in Themiſt. cap. 5. pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima poſt hominum memoriam claſſis eſt devicta. Per *affirmationem* verò præponendo vel *particulam* in quavis augendæ ſignificationis. Terent. in Heaut. *Act.* 2. ſc. 3. v. 127. Eadem ut eſſet apud te *quam* gratiſſima. Curt. lib. 4 cap. 6. Bactrianorum ducem, *perquam* maximo poſſet exercitu coacto deſcendere ad ſe jubet. Cic. pro C. Rabir. Quorum in hac civitate *longè* maxima conſilia atque ingentia fuerunt. Plaut. in Moſtell. Act. 3. ſc 3. v. 8 Porticus longè omnium longiſſima eſt Corn. Nep. in vita *Attici* L. Julius Calidius *multò* elegantiſſimus Poëta. *Tacit.* 1. *Annal.* cap. 4. Pars multò maxima. Cic. pro Rabir. virum unum totius

Græcia

Græciæ *facilè* doctiſſimũ Platonem 1. Tuſc: ut eſſet facile deterrimus: in Verr. Homini *imprimis* glorioſiſſimo reſpondet, Plin. lib, 17. cap. 7. de Abſinthio: Convenit dicere herbæ facillimè atq; inter *paucas* utiliſſimæ. Virgil. *ante alios* pulcherrimus Turnus. Apule. de Philoſ. morali. Qui nec planè optimi, nec *oppidò* deterrimi ſunt. Gell. lib. 13. cap. 15. Bonas artes qui ſincere cupiunt, ii ſunt vel *maximè* humaniſſimi. Vel *poſitivum* Cic. 13. ad fam. ep. 3. Tam mihi id *gratum* erit, quàm quod gratiſſimum. & lib. 5. epiſt. 2. Tam ſum *amicus* Reipublicæ quàm qui maximè. Idem in Lælio Tanta eſt inter eos, quanta maximè poteſt, ſtudiorum diſtantia. vel *comparativum*, Plaut. in Amphitr. Act. 3. ſc. 2. v. 25. Niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo. Cic. 14. Epiſt. Ego autem hoc miſerior ſum, quàm tu, quæ es miſerrima. Horat. lib. 1. Od. 16. O Mater pulchra filia pulchrior. Vel etiam *ſuperlativum*. Plaut. in Capt. Act 4. ſc. 2. v. 56. O mihi quantum eſt hominum optimorum optime, in tempore advenis, deſcribitur etiam ſuperlativus *formulis* ampliſſimum *exceſſum* deſignantibus. Cic. 5. in Verr. Nihil jam addi poſſe videtur ad hanc improbitatem. Viciſſim: Si cum illorum improbitate certet, longè omnes multumque ſuperabit. Plaut. Ciſtell. Act. 2. ſc. 1. v. 3. Qui omnes homines ſupero atque ante eo cruciatibus animi. Curt. lib. 3. Ita ſe geſſit, ut omnes ante eum Reges & continentia & clementia vincerentur. *Viciſſim* Cic. 11. ad fam. ep. 22. Dii malefaciant homini iſti nequiſſimo omnium 2. Offic. Omnium hominum mode-

ſtiſſimus Q. Mutius. Plaut. Moſtell. *Act.* 3. ſc. 1. v. 65. Homo hominum omnium teterrime. *Iterum* Cic. 9. ad famil. Ep. 14 Eſt non alienum à dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni Regum Regi fuit honeſtum. Vel *eminentiam* præ cæteris Cic. 15. ad fam. ep. 4. Si quisquam fuit unquam etcc. remotus ab inani laude & ſermonibus vulgi: ego profectò is ſum. de finib. Si eſt quisquam, qui acutè in cauſis videre ſoleat, quæ reſagatur, is profectò es tu. Terent. in Prologo Eun. Si quisquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis quam plurimis etcc. In his Poëta nomen profitetur ſuum. Vel *excluſionem* aliorum Cic. 13. ad famil. Ep. 45. L. Egnatio uno equite Romano familiariſſimè utor. lib. 3. ad Herenn. utile putamus, ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognoſci. Plaut. Aſin. Act. 4. ſc. 1. v. 3. Poëta es ad eam rem unicus. vel denique *figuris interrogandi*. Cic. Div. in Verr. Quid eſt quod populo Rom. gratius eſſe debeat. Plaut. in Amphitr. Act. 1. princip. Quis me alter eſt audacior homo, qui me confidentior. Et in Rud. Act. 5. ſc. 1. v. 1. Qui me mortalium eſt miſerior, qui vivat alter hodie. *exclamandi* Cic. 9. ad fam. Epiſt. 20. Qua munditia homines! qua elegantia! Plaut. Aul. Act. 5. ſc. 1. v. 1. Dii immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis. Virgil. 2. Georg. v. 458. O fortunatos nimium ſua ſi bona norint, Agricolas! denique per *Hyperbolen* Plaut. in Pænul. Act. 5. ſc. 4. Hanc canem reddam tibi oleo tranquilliorem. Ovid. 4. de Pont Eleg. 14. Illyrica, ſi pice nigrior eſſem, Virgil. Ecl. 7. Ne-

cine

rine Galathea thymo mihi dulcior Hyblæ, Candidior cygno, hedera formoſior alba.

Pronominum porro, prout ipſa diverſi generis ſunt, ita quoque multiplex in ſermone Commutatio. Et principio quidem quod *demonſtrativa* ſpectat articularibus in caſibus potiſſimum in S. deſinentibus euphoniæ gratia, ſyllaba *ce* addi ſolet. Terent. in Eun. Act. 1. ſc. 2. v. 18. Hos conſector; hiſce ego non paro me ut rideant v. 38. hiſce hoc munere arbitrantur ſuam Thaidem eſſe. Et in eadem Comædia. Act. 1. ſc. 2. v. 71. ſine illum priores partes hoſce aliquot dies apud me habere. & Act. 4. ſc. 7. v. 11. Tu hoſce inſtrue. Et ad orationem uberiorem pronomini *hic meus* ſolet aut *noſter* : pronomini verò *iſte* ; *tuus* aut *veſter* adjungi. e. g. ſ. d. Jlle meus frater Cic. 1. ad fam. Huic meæ rogationi potius non continuo reſponderunt. Item. Hæc noſtra laus erit illuſtrior. & Liby. Jlle tuus amicus ap. me commendatione non eget. Nonnunquam *pro perſona* ſubſtitui ſolet illius *adjunctum* Cic. 3 ad fam. ep. 2. Pluribus verbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem expectaret. Valer. in prologo ad Tiber. Cæſ. Mea parvitas eo juſtius ad favorem tuum decurrit. Symmach. lib. 3. ep. 70. Sæpius alloqui præſtantiam tuam non piget. vel *nomen proprium* Plaut. in Amphitr. Act. 2. ſc. 2. v. 44. Amphitruo uxorem ſalutat. & Trinum. Act. 5. ſc. 2. v. 27. Charmidem ſocerum ſuum Lyſiteles ſalutat. Terent. in Eunuch. Act. 2. ſc. 2. v. 39. Plurima ſalute Parmenone ſummum ſuum impertit Gnatho; Ovid.

in Epiſt. Penelopes ad Ulyſſem: Hanc tua Penelope lento tibi mittit Ulyſſi. Seneca in Troad. v. 570. Non facile eſt tibi decipere Ulyſſem. v. 750. Non hoc Ulyſſes ſed negat Caletas tibi; vel denique *deſcriptio* quædam. Cic. 6. ad Attic. epiſt. 8. Sed heus tu, numquid moleſtè fers de illo, qui ſe ſolet ante ponere patruo ſororis tuæ filii? (mihi ſc. Nam Quintus frater Ciceronis ex ſorore Attici genuerat filium Q. Ciceronem) & lib. 5. ad fam. ep. 2. Qui quâ pœna Senatus conſenſu omnium bonorum eos affecerat, qui urbem incendere, Magiſtratus ac Senatum trucidare, bellum maximum conflare voluiſſent: eadem dignum judicarent eum, qui curiam cæde, urbem incendiis Italiam bello liberaſſet (ſc. qua pœna Senatus Catilinam, eadem illi me afficere decreverunt.) Eleganter quoque Demonſtrativum pronomen pro *Poſſeſſivo* uſurpatur. Cic. Catil. 1. A cujus altaribus ſæpe iſtam [tuam ſc.] dextram impiam ad necem civium tranſtuliſti. Plaut. in Pſeud. Act. 2, ſc. 4. Si quidem hoc vivet caput [np meum] in Milite, Act. 2. ſc. 4. Atque his oculis [meis] quidem vidi. *Poſſeſſiva* verò nonnunquam ſolent *deſcribi*. Cic. Lib. 2. ep. 3. ut iis bonis quæ tibi natura ſtudio fortuna dicta ſunt [tuis ſc.] facilius omnia, quæ ſunt in Republ. ampliſſima, conſequi poſſis, quàm muneribus. In *Relativis* ſæpius ſolent poni *Is* pro *qui* Cic. 13. ad fam. ep. 49. venit mihi obviam puer tuus, is mihi literas abs se reddidit. & 1. Tuſc. Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen; is Conus vocitatus eſt pro *prima perſona* etiam Plaut. in mercat.

cat. Act. 3. ſc. 4 v. 47. Ego credidi homini docto rem mandare; is lapidi mando maximo vel *ſecunda*. Idem Plaut. in Epid. Act. 3. ſc. 1. v 9. Qui tibi cui divitiæ domi maximæ ſunt, is nummum nullum habes? *quis* pro *aliquis* Cic. ad Brut. Quare ſiquis ſecus ad te de eo ſcripſit. de provinc. Conſular: ſi quis veſtrum expectat. pro Cælio: Siquis fortè nunc ad ſit ignarus legum. Liv Dec. Lib. 1. Ne quam ſtirpem ne quem hæredem regni relinquat. & Dec. 4. lib. 5. Si qua res te ad pacem compellet. Nec non *quisquam* aut *ullus* pro eodem Cic. 3. de nat. Deor. Si uredo aut grando quippiã nocuit. pro legeManil. & quisquã dubitabit, quin Cn. Pompejo tantum bellum transmittendumſit & pro Balbo: Si quisquam hujus imperii defenſor mori poteſt. Plaut. in Truc. Act. 2. ſc. 2. v. 38. Quaſi verò corpori reliqueris tuo poteſtatem coloris ulli capiendi. Sæpe vero etiam pro relativis pronominibus poni ſolent adverbia. Terent. in Eunuch. Act. 2. ſc. 3. v. 1. 9. Digna res eſt, *ubi* [in qua] nervos intendas tuos Varro. lib. 7. de Lat. ling. Quarum rerum uſus erat ſimplex: *ibi* [in iis] etiam vocabuli declinatio. Terent. in Eun. Act. 1. ſc. 2. v. 34. È prædonibus *unde* [à quibus] emerat, ſe audiiſſe. in Adelph. Act. 1. ſc. 2. v. 22. Nati filii duo: *inde* [ex iis] hunc majorem adoptavi mihi Plaut. in Capt. Act. 1. ſc. 2. fin. Ad fratrem, *quo* [ad quem] ire dixeram, mox ivero ſalluſt. in Jugurth. Poſtquam Roma egreſſus eſt, fertur *eò* [ad eam] ſæpe tacitus reſpiciens, poſtremo dixiſſe. Varro. 1. de re ruſt. cap. 16. Si viæ ſunt, *qua* [per quas]

plauſtra agi facilè poſſunt, Cic. 3. de Orat. Quid aliud eſt cauſæ, *cur* [propter quam] repudietur.

ARTICULUS III.
DE
VARIATIONE VERBORUM.

VErbis prout plura accidunt. np. genus, modus, tempora, hoc quoque in iisdem major obſervatur varietas. In genere autem & principio quidem quod in nominibus, idem quoque non raro in verbis fieri videmus, ut eleganter *opoſitum cum negatione* pro poſitivo adhibeatur. Cic. 1. de Orat. Non hoc te fallit Craſſe. lib. 2. Non ſum neſcius Scævola, iſta inter Græcos dici ſolere. pro Cluent. illud me non præterit. pro Sylla: Non ſum neſcius. Ad famil. lib. 2. Ep. 4. Epiſtolarum genera multa eſſe non ignoras. & ad Attic. lib. 5. Ep. 13. ſcrupulum quem non ignoras. Sic quoque lib. 7. ad fam. ep. 1. nemo negat. pro, omnes affirmant; frequens quoque ap. eundem: non intermittam i. e. faciam. *Derivatum*, præcipuè inchoativum aut frequentativum, emphaſeos gratia, *pro primitivo*. Cic. pro domo: Boni viri dictitabant; pro: paſſim dicebant & de Clar. Orat. Quam Deam in Periclis labris ſeſſitaſſe ferunt. ad Brut. Ingraveſcit indies inteſtinum malum. Idid. obdureſcunt magis quotidie boni viri ad vocem tributi: Plin. lib. 11. Hiſt. nat. cap. 11. Quum mella cæperunt matureſcere, abigunt fucos. Genera autem verborum quod ſpectat, *Activum* & *paſſi-*

paſſivum ſæpiſſime inter ſe permutantur Cic. 2. de Nat. Deor. A dentibus extenuatur & molitur cibus. Et mox: Confectio etiam à lingua adjuvari videtur. pro: dentes moliunt cibum: Dentes adjuvant confectionem. Terent. Heaut. Act. 2. ſc. 3. v. 8. Factum à nobis ſtultè eſt; pro ſtultè fecimus. Omittitur autem aliquando vel in paſſiva conſtructione Seneca 2. Contr. 1. Tunc & contra Maximum Stertinium(à) àquo premebatur, cum comes ejus fuiſſet, dixit. Ovid. 9. Metam. Et decimum premeretur (à) ſydere ſignum. Sil. Ital. lib. 8. Jliaco poſtquam deſerta eſt hoſpite virgo. Auſon. in Cæſarib. Galba ſenex periit ſævo proſtratus Othone: vel *ablativus* Terent. in Eun. Act. 2. ſc. 2. v. 40. Quid agitur? ſtatur. [ſc. a Parmenone] Idem in Prolog. Heaut. v. 44. Si qua laborioſa eſt, ad me curritur. Cæſ. 3. de bello Gall. Expectari diutius non oportere, quin ad caſtra iretur. Virg. Ecl. 1. v. 12. undique totis usque adeo turbatur agris. Aliquando *Ablativus ille in Dativum tranſit*. Cic. pro Quinct. Confitendum, qua tibi [à te ſc.] vadimonium non ſit obitum, eadem te hora conſilium cepiſſe. Tacit. in Agric. 2. Legimus cum Aruleno Ruſtico Pætus Traſea, Herennio Senecioni Priſcus Helvidius laudati eſſent, capitale fuiſſe. Virgil. 1. Æn. v. 330. Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum Lucan. lib. 10. v. 29. victasque patri deſpexit Athenas. Sil. Ital. lib. 6. v. 619. Laudaturque Jovi Fabius. Et *Præpoſitio A. in aliam* Tacitus 15. Hiſtor. cap. 13. fin. donec cuncta ex pugnandis urbibus reperta *apud* veteres. pro; à veteribus Horat.

3. Od. 14. Si *per* inviſum mora Janitorem Fiet, abito. Prudent. Hymn. 5. Et *de* languidulis fota natalibus lucem perſpicuo flamma jacit vitro. In *Infinitiv activo & paſſivo* nonnunquam *promiſcuè utimur* e. g. Turpe eſt rempublicam negligere ſ. negligi. Cic. Bellerophontis literas fertis, exitium ad ſe tuum portari neſcit pro: portare.

Quoad *Modos Indicativus* non rarò *mutatur in Conjunctivum*; Notæ enim ſunt quæ paſſim leguntur apud Ciceronem formulæ: Tu ipſe velim judices. Pace tua dixerim. Pergratum mihi feceris; pro: volo, dicam facies. Et in *præſenti* quidem Cic. 3. de Orat. Ego te conſulem putem, cum me non putes Senatorem. pro Roſc. Andr. Quid primum quærar? aut unde potiſſimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam. 12. ad fam Epiſt. 17 me ſcito, dum tu abſis, quaſi occaſionem & licentiam nactum ſcribere audacius. Plaut. in Amphitr. vir ego tuus ſim? Quintil. lib. 6 cap. 5. videas enim plerosque ira percitos Virgil. 4. Æneid. Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes. Ovid. 1. Triſt. Eleg. 6. Quæ quoties ſpectas, ſubeat tibi dicere forſan etec. In *Imperfecto* Cic. lib. 15. ad fam. Ferreus eſſem, niſi te amarem. 8. ad Att. Plura ſcriberem, ſi ipſe potuiſſem. ad Brut. Scriberem ad te plura, niſi ad te hæc ipſa nimium multa eſſent. Terent. in Phorm. Act. 5. ſc. 1. Ego autem, quæ eſſem anus, deſerta, egens, ignota, ut potui, virginem nuptam locavi huic adules centulo, Cic. viciſſim pro Rabir. perd. Tu denique Labiene quid faceres tali in re ac tempore?

Salluſt.

Salluſt. in Catil. circa fin. Sed confecto prælio, tum verò cerneres quanta audacia, quantaque vis animi fuiſſet in exercitu Catilinæ. Virgil. 8. Æn. At tu dictis Albane maneres. In tertia denique perſona. Cic. 5. Tuſcul. Nunquam id diceret, ſi ipſe ſe audiret. Terent. in Andr. Act. 1. ſc. 1. v. 3. Nec ſatis ad objurgandum cauſæ, diceret: quid feci: Ovid. 8. Metam. Pater hujus eras, qui numina divum ſperneret, atque aris nullos adoleret honores. In plurali quoque Cæſar. 3. de bello Civ. ubi cognoſcit conſenſu omnium Antiochenſium civiumque Romanorum, qui illuc negotiarentur, arcem Antiochiam captam eſſe. Pater. In *Perfecto*, Cic. in Bruto. Refertæ ſunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim & legerim 5. Tuſcul. Præcidi caput juſſit M. Antonii, omnium eloquentiſſimi, quos ego viderim. Plaut. in Amphitr. Act. 5. ſc. 1. Quæſo abſolvito me hinc extemplo, poſtquam ſatis deluſeris Horat. Epod. Impunè ut urbem nomine impleris meo. Tibull. lib. 1. El. 1. Ferreus ille fuit, qui te cum poſſit habere Maluerit prædas ſtultus & arma ſequi. In *plusquam perfecto*. Cic. Cornificio lib. 12. Plura ſcripiſſem, niſi tui feſtinarent. 3. Verr. Quid? hoc planius egiſſem ſi ita narraſſem. pro Planc. An ſi unquam in me vitæ cupiditas fuiſſet, ego menſe decembri mei conſulatus, omnium parricidarum tela commoſſem? viciſſim in ſecunda Perſona Cic. 3. Verr. Si tibi antea diſplicuiſſes, idem feciſſes, quod anno poſt. M. Piſo Terent. in Eur. Act. 3. ſc. 1. v. 61. Cæterum Idem hoc tute melius quanto in-

veniſſes

veniſſes Thraſo. Sueton. in Veſpaſ. cap 8. Maluiſſem oboluiſſes alium: Tertia denique Cic. in Bruto: Si corpore valuiſſet, imprimis habitus eſſet diſertus. Ibid. Proceſſiſſet honoribus longius, niſi ſemper infirma atque ægra valetudine fuiſſet. Quintil. decl. 6. Si potuiſſet redimere oculos matris, qua pietate fuit, vicarios ſuos dediſſet. Virgil. Ecl. 3. v. 2. An mihi cantando victus non redderet ille, Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum? *In futuro* Cic. 2. Acad. Age reſtitero peripateticis [pro: reſiſtam.] pro Roſc. Amer. Sed de Captione poſt viderimus [alias: videbimus] pro Cælio: videro hoc poſterius [ſ: videbo] &c. 4. Verr. Alio loco de aratorum animo & injuriis videro. Plaut. in Mercat. Act. 5. ſc. 2. v. 4. Breve quod vitæ reliquum eſt, voluptate, vino, & amore delectavero [pro: delectabo] Horat. Od. ult. Epod. extr. Eheu translatos alio mærebis amores: Aſt ego viciſſim riſero. Prudent. hym. ult. de Steph. Ibis irruentis greſſibus obviam. Nec demorabor vota calentia: Ferrum in papillas omne recepero, Pectusque àd imum vim gladii traham. Sæpe verò etiam *perfectum conjunctivi pro futuro indicativi* ponitur. Cic. 3. de Orat. Syrtim patrimonii, ſcopulum libentius dixerim. 5. Tuſc. Errare me hercule malo cum Platone, quam cum iſtis vera ſentire. M. macte virtute, ego ipſe cum eodem ipſo non invitus erraverim. Quintil. lib. 11. cap. 3. Et quidem hæc ad quædam prodeſſe non negaverim. Terent. in Hecyra Act. 3. ſc. 4. v. 10. denique Hercle auffugerim potius, quam redeam, ſi eò mihi redeundum ſciam. Idem

In

in Andr. Act. 1. ſc. 2. v. penult. ubivis facilius paſſus ſim, [patiar] quàm in hac re me deludier & in Hecyra Act. 1. ſc. 1. v. 8. Et moneo & hortor, ne cujusquam miſereare; quin ſpolies, mutiles, laceres, quemquem nacta ſis viciſſim verò *Indicativus* etiam ſæpe *pro conjunctivo* adhibetur, e. g. *quando interrogativa non interrogant*. Virgil. 2. Æneid. v. 738. Heu miſero conjux fatone erepta Creuſæ Subſtitit, erravitne via ſeu laſſa reſedit Incertum, pro: erraverit, reſederit. Propert. lib. 2. Aſpice quid donis Eriphyla invenit amaris etc. pro: invenerit Claudian. lib. 1. de raptu Proſerp. v. 25. Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum, Et veſtri ſecreta poli; qua lampade ditem Flexit amor; quo ducta ferox Proſerpina curru Poſſedit dotale chaos, quantosque per oras Sollicito genetrix erraverit anxia curſu. pro: flexerit, poſſederit. In tempore quoque *imperfecto*. Quintil. lib. 2. cap. 13. Erat [pro: eſſet] Rhetoricæ res prorſus facilis ac parva, ſi uno & brevi præſcripto contineretur Tacitus 4. Annal. cap. 30. Ibaturque in eam ſententiam, in durius etcc. palam pro accuſatoribus Cæſar irritas leges, rempublicam in præcipiti conqueſtus eſſet. pro: itum fuiſſet aut *plusquam perfecto* Quintil. declam. 6. Quantum inter hæc flevit, quamdiu cecidit oculos ſuos: ſi perſeveraſſem, duos excæcaveram, pro: excæcaviſſem Tacit. 4. Annal. cap. 9. Ac ſi modum orationi poſuiſſet, miſericordia ſui gloriaq; animus audientium impleverat. pro: impleviſſet Horat. 2. Carm. Me truncus illapſus cerebro ſuſtulerat [pro: ſuſtuliſſet,] niſi Faunus ictum Dextera le...

de virtute formoſius, nihil pulchrius; nihil amabilius. & de Nat. Deor. Nihil mundo præſtabilius, nihil pulchrius: nec ſolum nihil eſt: ſed nec cogitari quidem quicquam melius poteſt. *Additur* nonnunquam eleganter voces *quisquam alter, alius* &c. Plaut. in Perſa *Act.* 4. ſc. 4. v. 96. Nemo quisquam acceptior in Mil. *Act.* 3. ſc. 1. v. 65. Non invenies alterum lepidiorem ad omnes res. in Mercat. *Act.* 1. ſc. 1. v. 100. Qua mulier alia nulla eſt pulchrior. Loci. Martin. Opitius Epigr. ad Caſp. Kirchner. *Accipe* vix alium magis iſto munere dignum Quærere ſol etiam ſi velit ipſe queat. *Temporis*, Cic. pro domo. Erat res poſt homines natos pulcherrima. 2. ad fam. ep. 5. Ne in illa quidem re, poſt hominum memoriam maxima, hortatorem deſideraſti. Cornel. Nep. in Themiſt. cap. 5. pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima poſt hominum memoriam claſſis eſt devicta. Per *affirmationem* verò præponendo vel *particulam* in quavis augendæ ſignificationis. Terent. in Heaut. *Act.* 2. ſc. 3. v. 127. Eadem ut eſſet apud te *quam* gratiſſima. Curt. lib. 4 cap. 6. Bactrianorum ducem, *perquam* maximo poſſet exercitu coacto deſcendere ad ſe jubet. Cic. pro C. Rabir. Quorum in hac civitate *longè* maxima conſilia atque ingentia fuerunt. Plaut. in Moſtell. Act. 3. ſc 3. v. 8 Porticus longè omnium longiſſima eſt Corn. Nep. in vita Attici L. Julius Calidius *multò* elegantiſſimus Poëta. Tacit. I. Annal. cap. 4. Pars multò maxima. Cic. pro Rabir. virum unum totius

Græciæ

Græciæ *facilè* doctiſſimū Platonem 1. Tuſc. ut eſſet facile deterrimus: in Verr. Homini *inprimis* glorioſiſſimo reſpondet, Plin. lib, 17. cap. 7. de Abſinthio: Convenit dicere herbæ facillimè atq; inter *paucas* utiliſſimæ. Virgil. *ante alios* pulcherrimus Turnus. Apule. de Philoſ. morali. Qui nec planè optimi, nec *oppidò* deterrimi ſunt. Gell. lib. 13. cap. 15. Bonas artes qui ſincere cupiunt, ii ſunt vel *maximè* humaniſſimi. Vel *poſitivum* Cic. 13. ad fam. ep. 3. Tam mihi id *gratum* erit, quàm quod gratiſſimum. & lib. 5. epiſt. 2. Tam ſum *amicus* Reipublicæ quàm qui maximè. Idem in Lælio Tanta eſt inter eos, quanta maximè poteſt, ſtudiorum diſtantia. vel *comparativum*, Plaut. in Amphitr. Act. 3. ſc. 2. v. 25. Niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo. Cic. 14. Epiſt. Ego autem hoc miſerior ſum, quàm tu, quæ es miſerrima. Horat. lib. 1. Od. 16. O Mater pulchra filia pulchrior, Vel etiam *ſuperlativum*. Plaut. in Capt. Act 4. ſc. 2. v. 56. O mihi quantum eſt hominum optimorum optime, in tempore advenis, deſcribitur etiam ſuperlativus *formulis* ampliſſimum *exceſſum* deſignantibus. Cic. 5. in Verr. Nihil jam addi poſſe videtur ad hanc improbitatem. Viciſſim: Si cum illorum improbitate certet, longè omnes multumque ſuperabit. Plaut. Ciſtell. Act. 2. ſc. 1. v. 3. Qui omnes homines ſupero atque ante eo cruciatibus animi. Curt. lib. 3. Ita ſe geſſit, ut omnes ante eum Reges & continentia & clementia vincerentur. *Viciſſim* Cic. 11. ad fam. ep. 22. Dii malefaciant homini iſti nequiſſimo omnium 2. Offic. Omnium hominum mode-

ſtiſſimus Q. Mutius. Plaut. Moſtell. *Act.* 3. ſc. 1. v. 65. Homo hominum omnium teterrime. *Iterum* Cic. 9. ad famil. Ep 14 Eſt non alienum à dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni Regum Regi fuit honeſtum. Vel *eminentiam* præ cæteris Cic. 15. ad fam. ep. 4. Si quiſquam fuit unquam, etcc. remotus ab inani laude & ſermonibus vulgi: ego profectò is ſum. de finib. Si eſt quiſquam, qui acute in cauſis videre ſoleat, quæ reſagatur, is profectò es tu. Terent. in Prologo Eun. Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis quam plurimis etcc. In his Poëta nomen profitetur ſuum. Vel *excluſionem* aliorum Cic. 13. ad famil. Ep. 45. L. Egnatio uno equite Romano familiariſſimè utor. lib. 3. ad Herenn. utile putamus, ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognoſci. Plaut. Aſin. Act. 4. ſc. 1. v. 3. Poëta es ad eam rem unicus. vel denique *figuris interrogandi*. Cic. Div. in Verr. Quid eſt quod populo Rom. gratius eſſe debeat. Plaut. in Amphitr. Act. 1. princip. Quis me alter eſt audacior homo, qui me confidentior. Et in Rud. Act. 5. ſc. 1. v. 1. Qui me mortalium eſt miſerior, qui vivat alter hodie. *exclamandi* Cic. 9. ad fam. Epiſt. 20. Qua munditia homines! qua elegantia! Plaut. Aul. Act. 5. ſc. 1. v. 1. Dii immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis. Virgil. 2. Georg. v. 458. O fortunatos nimium ſua ſi bona norint, Agricolas! denique per *Hyperbolen* Plaut. in Pænul. Act. 5. ſc. 4. Hanc canem reddam tibi oleo tranquilliorem. Ovid. 4. de Pont Eleg. 14. Illyrica, ſi pice nigrior eſſem, Virgil. Ecl. 7. Ne-

rine Galathea thymo mihi dulcior Hyblæ, Candidior cygno, hedera formoſior alba.

Pronominum porro, prout ipſa diverſi generis ſunt, ita quoque multiplex in ſermone Commutatio. Et principio quidem quod *demonſtrativa* ſpectat articularibus in caſibus potiſſimum in S. deſinentibus euphoniæ gratia, ſyllaba *ce* addi ſolet. Terent. in Eun. Act. 1. ſc. 2. v. 18. Hos conſector; hiſce ego non paro me ut rideant v. 38. hiſce hoc munere arbitrantur ſuam Thaidem eſſe. Et in eadem Comædia. Act. 1. ſc. 2. v. 71. ſine illum priores partes hoſce aliquot dies apud me habere. & Act. 4. ſc. 7. v. 11. Tu hoſce inſtrue. Et ad orationem uberiorem pronomini *hic meus* ſolet aut *noſter*: pronomini verò *iſte*, *tuus* aut *veſter* adjungi. e. g. ſ. d. Jlle meus frater Cic. 1. ad fam. Huic meæ rogationi potius non contiuuo reſponderunt. Item. Hæc noſtra laus erit illuſtrior. & Liby. Jlle tuus amicus ap. me commendatione non eget. Nonnunquam *pro perſona* ſubſtitui ſolet illius *adjunctum* Cic. 3 ad fam. ep. 2. Pluribus verbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem expectaret. Valer. in prologo ad Tiber. Caeſ. Mea parvitas eo juſtius ad favorem tuum decurrit. Symmach. lib. 3. ep. 70. Sæpius alloqui præſtantiam tuam non piget. vel *nomen proprium* Plaut. in Amphitr. Act. 2. ſc. 2. v. 44. Amphitruo uxorem ſalutat. & Trinum. Act. 5. ſc. 2. v. 27. Charmidem ſocerum ſuum Lyſiteles ſalutat. Terent. in Eunuch. Act. 2. ſc. 2. v. 39. Plurima ſalute Parmenone ſummum ſuum impertit Gnatho; Ovid.

in Epiſt. Penelopes ad Ulyſſem: Hanc tua Penelope lento tibi mittit Ulyſſi. Seneca in Troad. v. 570. Non facile eſt tibi decipere Ulyſſem. v. 750. Non hoc Ulyſſes ſed negat Caletas tibi: vel denique *deſcriptio* quædam. Cic. 6. ad Attic. epiſt. 8. Sed heus tu, numquid moleſtè fers de illo, qui ſe ſolet ante ponere patruo ſororis tuæ filii? (mihi ſc. Nam Quintus frater Ciceronis ex ſorore Attici genuerat filium Q. Ciceronem) & lib. 5. ad fam. ep. 2. Qui quâ pæna Senatus conſenſu omnium bonorum eos affecerat, qui urbem incendere, Magiſtratus ac Senatum trucidare, bellum maximum conflare voluiſſent: eadem dignum judicarent eum, qui curiam cæde, urbem incendiis Italiam bello liberaſſet (ſc. qua pæna Senatus Catilinam, eadem illi me afficere decreverunt.) Eleganter quoque Demonſtrativum pronomen pro *Poſſesſivo* uſurpatur. Cic. Catil. 1. A cujus altaribus ſæpe iſtam [tuam ſc.] dextram impiam ad necem civium tranſtuliſti. Plaut. in Pſeud. Act. 2, ſc. 4. Si quidem hoc vivet caput [np meum] in Milite, Act. 2. ſc. 4. Atque his oculis [meis] quidem vidi. *Poſſesſiva* verò nonnunquam ſolent *deſcribi*. Cic. Lib. 2. ep. 3. ut iis bonis quæ tibi natura ſtudio fortuna dicta ſunt [tuis ſc.] facilius omnia, quæ ſunt in Republ. ampliſſima, conſequi poſſis, quàm muneribus. In *Relativis* ſæpius ſolent poni *Is pro qui* Cic. 13. ad fam. ep. 49. venit mihi obviam puer tuus, is mihi literas abs se reddidit. & 1. Tuſc. Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen; is Conus vocitatus eſt pro *prima perſona* etiam Plaut. in mer-

cat.

cat. Act. 3. ſc. 4 v. 47. Ego credidi homini docto rem mandare; is lapidi mando maximo vel *ſecunda*. Idem Plaut. in Epid. Act. 3. ſc. 1. v 9. Qui tibi cui divitiæ domi maximæ ſunt, is nummum nullum habes? *quis* pro *aliquis* Cic. ad Brut. Quare ſiquis ſecus ad te de eo ſcripſit. de provinc. Conſular.: ſi quis veſtrum expectat. pro Cælio: Siquis fortè nunc ad ſit ignarus legum. Liv Dec. Lib. 1. Ne quam ſtirpem ne quem hæredem regni relinquat. & Dec. 4. lib. 5. Si qua res te ad pacem compellet. Nec non *quisquam* aut *ullus* pro eodem Cic. 3. de nat. Deor. Si uredo aut grando quippiā nocuit. pro legeManil. & quisquā dubitabit, quin Cn. Pompejo tantum bellum transmittendumſit & pro Balbo: Si quisquam hujus imperii defenſor mori poteſt. Plaut. in Truc. Act. 2. ſc. 2. v. 38. Quaſi verò corpori reliqueris tuo poteſtatem coloris ulli capiendi. Sæpe vero etiam pro relativis pronominibus poni ſolent adverbia. Terent. in Eunuch. Act. 2. ſc. 3. v. 1. 9. Digna res eſt, *ubi* [in qua] nervos intendas tuos Varro. lib. 7. de Lat. ling. Quarum rerum uſus erat ſimplex: *ibi* [in iis] etiam vocabuli declinatio. Terent. in Eun. Act. 1. ſc. 2. v. 34. È prædonibus *unde* [à quibus] emerat, ſe audiiſſe. in Adelph. Act. 1. ſc. 2. v. 22. Nati filii duo: *inde* [ex iis] hunc majorem adoptavi mihi Plaut. in Capt. Act. 1. ſc. 2. fin. Ad fratrem, *quo* [ad quem] ire dixeram, mox ivero ſalluſt. in Jugurth. Poſtquàm Roma egreſſus eſt, fertur *eò* [ad eam] ſæpe tacitus reſpiciens, poſtremo dixiſſe. Varro. 1. de re ruſt. cap. 16. Si viæ ſunt, *qua* [perquas]

 plau-

plauſtra agi facilè poſſunt, Cic. 3. de Orat. Quid aliud eſt cauſæ, *cur* [propter quam] repudietur.

ARTICULUS III.
DE VARIATIONE VERBORUM.

VErbis prout plura accidunt, np. genus, modus, tempora, hoc quoque in iisdem major obſervatur varietas. In genere autem & principio quidem quod in nominibus, idem quoque non raro in verbis fieri videmus, ut eleganter *opoſitum cum negatione* pro poſitivo adhibeatur. Cic. 1. de Orat. Non hoc te fallit Craſſe. lib. 2. Non ſum neſcius Scævola, iſta inter Græcos dici ſolere. pro Cluent. illud me non præterit. pro Sylla: Non ſum neſcius. Ad famil. lib. 2. Ep. 4. Epiſtolarum genera multa eſſe non ignoras, & ad Attic. lib. 5. Ep. 13. ſcrupulum quem non ignoras. Sic quoque lib. 7. ad fam. ep. 1. nemo negat, pro, omnes affirmant; frequens quoque ap. eundem: non intermittam i. e. faciam. *Derivatum*, præcipuè inchoativum aut frequentativum, emphaſeos gratia, *pro primitivo*. Cic. pro domo: Boni viri dictitabant; pro: paſſim dicebant & de Clar. Orat. Quam Deam in Periclis labris ſeſſitaſſe ferunt. ad Brut. Ingraveſcit indies inteſtinum malum. Idid. obdureſcunt magis quotidie boni viri ad vocem tributi: Plin. lib. 11. Hiſt. nat. cap. 11. Quum mella cæperunt matureſcere, abigunt fucos. Genera autem verborum quod ſpectat, *Activum* & *paſſi-*

paſſivum ſæpiſſime inter ſe permutantur Cic, 2. de Nat. Deor. A dentibus extenuatur & molitur cibus. Et mox: Confectio etiam à lingua adjuvari videtur. pro: dentes moliunt cibum: Dentes adjuvant confectionem. Terent. Heaut. Act. 2. ſc. 3. v. 8. Factum à nobis ſtultè eſt; pro ſtultè fecimus. Omittitur autem aliquando vel in paſſiva conſtructione Seneca 2. Contr. 1. Tunc & contra Maximum Stertinium(à) àquo premebatur, cum comes ejus fuiſſet, dixit. Ovid. 9. Metam. Et decimum premeretur (à) ſydere ſignum. Sil. Itat. lib. 8. Jliaco poſtquam deſerta eſt hoſpite virgo. Auſon. in Cæſarib. Galba ſenex periit ſævo proſtratus Othone: vel *ablativus* Terent, in Eun. Act. 2. ſc. 2. v. 40. Quid agitur? ſtatur. [ſc. a Parmenone] Idem in Prolog. Heaut. v. 44. Si qua laborioſa eſt, ad me curritur. Cæſ. 3. de bello Gall. Expectari diutius non oportere, quin ad caſtra iretur. Virg. Ecl. 1. v. 12. undique totis usque adeo turbatur agris. Aliquando *Ablativus ille in Dativum tranſit.* Cic. pro Quinct. Confitendum, qua tibi [à te ſc.] vadimonium non ſit obitum, eadem te hora conſilium cepiſſe. Tacit. in Agric. 2. Legimus cum Aruleno Ruſtico Pætus Traſea, Herennio Senecioni Priſcus Helvidius laudati eſſent, capitale fuiſſe. Virgil. 1. Æn. v. 330. Nulla tuarum audita mihi neque viſa ſororum Lucan. lib. 10. v. 29. victasque patri deſpexit Athenas. Sil. Ital. lib. 6. v. 619. Laudaturque Jovi Fabius. Et *Præpoſitio A. in aliam* Tacitus 15. Hiſtor. cap. 13. fin. donec cuncta ex pugnandis urbibus reperta *apud* veteres. pro: à veteribus Horat.

3. Od. 14. Si *per* inviſum mora Janitorem Fiet, abito. Prudent. Hymn. 5. Et *de* languidulis fota natalibus lucem perſpicuo flamma jacit vitro. In *Infinitiv activo & paſſivo* nonnunquam *promiſcuè utimur* e. g. Turpe eſt rempublicam negligere ſ. negligi. Cic. Bellerophontis literas fert is, exitium ad ſe tuum portari neſcit pro : portare.

Quoad *Modos Indicativus* non rarò *mutatur in Conjunctivum*; Notæ enim ſunt quæ paſſim leguntur apud Ciceronem formulæ : Tu ipſe velim judices. Pace tua dixerim. Pergratum mihi feceris; pro: volo, dicam facies. Et in *præſenti* quidem Cic. 3. de Orat. Ego te conſulem putem, cum me non putes Senatorem. pro Roſc. Andr. Quid primum quærar? aut unde potiſſimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam. 12. ad fam Epiſt. 17. me ſcito, dum tu abſis, quaſi occaſionem & licentiam nactum ſcribere audacius. Plaut. in Amphitr. vir ego tuus ſim? Quintil. lib. 6 cap. 5. videas enim plerosque ira percitos Virgil. 4. Æneid. Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes. Ovid. 1. Triſt. Eleg. 6. Quæ quoties ſpectas, ſubeat tibi dicere forſan etcc. In *Imperfecto* Cic. lib. 15. ad fam. Ferreus eſſem, niſi te amarem. 8. ad Att. Plura ſcriberem, ſi ipſe potuiſſem. ad Brut. Scriberem ad te plura, niſi ad te hæc ipſa nimium multa eſſent. Terent. in Phorm. Act. 5. ſc. 1. Ego autem, quæ eſſem anus, deſerta, egens, ignota, ut potui, virginem nuptam locavi huic adules centulo, Cic. viciſſim pro Rabir. perd. Tu denique Labiene quid faceres tali in re ac tempore?

Salluſt.

Salluſt. in Catil. circa fin. Sed confecto prælio, tum verò cerneres quanta audacia, quantaque vis animi fuiſſet in exercitu Catilinæ. Virgil. 8. Æn. At tu dictis Albane maneres. In tertia denique perſona. Cic. 5. Tuſcul. Nunquam id diceret, ſi ipſe ſe audiret. Terent. in Andr. Act. 1. ſc. 1. v. 3. Nec ſatis ad objurgandum cauſæ, diceret: quid feci: Ovid. 8. Metam. Pater hujus eras, qui numina divum ſperneret, atque aris nullos adoleret honores. In plurali quoque Cæſar. 3. de bello Civ. ubi cognoſcit conſenſu omnium Antiochenſium civiumque Romanorum, qui illuc negotiarentur, arcem Antiochiam captam eſſe. Pater. In *Perfecto*, Cic. in Bruto. Refertæ ſunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim & legerim 5. Tuſcul. Præcidi caput juſſit M. Antonii, omnium eloquentiſſimi, quos ego viderim. Plaut. in Amphitr. Act. 5. ſc. 1. Quæſo abſolvito me hinc extemplo, poſtquam ſatis deluſeris Horat. Epod. Impunè ut urbem nomine impleris meo. Tibull. lib. 1. El. 1. Ferreus ille fuit, qui te cum poſſit habere Maluerit prædas ſtultus & arma ſequi. In *pluſquam perfecto*. Cic. Cornificio lib. 12. Plura ſcripiſſem, niſi tui feſtinarent. 3. Verr. Quid? hoc planius egiſſem ſi ita narraſſem. pro Planc. An ſi unquam in me vitæ cupiditas fuiſſet, ego menſe decembri mei conſulatis, omnium parricidarum tela commoſſem? viciſſim in ſecunda Perſona Cic. 3. Verr. Si tibi antea diſplicuiſſes, idem feciſſes, quod anno poſt. M. Piſo Terent. in Eur. Act. 3. ſc. 1. v. 62. Cæterum Idem hoc tute melius quanto inveniſſes

in Andr. *Act.* 1. ſc. 2. v. penult. ubivis facilius paſſus ſim, [patiar] quàm in hac re me deludier & in Hecyra Act. 1. ſc. 2. v. 8. Et moneo & hortor, ne cujusquam miſereare; quin ſpolies, mutiles, laceres, quemquem nacta ſis viciſſim verò *Indicativus* etiam ſæpe *pro conjunctivo* adhibetur. e. g. *quando interrogativa non interrogant*. Virgil. 2. Æneid. v. 738. Heu miſero conjux fatone erepta Creuſæ Subſtitit. erravitne via ſeu laſſa reſedit Incertum. pro: erraverit, reſederit. Propert. lib. 2. Aſpice quid donis Eriphyla invenit amaris etc. pro: invenerit Claudian. lib. 1. de raptu Proſerp. v. 25. Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum. Et veſtri ſecreta poli; qua lampade ditem Flexit amor; quo ducta ferox Proſerpina curru Poſſedit dotale chaos, quantosque per oras Sollicito genetrix erraverit anxia curſu. pro: flexerit, poſſederit. In tempore quoque *imperfecto*. Quintil. lib. 2. cap. 13. Erat [pro: eſſet] Rhetoricæ res prorſus facilis ac parva, ſi uno & brevi præſcripto contineretur Tacitus 4. Annal. cap. 30. Ibaturque in eam ſententiam, in durius etcc. palam pro accuſatoribus Cæſar irritas leges, rempublicam in præcipiti conqueſtus eſſet. pro: itum fuiſſet aut *plusquam perfecto* Quintil. declam. 6. Quantum inter hæc flevit, quamdiu cecidit oculos ſuos: ſi perſeveraſſem, duos excæcaveram, pro: excæcaviſſem Tacit. 4. Annal. cap. 9. Ac ſi modum orationi poſuiſſet, miſericordia ſui gloriaq; animus audientium impleverat. pro: impleviſſet Horat. 2. Carm. Me truncus illapſus cerebro ſuſtulerat [pro: ſuſtuliſſet,] niſi Faunus ictum Dextera levaſſet.

vaſſet. Petronius Arbiter in deſcript. formoſiſſimæ mulieris: Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor, intra auri gracile vinculum poſitus, Parium marmor extinxerat. pro: extinxiſſet. Cornel. Gallus ex edit. Scaligeri in opuſcul. poſt. p. 338. At pius æternam ſervet in Juppiter urbem Scilicet acciderat [pro, occidiſſet] virginis illa dolo.

Imperativæ porro ſignificationis multiplex forma eſt. Frequentiſſima per *futurum conjunctivi*. Cic. 5. ad Attic. Epiſt. 4. Tu me abſente rei habebis rationem meæ. Virgil. 1. Georg. v. 72. Et ſegnem patiere ſitu dureſcere cantum. Horat. lib. 1. Epiſt. Inter cuncta leges & percontabere doctos, Qua ratione queas traducere leniter ævum, per *præſens conjunctivi* Terent. in Eunuch Act. 1. ſc. 1. v. 32. Neque præterquam, quas ipſe amor moleſtias habet addas & illas, quas habet, recte feras. Act. 2. ſc. 3. v. 94. Si certum eſt facere facias; verum ne poſt conferas culpam in me. Et in Hecyra Act. 3. ſc. 2. v. 7. Non viſas nec mittas quidem viſendi cauſa quenquam. per *deſcriptiones*, quæ viciſſim ſunt plurimorum generum, ſc. vel *præpoſitis verbis volendi* in *Indicativo* poſitis Symmach. lib. 7. Epiſt. 89. volo ſperes, quicquid gratiæ editio mea quæſiverit, ad tua beneficia, me cedente, referendum. In *conjunctivo*. Cic. 5. ad Att. Ep. 2. De Republica ſcribas ad me velim, ſi quid erit &c. lib. 3. Ep. 23. Inveſtiges velim & quis attulerit, & quare. lib. 4. ep. 16. fin. Ad quæ tempora te expectem, facias me certiorem velim, interpoſita ſ. *expreſſa*

expreſſa conjunctione ut. Cic. 2. ad Att Ep. 2. Tum Græcos , tum verò Catinos diligenter ut conſerves velim. vel cum *infinitivo* Cic 1. ad Attic. Ep. 9. Eo animo te velim eſſe , quaſi mei negotii cauſa in iſta loca miſſus eſſes. Vel *præcedentibus verbis petendi.* *A*pul. 5. Metam. Illud etiam precibus meis *oro* largire. Val. Flaccus. lib. 1. v. 333. Da *precor* amplexus. Ovid. 3. Metam fab. 9. Eſſe precor Memores, qua ſitis ſtirpe creati. Cic, 6. ad Att. Epiſt. 7. *Tu* tamen mitte mihi *quæſo*, ob viam literas. Terent. in Eunuch. Act. 3. ſc. 5. v, 14. Narra iſtud quæſo, quid ſi &c. Plaut. in Caſin Act. 2, ſe. 2. v. 24. *Obſecro* tace in Moſtell. Act. 2, ſc. 2. v. 38. obſecro hercle, quin eloquere jam. Cic. 3, ad Attic Epiſt. 19. Te oro & obſecro Pomponi etc. ut me tua miſericordia juves. *Aut blandiendi* Cic. 2. ad *A*ttic. Ep 2. cura *amabo* te Ciceronem noſtrum lib. 7. Ep. 8. Sed amabo te, nihil incommodo valetudinis feceris. Viciſſim lib 2. ibid. Ep. 1. Si me amas, cura, ut conſerventur. A. Gellius lib. 5. Noct. *A*ttic. cap. 21. *A*mabo te, velim doceas nos. Terent. in *A*ndr. *A*ct. 1. ſc. 1. v. 58. Dic *ſodes*, quis heri Chryſidem habuit? *A*delph. *A*ct. 4. ſc. 5. v. 9. Dic ſodes pater, etcc. *Plaut*, in *A*ſin. prol. v. 1. Hoc agite *ſultis* Spectatores nunc jam in Sticho *A*ct. 1. ſc. 2. v. 8. Facite ſultis, nitidæ ut ædes meæ ſunt, cum redeam Domum. Vel etiam *excitandi* & *impellendi*. Virgil. 4. Æn. v. 569. Eja *age* rumpe moras. Terent. *A*ndr. *A*ct. 2. ſc. 1. v. 12. *Age*, age, ut lubet, ſc. fac. Lucret. lib. 1. v. 265. Nunc age ſis quoniam docui nihil poſſe creari *A*ccipe præter ea

tur. Nonnunquam *præſens* ponitur *pro imperfecto* Plaut. in Bach. Act. 4. ſc. 3. v. 21. Si mihi ſit non pollicear pro: ſi mihi non eſſet, non pollicerer. in Stich. Act. 2. ſc. 1. v. 36. Nihili quidem verbum ac viliſſimum: vocem te ad cœnam; niſi egomet cœnem foris pro: Vocarem te ad cænam, niſi cænarem. Terent. in Audr. Act. 2. ſc. 1. v. 10. Tu ſi hic ſis aliter ſentias. pro: Si hic eſſes, aliter ſentires; Apul. lib. 2. Apolog. Nimis multa oratio eſt, ſi velim memorare; quæ ego contra reſponderim. pro: Nimis multa oratio eſſet, ſi vellem etcc. Per ellypſin verbi *cæpit* aut alterius, *Præſens infinitivi* pro *imperfecto inditativi* apud Hiſtoricos præcipuè Liv. lib. 30. cap. 12.. Primo pauci equites ex tuto ſpeculantes ab ſtationibus progredi: inde jaculis ſummoti recurrere ad ſuos: Inde excuſſiones invicem fieri; & cum pulſos indignatio accenderet, plures ſubire. Saluſt. in Catil. cap. 11. ſed poſtquam L. Sullæ armis recepta reſpublica, bonis initiis malos eventus habuit; Rapere omnia trahere, domũ alius alius agros cupere: neque modum neque modeſtiam victores habere; fœda crudeliaque in cives facinora facere; viciſſim capr 12. [quo verbum *cæpit* expreſſum] Poſtquam divitiæ honori eſſe cæperunt & eas gloria imperium potentia ſequebatur: hebecere virtùs paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cæpit [mox omiſſum] Igitur ex divitiis Juventutem luxuria atque avaritia cum ſuperbia invaſere. Rapere, conſumere ſua parvi pendere, aliena cupere: pudorem pudicitiam, divina & humana premiſcua, nihil penſi neque

I modeſ

moderati habere, etcc. Et ap. Pöetas Virgil. lib. 2. Æneid. v. 97. Hinc mihi prima mali labes, hinc ſemper Ulyſſes criminibus terrere novis, hinc ſpargere voces in vulgum ambiguas & quærere conſcius arma. Horat lib. 2. ſerm ſat. 6. cum ſubito ingens valvarum ſtrepitus lectis excuſſit utrumque currere per totum pavidi conclave, magisque Exanimes trepidare, ſimul domus alta moloſſis perſonuit canibus. Silius ital. lib. 1. v. 239. Hæ poſtquam Tyriæ gentes ceſſere tyranno utque dati rerum freni, tunc arte paterna conciliare viros; armis conſulta vertere nunc arte paterna conciliare primus ſumſiſſe laborum primus iter carpſiſſe pedes, partemque ſubiri Si valli feſtinet opus, nec cætera ſegnis *Imperfectum* quoque *conjunctivos* poni ſolet *pro plusquam per, ecto* ejusdem modi Cicero in Bruto. Neque enim jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyſſi tribuiſſet Homerus & Neſtor; niſi jam tum eſſet honos eloquentiæ. pro fuiſſet. Plaut. in Capt. Act. 3. ſc, 4, v. 5. utinam te Dii potius perderent, quam periiſſe è patria tuà. pro: perdidiſſent. & ſc ſeq. v. 47. Cur es auſus mentiri. mihi? quia vera obeſſent illi cui operam dabant, pro: obfuiſſent: *Pro Futuro* ſolet quandoque poni *præſens conjunctivi* Plaut. in Autor, Act. 2. ſc. 2. v. 51. Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit Te bovem eſſe & me aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem, ubi onus nequeam ferre pariter; jaceam ego aſinus in luto. Tu me bos magis haud reſpicias, gratus quaſi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortii fuat, Aſini me mordicus ſciadant, boves incurſent cornibus. In Epid. Act. 1. ſc 1.

ſc. 1. v. 84. Ubi ſenex ſenſerit, ſibi data eſſe verba; virgis dorſum deſpoliet meum, pro deſpoliabit Virgil. 1. Æneid. v. 281. Naſcetur pulchra Trojanus Origine Cæſar, Imperium oceano famam qui terminet aſtris. & lib. 2. v. 103. Jamdudum ſumite pœnas. Hoc Ithacus velit[volet]& magno mercenur [mercabuntur] Atridæ. Ovid. 5. Triſt. Eleg. 15. Cana prius gelido deſint [deerunt] abſinthia Ponto & careat [careat] dulci Trinacris Hyblathymo: Immemorem quàm te quiſquam convincat [convincet] amici. Verbum *volo cum infinitivo* Plaut. in Amphitr. Act. 2. ſc. 4. v. 47. Verum iſtoc argentum tamen mihi ſi vis dinumerare, Repromittam iſtoc tibi nomine ſolutam futuram. Seneca 1. Contr. 1. volo quædam futura prædicere patri lib. 2, Contr. 1. ad optionem volo dare. Item: amorem deſcribere volo, Bachari volo. divitias deſcribere volo. Martial. 4. Epigr. 77. fin. Pendentem volo zoilum videre. verbum item *Forem* vel *futurum eſt*, *cum conjunctione ut*. Cic. lib. 7. Ep. 27. Ais, fore ut te Cæſar reſtituat. lib. 9. Ep. 1. Putabam fore, ut ſcirem lib. 4. Att. ep. 8. Quid ais? Putasne fore, ut legem non ferat? *Participium* denique *futuri temporis & verbum ſubſtantivum* Cic. div. in Verr. Quibus ego non ſum, tantum honorem habiturus. Plaut. in Aſin. Act. 2. ſc. 2. v. 90. Ille in balneas iturus eſt; Inde huc veniet poſtea. Sed hæc pueris nota, & occurrunt quotidie.

In *Numeris* porro & *Perſonis* non omnino nulla eſt varietas. Ponitur enim non rarò vel *ſingu-*

laris pro plurali e. g. Hoſtis imminet urbi. Varro. 1. 2. Romanus ſedendo Vicit. Flor. lib. 4. cap. 2. voces quoque obequitantis Cæſaris exceptæ; altera cruenta ſed docta & ad victoriam efficax: Miles faciem ferri altera ac jactationem compoſita: Parce civibus. pro: Milites ferite, parcite. Virgil. 6. Æneid. v. 85. Tu regere Imperio populos Romane memento. Hæ tibi erunt artes etc pro: vos Romani mementote Martial. 16. ſpectac. epigr. 3. venit & epoto Sarmata paſſus equo. vel *pluralis pro ſingulari.* Cic. ad Brut. Nos populo impoſuimus & oratores viſi ſumus 5. de Legib. Ea quæ reſtant, in illis alvorum umbraculis perſequamur 1. Acad. Quæſt. ſi verò Academiam veterem perſequamur. & de clar orat. Nunc reliquorum oratorum ætates & gradus perſequamur Quintil. lib. 1. cap. 9 Neque enim artem Grammaticam componere aggreſſi ſumus; ſed cum in ordinem incurreret, in honoratam tranſire noluimus. Symmach. lib. 6. Ep. 67. Paucis à patria diebus abſuimus & theatralibus ludis reditum noſtrum ſuffragia civium popoſcerunt. Nos tamen etiam nunc ſuburbanum viæ oſtienſis inſolimus, recurſum tantisper morantes, ne preces expectaſſe videamur. Virgil. 6 Æneid v. 48. Sed, pectus anhelum. Et rabie fera corda tument. init culicis: Luſimus Octavi gracili modulante Thalia, Atque ut araneoli tenuem formavimus orſum & Valer. Flaccus lib. 1. v. 1. Prima Deum magnis canimus freta pervia nautis. *Secunda item perſona pro tertia in futuro Indicativi.* Seneca lib. 6 Quæſt. nat. cap. 19. Nec uſquam plura exem-

pla vaticinantium invenies, quàm ubi formido mentesReligione mixtas percuſſerit. *In imperativo* idem de otio ſapientis cap. 32. ut ſcias naturam ſpectari voluiſſe, non tantum aſpici, vide quem locum nobis dederit. In *præſenti conjunctivi* Cic. 1. in Verr. Eum, qui palam eſt adverſarius, facilè cavendo vitare poſſis. Ep. 1 ad Brutum. Nihil mihi minus hominis videtur, quàm non reſpondere in amore iis, à quibus provocere. Plaut. in Amphitr. Act. 1. ſc. 1. v. 14. Quo facto aut dicto ad eſt opus, quietus ne ſis Ovid. 1. de Arte v. 629. Laudatas oſtendit avis Junonia pennas, Si tacitus ſpectes, illa recondit opes. Seneca in Troadib. v. 252. Quo plura poſſis plura patienter feras. *In Imperfecto* Liv. lib. 30. cap. 32. Adeo celſus hoc corpore vultuque ita læto, ut viciſſe jam crederes, dicebat Curt. lib. 10. eum amne bellum fuiſſe crederes. Minut. Felix in octav. Quod ſi ingreſſus aliquam domum, omnia exculta diſpoſita ornata vidiſſes: utique præeſſe ei crederis Dominum. Petron. in Satyrico occurrit mihi æquè laſſus ac moriens Aſcyltus, putares ab eadem anima eſſe deductum. In *Perfecto.* Cic. pro Rabir. poſth. Id eſt difficile, quod cum ſpe magna ſis ingreſſus, id non ex equi usque ad extremum. Symmach. lib. 3. epiſt. 60. vulgati quippe proverbii eſt, Evaginato Maleo oblimari eorum memoriam, quos domi reliqueris. Manil. lib. v. 219. Nusquam invenies fulgere canopum Donec Niliacas per Pontum veneris oras *In futuro* Cic. pro Sext. In eo ſtatu civitas eſt, ut ſi operas conductorum removeris, omnes idem de Republ. ſenſuri eſſe videantur. & pro Rabir. poſth.

Planè confiteor, fieri nihil poſſe dementius, quàm ſcientem in eum locum venire, ubi libertatem ſis perditurus. Tacit. de Morib. Germ. Severa illis matrimonia; nec ullam morum partem magis laudaveris.

In *Infinito* denique, quem vocant modo, magna dictiones varietas occurrit. Interdum enim *præſens pro* futuro ponitur Cæſ. 6. de bello Gall. Seſe confeſtim conſequi dicit pro conſecuturum. Virgil. 2. Æn. v. 637. Abnegat exciſa vitam producere Troja Exiliumq; pati. pro: ſe producturum & paſſurum eſſe lib. 5. v. 69. Seu pugnam fides crudo committere cæſto. pro: te commiſſurum. Interdum *Perfectum pro futuro*, quod ipſum jam Servius notavit ad 6. Virgil v. 146. Magnum eſt ſi pectore poſſet excuſſiſſe DEum. Senec. in Præf. Contr. Intra coloniam meam me continui, aliequin potuiſſem eum audiſſe in illo atriolo Plin. lib. 34. cap. 11. Atque hæc omnia Medici, quod pace eorum dixiſſe liceat, ignorant A. Gellius lib. 3. cap. 3. vel unus hic verſus Plauti eſſe hanc fabulam ſatis poteſt fidei feciſſe & lib. 10. cap. 3. Caleni, ubi, ubi id audiverunt, edixerunt, ne quis in balneis laviſſe vellet, cum Magiſtratus Romanus ibi eſſet. Ovid. 1. Metam. fab. 7. Hic locus eſt, quem, ſi verbis audacia detur, Non timeam magni dixiſſe palatia cæli. 3. de Ponto. Pace tua dixiſſe Velim. Perſ. 1. Sat. v. 105. Nec nocte paratum Plorabit qui me vocet incurvaſſe tenebris. & Sat. 4. v. 348. Ergo ubi commota fervet plebecula bile, Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ. Stat. Thebaid. 2. v. 17. Atque aliquis, cui mens humili læſiſſe, veneno ſumma.

Silius

Silius lib. 5. v. 237. Arſerat in pugna fuſum occuluſſe cruorem. Sic quoque *Futurum* vel *Imperativus cum participio præteriti temporis* jungi ſolet. Plaut. Capt. Act. 3, ſc. 5: v. 78. In lapidicinas facite deductus ſiet & Menæchm. Act. 5. ſc. 7. v. 3. Facite illic homo jam in medicinam ablatus ſublimis ſit &c. Terent. in Andr. Act. 4. ſc. 2. v. 1. Jam ubi erit inventum tibi curabo & mecum adductum tuum Pamphilum & v. At hoc jam tibi inventum dabo. in Eun. Act. 2. ſc. 1. v. ult. effectum dabo. in Phorm. Act. 3. ſc. 3. v. 26. Age, age, inventas reddam & Act. 5. ſc. 8. v. 81. Ego illam dictis ita tibi incenſam dabo, ut ne reſtinguas. Notum quoque adoleſcentulis *e duobus verbis ejusdem conſtructionis prius in participium mutari ſolere* e.g. Exutum veſtibus domo ejecit pro exuit & ejecit & ap. Valer. Max. verberibus affectum necari juſſit. pro affecit & necavit. Pariter. Hæc dicens ſcripſit, ſi cum hæc diceret.

In Modum infinitum vulgus Grammaticorum *Gerundia*, ut appellant contulit atque ſupina; I his verò etiam quoniam aliqua reperitur ſermonis varietas, eadem pariter h. l. annotanda eſt. Principio itaque *pro Gerundiis* genitivi caſus ſ. *in DI* ſubſtitui ſolent *præſentia Infinitivi* cum *activi* generis, Cic. 2. de Orat. Tempus eſſet jam de ordine argumentorum dicere. Plaut. in Menæchm. Act. 2. c. 1. v. 8. Nam quid modi futurum eſt illum peccare tum *paſſivi* Plaut. in Mil. Act. 3. ſc. 1. v. 82. DEum virtute tranſeuntem hoſpitio accipi apud me eſt comitas. Lucret. lib. 4. v. 100. oſtendi eſt nulla poteſtas: tum *Depo-*

gentis Virgil. Eul. 8. v. 89. Ne ſit mihi cura mederi & Georg v. 21. Stud. quibus arva tueri *iis* verò *Gerundiis* ſæpe etiam *adduntur alii genitivi plurales cujuscunque generis* Plaut. Capt. Act. 4. ſc. 2. v. 27. Nominandi tibi iſtorum [pro: iſta] erit magis quam edundi copia Terent. in Prolog. Heaut. v. 28. Date creſcendi copiam, novarum [pro novas ſc. comœdias] qui ſpectandi faciunt copiam. Sueton. in Aug. cap. 98. Iisdem [ſc. ephebis] epulum in conſpectu ſuo præbuit, permiſſa imo exacta jocandi licentia diripiendique pomorum, & obſoniorum, rerumque miſſilium [pro: poma obſonia, resque miſſiles.] Varro lib. 2. de re ruſt. cap. 1. ſive aliquod fuit principium generandi animalium [pro: animalia] Agell. lib. 16. cap. 8. Feciſſeque videtur eum librum lætius, ſui magis admonendi, quàm aliorum [pro. alios] docendi gratia Eadem ratione *pro Gerundiis* accuſativi caſus ſive in *Dum* etiam poſita reperias præſentia infinitivi. Virgil. Ecl. 1. v. 1. Boni quoniam convenimus ambo, Tucalomos inflare [ſ. ad inflandum] leves: Ego dicere [ad dicendum] verſus & in Culice v. 6.: Quisquis erit culpare [ſ. ad culpandum] jocos Muſamque paratus. Stat. 5. Sylvar. Carm. 2. v. 33. Indocilemque fero ſervire [ſ. ad ſerviendum] Neroni Armeniam Calliſtratus quoque L. 11. de Decur. Qui teneræ ætatis ſunt, quaſi inhabiles rempublicam tueri [ſ. ad tuendum] ad tempus excuſantur *iis Gerundiis* ſæpe etiam *adduntur accuſativi verborum* unde, deſcendunt. Cic. in Cat. Maj. Tanquam longam aliquam viam confeceris, quàm [pro: quà] nobis quoque ingrediendum ſit Plaut. Trin. Act. 4.

ſc. 2. v. 37. Mihi adveniendi hac nocte agitandum eſt vigilias. Varro, 2. de Re ruſt. cap. 7. objiciendum farinam hordaceam. Virgil. lib. 11. Æn. v.230. Alia arma Latinis Quærenda aut pacem Trojano à Rege petendum. Lucret. lib. I. v. 111. Æternas quoniam pænas in morte timendum. Lege Mari angelum à Fano Benedicti Epiſt. 4. pag. 10. variè autem *per verba*: *Oportere*, *neceſſe eſſe* vel *habere hæc gerundia deſcribuntur.* Et quidem poſtremi quando uſus eſt plerumque *nominativus* ſub intelligitur Cic. de opt. gen. orat. Non habebimus ſemper neceſſe concludere. de opt. gen. orat. In quibus non verbum verbo neceſſe habui reddere. Pro Quinct. His de rebus neceſſe habeo dicere ea, quæ me Quinctius cupit commemorare Quinctil. lib. 7. cap. 2. Reliqua non neceſſe habebat dicere. *Neceſſe* autem *eſſe* quando adhibemus, *ſæpe numero* Dativus *expreſſè ponitur* Cic. 1. ad famil. ep. 7. Alterum mihi ut te primum diligam facere neceſſe eſt. pro M. Cælio. Ex quibus neminem mihi neceſſe eſt nominare & Philipp. 2. Tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu vomere poſtridie. Plerumque *utraque verba* cum *conjunctione ut & conjunctivo* quoque *modo conſtruuntur* tam *activi* generis Cic in part. ut dilucidè probabiliterque narremus, neceſſarium eſt etc. Nonnunquam eleganter & per ellypſin Conjunctio illa omittiturLiv. lib 30. cop. 37. urbis ac fori jura leges mores vos me oporteat doceatis Sen. lib. 1. de Clement. cap. 19. Tantum neceſſe eſt timeant, quan-

tum timeri voluit. quam *paſſivi* Cic. 2. de orat. Argumenta & criminum & defenſionis, revocentur oportet ad genus & naturam univerſam. Viciſſim: Ea tamen ipſa oratio ad univerſi generis diſputationem referatur, neceſſe eſt. Ad Herenn, lib.4. Eos neceſſe eſt, ut quoquo modo poſſit, veneficio petat. Non rarò *cum infinitivo activæ vocis* vel *abſolutè* Cic. 2. de divin. Corpus mortale aliquo tempore interire neceſſe eſt Et 2. 2. de orat. Quem oratorem cum Catulus nuper audiviſſet, frenum alios ajebat eſſe oportere.

Vel *accuſativo ſaltem ſubintellecto*. Cic. ad Herenn. lib.cit., Dicunt alienis ſe exemplis uti oportere poſt redit. ad Quirit. Non tam neceſſarium quidem eſt [te] male meritis quàm optimè meritis referre quod debeas, & paſſivæ vocis Cic. pro Balbo. Ex quo intelligi neceſſe eſt, aut neminem etcc. Varro. de re ruſt. cap.30. Oleum ſeri interputarique oportet. cap.35. Neceſſe eſt, è terra de ea obruenda pulvinos fieri. Plin. lib. 29. Nat. hiſt. cap. 5. oportet igne comburere omnia. Pro *Gerundiis* quoque in DO ſæpe *ſubſtituitur præſens infinitivi* Val. Flaccus lib. 1. v. 438. Tu medios gladio bonus ire [i. e. eundo] per hoſtes. Horat. 1. Carm. od. 12. Dicam & Alcidem puerosque Ledæ Hunc equis illum ſuperare [ſuperando] pugnis, Nobilem. Virgil. Eul. 7. v. 5. Et cantare [cantando] pares. & reſpondere [ad reſpondendum] parati.

Supinum quod vocat Accuſativi caſus ſive *in Um* e.g ap. Terent, in Andr. Act. 3. ſc. 2. v, 24. Miſſa eſt ancilla

Illico

illico obſtetricem accerſitum, & in Eun. Act. 5. ſc. 2. v. 51. Etiam ultrò deriſum advenit. Variis item modis explicatur ſimpliciſſimi ſunt viciſſim *per conjunctionem ut & modum conjunctivum* Liv. lib. 27. cap. 51. diſcurſum inde ab aliis circa templa Deum ut gratias agerent: ab aliis domos, ut conjugibus literiſque lætum nuncium impertirent. *vel per Pronomina Qui quæ quod* Liv. lib. 2. cap. 36: Cuſtodibus inter populares miſſis, qui patriciorum agros intactos ſervarent: lib. 5. cap. 27. Mittite qui arma qui obſides, qui urbem patentibus portis accipiant. & cap. 35. Legatus Romam, qui auxilium à ſenatu peterent, mileræ. Curt. lib. 3 Caduceatorem præmiſit, qui denunciaret, ni dederint, ipſos ultima eſſe paſſuros. *vel per præſens infinitivi.* Terent. in Eun. Act. 3. ſc. 3. v. 21. Miſit porro orare, ut venirem ſerio Propert. lib. 1. El. 1. v. 12. Ibat & hirſutas ille videre feras. Ad deſcriptiones magis accedunt, quæ fiunt *per Gerundia in Di.* Plin. lib. 11. caq. 36. de Ariſtomene Meſſenio: Tertio capto Lacedæmonii pectus diſſecuere, cauſa videndi hirſutumque compertum eſt, Honorius & Theodoſ. lib. 4. Cod. de Commerc. & Mercat. Nullus igitur poſthac imperio noſtro ſubjectus ultra Niſibim Callinicum & Artaxatam emendi ſeu vendendi ſpecies cauſa proficiſci audeat. *Per Gerundia in Dum* addita præpoſitione. Liv. lib. 22. capl 33. Legati ad Philippum Macedonem miſſi ad depoſcendum Demetrium Pharium qui bello victus ad eum fugiſſet: alii in Ligures, ad expoſtulandum, quod Pænum opibus auxiliiſque ſuis juviſſent: ſimul ad viſendum ex propinquo

pinquo, quæ in Boiis atque inſubribus gererentur. *Per Participia* vel *genitivi caſu additu voculis*: *gratia, cauſa, ſtudio & ſimilibus.* Cic. 1. de finib. Majorum voluptatum adipiſcendarum cauſa 2. de off. mihi juſtitiæ fruendæ cauſa videntur Reges conſtitut. Corn. Nepos in Dione cap. 9. Sicut conveniendi ejus gratia viderentur convenire, Lamprid. in Alex. ſevero cap. 35, Ad Athenæum audiendorum & Græcorum & latinorum Rhetorum vel Poëtarum cauſa frequenter acceſſit, *vel dativi caſu.* Curt. lib. 4. cap. 2. Alia tuendis urbibus excogitata. Tacit. 2. Annal. Paucos dies inſumſit reficiendæ claſſi 3. Hiſtor. Mox converſus ad ſingulos, num ſecures dolabras & cætera expugnandis urbibus ſecum attuliſſent, rogitabat. Apule: de Deo Socratis Minerva Homerica mediis cœtibus Grajum, cohibendo Achilli intervenit. *vel accuſativi caſu propter præpoſitionem* ad Liv. lib. 2. cap. 4. Conſules ad deprehendendos Legatos conjuratosque profecti domo ſine tumultu rem omnem oppreſſere. Lib. 27. cap. 4. Legati ad commemorandum renovandamque amicitiam miſſi, dona tulere. & lib. 28. cap. 39. Conſules cum exercitu in Hiſpaniam velut ad colligendas reliquias naufragii noſtri miſiſtis, denique *per participia futuri temporis in Rus,* Curt. lib. 3. cap. 11. undique omnes copias contrahit, totis viribus tanti belli diſcrimen aditurus. Tacit. 4. Annal. cap. 46 ſed antequam armis inciperent, miſere legatos amicitiam obſequium que memoraturos. Sic quoque Ammi Marcellin. lib. 20. cap. 19. Legatos ad eum mittere ſtatuit, geſta docturos. Supina *Ablativi*

lativi caſus, quæ poſteriora vocant, e. g. Liv. lib. 5. Dec. 4. conſilia audacia prima ſpecie læta, tractatu dura, eventu triſtia. Plaut. in Moſell ſimul flare ſorbereque haud factu facile eſt. *Tranſeunt* non rarò *in Gerundia caſus accuſativi.* Cic. 2. de offic. Hæ ad judicandum ſunt facillima 2. ad Att. ep. 6. ſunt res difficiles ad explicandum. lib. 9 ep. 11. ſed ſunt quædam earum [theſium] per difficiles ad judicandum. & lib. 1. de orat. Atque eum oratorem puto eſſe, qui verbis ad audiendum jucundis, & ſententiis ad probandum accomodatis uti poſſit. [*poteſt vero hæc formula nonnunquam adhiberi etiamſi ſupino huic non ſit locus*, Cic. 2. de orat. Nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ niſi admoto igni ignem concipere poſſit] *vel in præſentia infinitivi tam activa voce* Cic. 1. Tuſcul. Quæſt. Hominum quanta ſit mens difficile eſt exiſtimare, & de orat. non eſt difficile cognoſcere. *quàm paſſiva* Quintil. 1. inſt. Lyricorum Horatius fere ſolus legi dignus. Plin. lib. 19. Facilia concoqui. Mela. Aſpici cognoſcique digniſſimus. *vel in nomina etiam verbalia.* Cic. 1. in rebus cognitione dignis. Gellius lib. 12. Dignus ſanè Seneca videtur lectione.

ARTICULUS IV.

DE VARIATIONE IN ADVERBIIS.

ADverbijs cum porro pro ut magnus numerus, & multiplex ſignificatio, ita quoque magna illorum eſt in ſermone varietas. Et primum quidem in

dubitando ſequentibus vocibus utimur. Cic. 2. de orat. Ne *ſorte* hoc magnum & memorabile videatur. pro Milone: Hiccine vir patriæ natus, uſquam niſi in patria moreretur; aut ſi forte pro patria. Virgil. 11. Æn. v. 49. Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani *Forſan* vota facit. Flaccus lib. 7. v 471. Et me reſpicet *fortaſſe* pater. Cic. 2. ad fam. ep. 16. ſed ego *fortaſſe* vaticinor. Iterum Valer. Flaccus lib. v. 170. Nunc forſan grave reris opus lib. 2. v. 337. *Forſitan* hoc factum taceat. Agell. lib. 11. cap. 9 *Forſitaſſean* auxilii ferendi cauſa. Cic. 14. ad fam Ep. 1. Perutile omnia ajebat; quod *haud ſcio* an ita ſit Terent. in Andr. 3. ſc. 2. v. 45. Atque haud ſcio, an quæ dixit vera ſint omnia, Sen, 1. de clement. cap. 6. *Neſcio* an nemo ad dandum veniam difficilior ſit., quàm qui illam petere ſæpius meruit: Horat lib. 4. Carm, od. 7. *Quis ſcit* an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ, Tempora Dii ſuperi? Cic de clar. orat, *Credo* quod videret è Conſularibus neminem,

In *affirmando* his propemodum, Cic. pro Roſc. Amer. *ſic ſe res habet.* Judices, magnam vim poſſidet etc. Terent. in Phorm. Act. 2. ſc. 4. *ſic eſt*, vera prædicas. Act. 5. ſc. 4. ſic erit, non temere dico ib. *Recte*, hanc igitur mittimus. Cic. in Læl. *more*, *legi, jure* factum, Pro Cluent. Non quod res alia eſſet; *Imo* optima. Terent. in Andr. Act. 4. ſc. 2. verum vis dicam. DA. *Imo etiam* Cic. 2. Acad. Aut. *etiam*, aut non reſponde. & pro Roſc: Cam, ſi non, quomodo tabulas conficis: Sin etiam quamobrem hoc nomen in adverſariis relinquebas? in Læl. *quin* etiam neceſſe erit cupere, & optare, ut quàm ſæpiſſimè peccet

eet amicus. Terent. in Andr. Act. 1. ſc. 1. *Certè* captus eſt. ſc. 2. Id populus curat; *ſcilicet*. Cic. pro Quinct. ut ſumma haberem cætera temporis quidem certe vix ſatis habui lib. 9. ad Att. Ep. 4. Non ſum, *mihi crede?* mentis compos. in Lӕl. Et *Hercle* ita fuit 2. ad famil. ep. 11. Mihi *Mehercule* magnæ curræ eſt ædilitas tua: de orat. Libentius fuit, dixerim: mehercule, quam mehercules lib. 3. ad Att. ep. 4. Medius fidius, tu emiſti locum præclarum. Meſtus: mehercul us quaſi ita *me caſtor*, ita meHercules juvet? Cic. ad Att. lib. 5. *Ita vivam* ut maxime ſumtus facio. 1. Verr. *Ita mihi Deos omnes propitios eſſe velim* ut etcc. Terent. in Eunuch. *Ita me Dii ament, honeſtus eſt*. Præſtat verò Chriſtianos ab his Gentium jurandi formulis abſtinere. Plaut. in Moſtell. Act. 5. ſc. 2. CA. ſine me dum iſtuc judicare: ſurge, ego iſtic aſſedero. TH. *Maximè*; accipito hanc ad te litem. Cic. 1. de legib. Sed ego *planè* vellem, me arbitrum inter eos datum. 1. ad fam. ep. 4. *ſanè* moleſté Pompejum id ferre conſtabat. & lib. 4. ep. 7. Sané autem vellem poſſe obſequi voluntati tuæ. 2. Tuſc. *prorſus* hæc divitia ſunt. 1. off. *Omnino* fortis animus duabus rebus, cernitur. Lib. 7. ad fam. ep. 5. *Neque* mehercule *minus* ei *prolixè* de tua voluntate promiſi quam eram ſolitus de mea polliceri.

In *Negando* his fere: Cic. pro Cluent. *Haud* hæres eſt Cluentius. de Orthographia hujus voces conſule Lipſ. lib. 1. Var. Lect. cap. 29. & Scalig. de Cauſ. Lat. linguæ cap. 22. Terent. in Adelph. Act. 5. ſc 3. *Non* æquum dicis. Virgil. 2. Æn. *Non* tali auxilio *nec* defenſoribus iſtis Tempus eget: *Non* ſi ipſe meus nunc afforet Hector. Plaut. in Moſtell. Act. 1. ſc 3.

operæ *ne* parcunt ſuæ Terent. Act. 3. ſc. 5. Quando *nec* gnatus, *Neque* hîc mihi quiſquam obtemperat. Cic. de orat, de verborum delectu agens, ut *ne re* . aſperorum concurſus *neve* hiulcus ſit. & viciſſim: ut *neve* aſpere concurrant, *neve* vaſtius deducantur. Tuſc. Quid curet autem? qui *ne* ſentit *quidem*. 10. ad fam. ep. 31. *Nequaquam* tanta in mora eſt, quanta etcc. 10. ac Att. ep. ult. Monebas de Q. Cicerone puero, ut eum *neutiquam* relinquerem, Liv. lib. 30. cap. 2. Aſdrubalem propediem affore, cum manu *haudquaquam* contemnenda. Terent. in Andr. Act. 1. ſc. 3. Ego quid agas, *nihil* intelligo & Act. 4. ſc. 1. hæc ubi opus eſt, non verentur: ubi nihil opus eſt, ibi verentur. Cic. 3. de Nat. Deor. Quærenti ex te ea quæ *parum* accepi, de provinc. Conſular Quibus ego ſi *minus* aſſentiebar, tamen illius mihi judicium gratum eſſe debebat. pro Milone verear ne turpe ſit, *minimeque* deceat. Terent. in adelph. Act. 3 ſc. 2. Quapropter quoquo pacto celato opus eſt. SOTR. *Minimè gentium* & in Eunucho Act. 2. ſc. 1. Memini, tametſi *nullus* moneas. Cic. 11. ad Att. ep. 24. Philotimus non modò *nullus* venit, ſed ne per literas quidem etcc. Apul lib. 8. Aſini an nulli ſcitis, quo loco conſederitis? Auguſt. in Meditat. cap. 20. Quæ (ſc. orationes) inefficaces apud deum *nullatenus* eſſe poſſunt Lucret. lib 1. v. 310. Quas oculi poſſunt *nulla ratione* videre lib. 2. v. 772. *nullo* poſſent albeſcere *pacto*. Cic. 4. ad famil. ep. 4. Id tibi *nullo modo* aſſentior. & lib. 10. Ep. 31. proferri literæ *nulla conditione* potuerunt. His accedunt quædam velut deſcriptiones. Apul 8. Metam. *Abſit*, ut velim ſimili mortis genere marito meo

meo coæqueris: Cic. pro Roſc. Am. *Dii prohibeant*, Judices ut hoc præſidium ſectorum exiſtimetur. i. e. Neutiquam exiſtimabitur. Pro Muræna. Si *quod Jupiter omen avertat*, hunc veſtris ſententiis afflixeritis; quò ſe miſer vertet. Plaut. in Merc. Act. 2. Ne deteriorem tamen hoc facto ducas, Egone' ah, *ne Dii ſirint*, vicisſim. 6. ad Att. epiſt. 4. *Nihil minus* probari poterat, quàm quæſtor Meſſinius. 2. ad famil. ep. 16. Nonne tibi affirmavi, *quid vis me potius* perpeſſurum, quàm ex Italia ad bellum exiturum. Ovid. 9. Metam. An habent & ſomnia pondus? *Dii melius* Cic. Philipp 8. Ergo habet Antonius, quod ſuis polliceatur: nos num quid tale habemus? *Dii meliora.* Hinc illud utique his locis uſitatum: Gott bettert. & 1. Offic. Catoni *moriendum potius*, quàm Tyranni vultus aſpiciendus fuit. i e. minime omnium voluit aſpicere. Terent. in Eun. Act. 4. ſc. 7. Hançcine ego ut contumeliam tam inſignem in me acipiam Gnatho? *Mori me ſatius eſt*, & in Adelph. Act. 3, ſc. 5. *Animam relinquam potius*, quam illas deſeram. Poëtæ plurima impoſſibilia congerere, & cum his quod negant conferre ſolent Ovid. 4. Triſt. ubi tandem concludit: Hæc ego cuncta prius, quam te chariſſimè credam mutatum & curam depoſuiſſe mei. Nonnunquam & Ironia adhibetur. Cic. pro Arch. Sylla verò cum Hiſpanos & Gallos donaret, credo hunc petentem repudiaſſet ſc. minimè repudiaſſet.

In *Ordine* deſignando ſequentibus potiſſimum: 1. Offic. *Principio* generi animantium à natura omni tributum eſſe, Lib. 1. ad famil. Ep. 7. Quemadmodum

 dum

dum Senatus *initiò* cenſuit. 1. de Natura. deor. Quæro igitur veſter Deus *primum* ubi habitet. *Deinde* quæ cauſa eum loco moveat etcc. Propert. lib. 2. eleg. 3. Sic primò juvenes trepidant in amore feroces *Dehinc* domiti, *poſt hac* æqua & iniqua ferunt. Et lib. 3. eleg. 9. Ac primum pura ſonorum tibi diſcute lympha, Et nitidas preſſo pollice finge comas *Dein*, qua primum oculos cepiſti veſte, Properti, indue, nec vacuum flore relinque caput. *Inde* coronatas ubi thure piaveris aras etcc. Cic. 5. de finib. Ipſa Charitas generis humani ſerpit ſenſim foris, cognationibus primum, tum affinitatibus deinde amicitiis, *poſt* vicinitatibus, *tum* civibus, & iis qui publicè ſocii atque amici ſunt; deinde totius complexu gentis humanæ, 2. de orat. Jubent exordiri ita ut eum qui audiet, benevolum nobis faciamus & docilem & attentum: Deinde rerum narrare, ita ut veriſimilis narratio ſit ut aperta, ut brevis; poſt autem dicere cauſam aut proponere; noſtra confirmare argumentis ac rationibus deinde contraria refutare. *Tum* autem alii concluſionem orationis & quaſi per orationem collocant. Plaut. Caſtina Act. 1. v. 30. Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem. *Poſt illa* ut ſemper improbus nihilique ſis, *Poſt id locorum* quando ad villam veneris etcc. *Poſt autem*, ruri niſi tu acervum ederis etcc. Terent. in Adelph. Act. 3. ſc. v. 47. Primo indotata eſt: *tum pratera* quæ ſecunda ei dos fuerat, periit. Horat. 2. Epiſt. 2. v. 95. Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem *Mox etiam* ſi fortè vacat, ſequere etcc. His accedunt verba Synonyma Cic. 4. ad fam.

ad fam. ep. 2. *Reſtat* ut diſcedendum putem. lib. 9. ep. 16. *Reliquum eſt*; ne quid temere dicam faciamve contra potentes lib. 10. ep. 31. *Adde hoc*; quod perferri literæ nulla conditione potuerunt. lib. 13. ep. 41. *Addo* etiam illud. quod tibi jucundiſſimum eſſe certò ſcio: lib. 4. ad Attic. ep. 7. *Quod ſuper eſt* etiam puerum Ciceronem curabis & amabis lib. 8. ep. 9. *Eodemque pertinet*; quod cauſam ejus probo. pro Roſc. Am. *Huc accedit*, quod paulo occultior atque tectior hæc cupiditas eſſet. in Orat. *Sequitur* ut cujusque generis nota quæratur & formula. pro Flacco. *Relinquitur* illud, quod vociferari non deſtitit; non debuiſſe etcc. pro lege Manil. *Reſtat*, ut de Imperatore ad bellum gerendum dicamus pro Milone. *Age* nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. viciſſim. lib. 4. ad fam. ep. 13. *Extremum illud eſt*; ut te hortet atque obſecrem; animo ut maximo ſis lib. 10. ep. 24. Milites ego non potentiæ meæ cauſa ornari volui à ſenatu; ſed primum quod ita meritos judicabam; deinde quod ad omnes caſus conjunctiores eſſe Reipublicæ volebam; *noviſſimè* ut ad omni omnium ſollicitatione averſos eos talis vobis præſtare poſſem, quales adhuc fuerunt lib. 1. ad Q. frat. ep. 2. ut hæc genera tollantur epiſtolarum, primum iniquarum, deinde contrariarum, tum abſurde & inuſitate ſcriptarum, *poſtremo* in aliquem contumelioſarum. lib. 2. ad Att. ep. 22. Ajebat, illum primum ſatis diu multum contra: *ad extremum* autem manus dediſſe 5. Tuſcul. Exilium, quantum *demum* à perpetua peregrinatione differt.

contra Rull. omnes urbes, regna *denique* poſtremo etiam vectigalia veſtra venierint. 2. in Catil. init. *Tandem aliquando* Quirites L. Catilinam etcc. ex urbe ejecimus. lib. 14. ad famil. ep. 23. Redditæ mihi *jam tandem* ſunt à Cæſare literæ. lib. 7. ad Att. ep. 7. *Ad ſummum* aſſentiar Cn. Pompejo. Liv. lib. 1. *Ad ultimum* connixus omnibus copiis Ancus acie vicit. lib. 3. *Ad poſtremum* adhortatio capeſſendi belli. Salvian. lib. 3. de Gubern. Dei, Deus Chriſtianis hominibus aſſignat, Primum legem, deinde Prophetas, *tertiò* Evangelium, *quartò* Apoſtolicas lectiones, *poſtremum* generationis novæ munus ſancti Baptiſmatis gratiam.

In *Tempore* quoque annotando his præcipuè Plaut. in Moſtell. Act. 5. ſc. 1. Capio conſilium, ut Senatum congerronum convocem, quem *cum* convocavi, atque illi me e Senatu ſegregant. Liv. dec. 3. lib. 1. *Dum* Elephanti trajiciuntur, *interim* Annibal equites ad caſtra Romana miſerat ſpeculatum etcc. Cic. pro Quinct. Hæc *dum* Romæ geruntur, *interea* Quinctius de agro detruditur. Cæſ. 3. de bello civ. Interea manent induciæ, dum ab illo rediri poſſet. Plaut. in Truc. act. 2. ſc. 6. *Inter* tot dies, hercle jam actum aliquid oportuit Cic. Phil. 2. Si *inter* cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet. Varro 3. de re ruſt. cap. 2. Quin *ſimulac* promiſeris minerval, accipiam. ibid. *Simul ac primum* ex iſto vitaticæ pecore mortui erunt anſeres aut pavones. Ovid. 3. Amor. eleg. 13. Hæc *ſimul* exieris laſcivia protinus omnis Abſit. Cic. pro Cluent. *ſimul atque* intro-

ductus

ductus eſt, rem confecit. pro Quinct. Quæſivit à te *ſtatim* ut Romam rediit. Salluſt, in Jug. *Pariter tum* capta Thala, legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant. Cic. in Orat. Poſt ſenſim incedens Judices *ut* vidit ardentes, exultavit audacius. 6. Verr. *ubi* dolorem ex illius injuriis cognovi, etcc. tum eas hortatus ſum pro Rab. poſth. ubi ſemel quis pejeraverit ei credi poſtea etiamſi per plures Deos juret, non oportet. 7. Verr. Hæc *poſteaquam* acta & conſtituta ſunt procedit iſte repente ex Prætorio. pro Planc. Poſteaquam de meo curſu Reipubl? voce ſum revocatus, lib. 5. ad fam. ep. 2. Poſtea verò quam profectus es. lib. 12. ep. 48. Heri non multò poſt, quàm tu à me diſceſſiſti. lib, 13. ep. 30. Poſt prætor factus eſt Tuditanus, quàm Conſul Memmius lib. 5. ad Att. ep. 1. Te rogo, *quoad* eris Romæ, tu ut ſatis des. Julian. l. 46. D. de jure dotium. Igitur hanc dotem periculo mulieris eſſe dico, *quamdiu* dominus vel pater ratam promiſſionem vel donationem habuerit. Cic. 12. ad fam. ep. 19. Non te fugiet uti conſilio M. Bibuli, qui ſe oppido munitiſſimo *tamdiu* tenuit, quamdiu *in* provincia Parthi fuerunt 2. de Orat. Quarum quamdiu manſit imitatio, tam diu genus iſtud dicendi, ſtudiumque vixit. in Bruto de Q. Hortenſio. vixitque *tamdiu*, *quam* licuit in civitate bene beateque vivere. Corn. Nep. in Att. Quæ [ſc. beneficia] ipſe tribuerat, *tam diu* meminerat *quoad* ille gratus erat, qui acceperat. Columella lib. 12. cap. 18. Ita ignis ſubjicitur, & *tamdiu* incenditur, *donec* ad fundum calor tam ve-

hemens perveniat. Cic. 5. ad Att. ep. 1. Te rogo, quod eris Romæ,tu ut ſatis des. lib. 12. ad fam. ep. 19. mihi quidem *uſque* curæ erit, quid agas, *dum* quid egeris, ſciero pro Dejot. Tamen *uſque eò* ſe tenuit, *quoad* à Cn. Pompejo ad eum Legati literæque venerunt. Plautus Aul. Act. 4. ſc 5. Senex & cum aurum effert foras; *tantiſper* hûc ego ad januam conceſſero in Trucul. prol. Athenæ iſtæ ſunto, ut hoc eſt proſcenium *tantiſper dum* tranſigimus hanc Comœdiam. Agell. lib. 6. cap. 4. ut viveret quidem *tantiſper*, *quoad* fieret permutatio.

In quibusdam *congregandis*, Cic. lib. 13. ad Att. ep. 19. Alia epiſtola *communiter* tibi commendavi legatos Apinatum: ſed hac *ſeperatim* lib. 2. de Invent. Deinde utra lex de genere omni, utra *de parte* quadam, utra *communiter* in plures, utrum in aliquam certam rem ſcripta videatur. 2. de divin. Conchyliis omnibus contingit, ut cum luna creſcant *pariter*, pariterque decreſcant 1. de Off. Tua laus pariter cum Republ. cecidit, lib. 9. ad fam. ep. 2. Modò nobis ſtet illud *una* vivere inſtudiis noſtris. Q. de Orat. Qui cum illis unà illum ipſum carneadem diligentius audierat. pro domo Senatus autoritas meum, *ſimul* reducta eſt lib. 9. ad fam. ep. 1. dummodo ſimul ſimus. Aut *Segregandis* 2. de Orat. Sed eorum *partim* in pompa partim in acie illuſtres fuerunt in Piſon. cum *partem* ejus prædæ profundæ libidines devoraſſent, partem nova quædam & inaudita luxuries, partem etiam in illis locis, ubi omnia diripuit, emtiones, partem permutationes etcc. lib. 8. ad fam.

ad fam. ep. 9. Hoc vehementius laboro nunc, quod *ſeorſum* à Collega puto mihi omnia paranda Plaut. in Act. 5. ſc. Præterea centum denaria Philippæa in Poſceolo *ſeorſu*. Cic. 1. ad Att. ep. 11. Ad pedes omnium *ſigillatim* accidente Clodio. lib. 5. in Verr. Sigillatim unicuique denunciabat. *Reſtringendis* etiam Quintil. lib. 1. Inſt. cap. 11. Dandum aliquid Comædo quoque, dum *eatenus*, *quà* pronunciandi ſcientiam futurus Orator deſiderat. Columella lib. 12. cap. 9. Caules lactucæ ab imo depurgatos eatenus, qua tenera folia videbuntur, in alveo ſalire oportet Cic. lib. 4. ad fam. ep. 4. Sed accipio *ex ea parte, quatenus* aut negligentia aut improbitate eorum, qui epiſtolas accipiant fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. D. de ſepulchro Viol. l. 8. Sepulchri violatio crimen poteſt dici ad legem Juliani de vi publica pertinere, *ex illa parte qua* de eo cavetur qui fecerit quid, quo minus aliquis funeretur. Ibid. de Inſtit. Act. l. 10. *eatenus* tamen dabitur in eum actio, *quatenus* ex ea locupletior eſt. Cic. in Læl. Quamobrem id primum videamus, *quatenus* amor in amicum progredi debeat. & 1. de Orat in omni revidendum eſt quatenus. Etſi enim ſuus cuique modus eſt; tamen magis offendit nimium quàm parum. 8. ad fam. ep. 14. Primum ei te commodes, quoad fides tua dignitasque patietur ad Att. lib. 15. ep. 23. Quouſque inquies? quoad erit integrum; erit autem usque dum ad navem. Nonnunquam & *per præpoſitiones* deſignatur reſtrictio. Plaut. in Epiſt. de Act. 1. ſc. 2. A morbo valui, *ab* animo æger fui. in Truc. Act. 1. ſc. 2. Bis periit amater.

mator, ab re atque animo ſimul. Varro, de re ruſt. lib. 1. cap. 2. video huc venire Cn. Trebellium Scrofam, virum omnibus virtutibus politum, qui *de* agricultura Romanus peritiſſimus exiſtimabatur.

Excluſivarum quoque particularum magna deprehenditur ap. Autores varietas. Cic. de prov. Conſ. Annon Tiberius Grachus etcc. tantam laudem eſt adeptus, quod tribunus pl. *ſolus ex toto* illo Collegio L. Scipioni auxilio fuit 3. de Orat. Stoici ſoli ex omnibus philoſophis dixerunt, 1. De Legib. Hi de re una *ſolum* diſſident: de cæteris mirificè congruunt. 3. Tuſc: Quaſi verò atrabili ſolum mens, ac non ſæpe vel iracundia graviore vel timore moveatur. In Parad. Nomen *tantū virtutis* uſurpas: quid valeat ipſa ignotas pro Muræna: Nihil dicam arrogantius, tantum dicam totos dies atque noctes de re publ. cogitantem. Juſtin. Lib. 8. Hiſt. cap. 1. Omnibus perire, quod ſingulæ amitterent, *nonniſi* oppreſſæ ſenſerunt. Corn. Nep. in Att. In quo *nihil* commutavit, *niſi* quod vetuſtate coactus eſt. Cic. 10. ad famil. ep. 6. Quorum *nemo* conſularis habitus, *niſi* qui animo extitit in Remp. Conſulari. Lib. 5. ep. 5. Statueram *nullas* ad te literas mittere, *niſi* commendatitias. Terent. in Phorm. Act. ſc. 2. Reſtabat *aliud nihil*, *niſi* oculos paſcere. Hirçius de bello Afric. circumſpicere enim Cæſarem, *neque amplius* facere, *niſi* hoſtium jacula vitare. Ovid. 1. Metam. primum chaos deſcribens: rudis indigeſtaque moles *Nec quicquam*: *niſi* pondus iners. Cic. 1. ad Att. ep. 1. Sed hoc *præter me nemini* videtur 6 ad fam. ep. 21. de tuis rebus *nihil*

nihil eſſe quôd timeas, *præter* univerſæ Reip. interitum, tibi confirmo. Lib. 5 ad Att. Ep. 3. *Nullas* enim [literas] adhuc acceperam *præter* quæ mihi binæ ſemel in Ttebuláno redditæ ſunt. & lib. 9. Epiſt. 18. *Nec præter me quiquam* Jtalia ceſſit. Hircius de bello Alex. *Nihil præterquam* de Vita cogitare. Cæſar Comm. 7 de bell. Gall. ſi *nullam præterquam* vitæ noſtræ jacturam fieri viderem, Cic. ad fam. Affirmat in ſermonem ſe poſt Jdus Martii præterquam lepida veniſſe *nemini*. 2. de divin. A qua, *præterquam* de ſua plena; *quid unquam* moniti ſumus? 4. ad fam. ep. 3. A me ſic diligitur, ut ſibi uni concedam *præterea nemini* in Orat. *Nullus* eſt igitur numerus *extra* Pcëticos. Plaut. in Amphitr. Act. 2. ſc. 2. *Extra* unum te mortalis *nemo* corpus corpore contingit. Terent. in Phorm. Act. 2. ſc. 2. *Neque* notus neque cognatus *extra* unam aniculam *quisquam* aderat, qui adjutaret funus. Sueton. in Claud. 36. Trepidus ad aſtra confugit; *nihil* tota vita, *quam* eſſetne ſibi ſalvum Jmperium, requirens. Cic. pro Rabir. Agitur nihil aliud in hac cauſa Quirites, *quam* ut nullum ſit poſthac in Republ. publicum conſilium. Senec. in Troad. v. 648. Teſtor *non aliud* Hector in meo nato mihi placere, *quam* tu. Denique viciſſim Sueton. in Tito cap 10. *Neque* enim extare *ullum* ſuum factum pænitendum, *excepto duntaxat uno*.

In *Comparationibus* inſtituendis magnus eſt uſus adverbiorum, neque verò minor eorum varietas. Cic. de Senect. *Ut* quisque ætate antecellit. ita ſermo-

tentiæ principatum Tenet. 1. de Orat. *ut* in quoque Oratore plurimum eſt, *ita* maximè pertemeſcit, 1. ad Herennium *ut* quoque primum geſtum erit. *ita* primum exponetur Salluſt. in Jugurth. Quorum *uti* cujusque ingenium erat: *ita* rem difficilem aut facilem renunciavere & in Catil Cætera *uti* facto opus ſit, *ita* agant. Cic. 10. ad Att. ep. 16. *ut* malè poſuimus initia, *ſic* cætera ſequentur 1. de Offic. *ut* adverſas res: *ſic* ſecundas immoderatè ferre levitatis eſt. Philipp. 2. *ut* Helena Trojanis, *ſic* ipſe huic Reipubl. cauſa belli, cauſa peſtis atque exitii fuit. In Lucullo n. 113. Amavi hominem, *ſicut* ille me in Bruto ſ. de Orat. ſunt omnia *ſicut* adoleſcentis, non tam re, quam ſpe laudati, Cæſar. 5. de bello Gall. Hoſtes maximo clamore *ſicuti* parta victoria, turres teſtudineſque agere. Cic. 1. Tuſc. n. 20. Ariſtoxenus Muſicus idemque Philoſophus intentionem ipſius corporis quandam *velut* in cantu & fidibus quæ harmonia dicitur: *ſic* ex corporis totius natura & figura, varios motus cieri; *tanquam* in cantu ſonos. Virgil. 1. Æneid. venti *velut* agmine facto qua data porta ruunt. Ibid. Ac *veluti* magno in populo cum ſæpe coorta ſeditio eſt Cic. pro Muræna. Tecum agam Servi non ſecus *ac ſi* meus eſſet frater, lib. 3. de Nat. Deor. n. 8. Tu autem qui id quæris, ſimiliter facis *ac ſi* me roges. Poſt red. ad Quir. Qui me omnibus officiis, *juxta ac ſi* meus eſſet frater ſuſtentavit, 4. ad Att. ep. 17. Quem tracta non ſecus ac ſi ego eſſem Imperator de Seneſt. Literas Græcas ſic avidè arripui, *quaſi* diuturnam ſitim explere cupiens. 1. de Nat.

Deor.

Deor. Epicurus quaſi pueri delicati, nihil eſſe ceſſatione melius exiſtimat 1. ad famil. ep. 7. *Ita* fore, ut per te reſtituatur, *quemadmodum* Senatus initio cenſuit; & ſine multitudine reducatur *quemadmodum* homines religioſi Sybyllæ placere dixerunt. 2. de finib. n. 83. Poſuiſti autem dicere alios fædos quoddam inter ſe facere ſapientes, ut *quemadmodum* ſint in ſe ipſos animati: *eodem modo* ſint erga amicos. In alterutro autem comparatorum *augendo* vel *minuendo* magno non minus eſt hujus generis particularum varietas & *augendo* quidem Cic. Verr. 6. ſunt vero Judices *quam* multi. qui L. Piſonem cognoverunt, Cœlius ap. Cicer. Lib. 8. ep. 5. Tanquam nihil denegatum ſit ei, quo minus quam paratiſſimus eſſet & Ep. 10. *Sanè quam* literis C. Caſſii & Dejotari ſimus permoti lib. 2. de Orat. Carneadis vis incredibilis illa dicendi & varietas *perquam* eſſet optanda nobis Plaut. in Perſ. Act. 4. ſc. 1. *Tam* [ſc. magna] matula viciſſim: Ferocem facit, quia te herus tam [impenſe ſc.] amat. Virgil. Ecl. 1. usque *adeo* turbamur agris Cic. pro Arch. Atque adeo concedendum hoc mihi eſt magis. 2. ad Att. Ep. 6. A ſcribendo *prorſus* abhorret animus. de Clar. Orat. Quod jam prope modum vel *planè penitus* effeciſti Terent. in Heaut. Act. 4. ſc. 1. Anui illi prodita abſte filia eſt *planiſſimè* 2. de Orat. *Valde* mihi videntur errare. 4. Tuſc. Niſi fortè quæ *vehementer*, acriter animoſe fiunt, iracunde fieri ſuſpicamur. 1. ad Att. Ep. 19. *vehementiſſimè* gaudeo. 46. ad Att. ep. 21. ſin, quod ut facias *vehementer etiam atque etiam* te rogo & in

eadem

ead. Ep. *multum* potes nos ap Plautum juvare. 2. de Orat. Aculeonem Craſſus dilexit ex omnibus *plurimum* Terent. in Eunuch. Act. 3. ſc. 5. Equidem iſtud os tuum impudens videre nimium vellem. Cic. 1. ad Q. fr. ep. 1. Omnia alia ſic *abunde* adſunt, ut cum quolibet antiquorum comparari poſſit. 2. ad Att. ep. 16. Puto me Dicarcho *affatim* ſatis feciſſe. Quintil. 1. Inſtit. cap. 1. Memoria *præcipuè* alitur & firmatur exercitatione Salluſt. in Jugurth. cap. 6. Ad hoc pleraque tempora in venando agere? leonem atque alias feras primus aut *inprimis* ferire Apul. de DEo Socrat. Sed inprimis mirandum eſt, quod eaquæ minimè nolunt videri neſcire, diſcere tamen negligunt. Cic. 1. in Verr. *Summe* expectabant omnes, quid in tabulis contineretur. 2. de Orat. Quæ riſum *maximè* moveant. Terent. in Eun. Act. 3. ſc. 1. Illi invidere miſere: verum unus tamen *impenſe* Cic. 6. ad Att. ep. 2. Mihi videtur matrem valde ut debet amare, teque *mirifice*! 9. ad fam. ep. 10. Nec habebam, quod ſcriberem, niſi te à me mirabiliter amari. 1. Acad. Quæſt. Nihil enim magnopere meorum miror. Terent. Eun. Act. 3. ſc. 3. Thaïs *maximè* te orabat *opere*, ut cras redires:

Remittendo vel *minuendo* autem Cic. 2. de Orat. Non eſſem tam inurbanus ac *pene* inhumanus Terent. in Heaut. Act. 1. ſc. 1. Ejus filiam ille amare cæpit perditè *propè ut* jam pro uxore haberet. Plaut. in Perſa Act. 5. ſc. 2. Perii, perculit me *prope* viciſſim Cic. 6. ad fam. ep. 9. Omnes *fere* familiariſſimi ejus [Cæſaris] me diligenter obſervant & colunt. 1. ad Q. fr. ep. 1.

fr. ep. 1. Mihi quidem ætas acta *ferme* eſt. Terent. in Andr. Act. 1. ſc. 5. jam ferme illa moriens me vocat. Ibid. Obſtupui, cenſen me verbum potuiſſe ullum proloqui? aut ullam cauſam ineptam *ſaltem*, iniquam? obmutui. Act. 4. ſc. 1. Niſi putas, quia primò proceſſit *parum*, non poſſe jam ad ſalutem converti hoc malum. Cic. de Prov. Conſul. Conſtabat enim Græcum hominem ac levem, in ipſa provincia *quaſi* triumphaſſe lib. 4. Quæſt. Acad. Volunt probabile aliquid eſſe, & quaſi vero ſimile lib. 9. Epiſt. 2. Literæ quibus ſemper uſi fuimus, quæ ſecundis rebus delectationem *modò* habere videbantur: nunc verò etiam ſalutem. Eod. lib. Nunc verò *tantum* te para ad hæc nobiſcum ferenda & pro Cæl. mulierem nullam nominabo, tantum in medio relinquam pro Ligar. *Tantum modo* in præſidiis eratis: animi verò à cauſa abhorrebant Liv. dec. 3. lib. 9. Prædatum tantum modo pleræque claſſes ierant. Terent. in Phorm. Act 1. ſc. 2. Is ſenem per Epiſtolam pellexit, *modò non* montes auri pollicens. Sueton. in Tiber. cap. 52. Sed *tantum non* ſtatim à funere ad negotiorum conſuetudinem rediit.

ARTICULUS V.

DE VARIATIONE CONJUNCTIONUM.

C*Onjunctionum* denique varietas & copia potiſſimum in inciſis, membriſque inter ſe nectendis

armis confidant; ſed quæ maximè rerum disjunctionem irruunt, membra quoque ſermonis non rarò aptiſſimè conjungunt, e. g. Cic. pro Marcello. Quis eſt illo *aut* nobilitate, aut probitate aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut ullo genere laudis præſtantur. Terent. in Adelph. Act. 3. ſc. 2. Quem *neque* fides, neque jusjurandum, neque ulla miſericordia repreſſit neque reflexit.

Sæpiſſimæ quoque membra inter ſe connexa deprehendimus, *antecedentis & conſequentis notione*, cujusmodi propoſitiones Logici Hypothetecas ſive *conditionatas* vocant. Cic. in Top. n. 12. *Si* compaſcuus eſt ager, jus eſt compaſcere n. ſeq. Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à viro ſi ei viro mater familias eſſet; ſi ea in manum non convenerat, nihil debetur. Et n. 10. præced. Si neque cenſu neque vindicta nec teſtamento liberfactus eſt non eſt liber. Lib. 10. ad fam. *Quodſi* vobis ipſis non defueritis, profectò quod ad me attinet, omnibus rebus abunde ſatisfaciam. Sæpe verò conditio hæc ſupponitur modo *Imperativo*. Seneca Epiſt. 77. Sed ſepara iſta; nihil erit; quod tibi faciat errorem. *Conceſſivo* idem de vita beata: Pone in opulentiſſima me domo: pone ubi aurum & argentum in promiſcuo ſit: non ſuſpiciam me ob iſta etcc; vel denique *interrogando* Claudian. lib. 1. Laudum armati referam vires. Eplus egit inermis & de duabus Muſis. Læva jubet? lævo deducunt limine greſſum. Mutavit ſtrepitum? dexteriora petunt. vel ſub *cauſæ & effectus* ratione unde à Logicis ejusmodi propoſi-

poſitiones *Cauſales* dici ſolent; cauſæ verò particula plurimis modis exprimitur potiſſimũ quidem ſeqq. Cic. 13. ad famil. ep. 4. cum municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt. Magno *enim* meo beneficio affecti cumulatiſſimè mihi gratiam retulerunt, *nam* nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt. In Lxl. *Quia* natura mutari non poteſt, *id circo* veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. 13. ad fam. ep. 70. *Quia* non eſt obſcura tua in me benevolentia, *ſic* fit, ut multi per me tibi velint commendari. pro Roſc. Amer. Ita fit, ut adſint propterea, *quod* officium ſequuntur Liv. Dec. 1. lib. 1. Id minus, quod jam alienis cladibus ceciderant animi certaminis fuit? 1. Tuſc. Qui fortis eſt, idem eſt fidens; *quoniam* confidens mala conſuetudine in vitio ponitur pro Flacco. ubi ergo crimen eſt *quoniam quidem* furtum nuſquam reprehendis. pro Cælio. Non ſi juſta cauſa eſt oppugnandi, *ideo* quoque juſtum eſt vos etc. 16. ad fam. ep. 3. Marionem ad te eò miſi ut aut tecum ad me quam primum veniret, aut ſi tu morarere, ſtatim ad me rediret. Cæſar. 2. de bello civili. Quod ad prælium egreſſi curionis milites iis rebus indigebant, quæ ad oppugnationem caſtrorum erant uſui; *itaque* Cicero exercitum in caſtra reduxit. Plaut. in Amphitr. Act. 3. ſc. 2. *Quando* ego quod feci, Amphitruoni obfuit. Terent. in Andr. Act. 3. ſc. 2. DEos quæſo ut ſit ſuperſtes; *quandoquidem* ipſe eſt ingenio bono Cic. 1. Tuſc. Antiquiſſimum è doctis genus ſit; *ſiquidem* Homerus fuit & Heſiodus ante Romam conditam. 12. ad Att. ep. 43.

hemens perveniat. Cic. 5. ad Att. ep. 1. Te rogo, quod eris Romæ, tu ut ſatis des. lib. 12. ad fam. ep. 19. mihi quidem *usque* curæ erit, quid agas, *dum* quid egeris, ſciero pro Dejot. Tamen *usque eò* ſe tenuit, *quoad* à Cn. Pompejo ad eum Legati literæque venerunt. Plautus Aul. Act. 4. ſc 5. Senex & cum aurum effert foras; *tantisper* hûc ego ad januam conceſſero in Trucul. prol. Athenæ iſtæ ſunto, ut hoc eſt proſcenium *tantisper dum* tranſigimus hanc Comædiam, Agell. lib. 6. cap. 4. ut viveret quidem *tantisper*, *quoad* fieret permutatio.

In quibusdam *congregandis*, Cic. lib. 13. ad Att. ep. 19. Alia epiſtola *communiter* tibi commendavi legatos Apinatum: ſed hac *ſeperatim* lib. 2. de Invent. Deinde utra lex de genere omni, utra *de parte* quadam, utra *communiter* in plures, utrum in aliquam certam rem ſcripta videatur. 2. de divin. Conchyliis omnibus contingit, ut cum luna creſcant *pariter*, pariterque decreſcant 2. de Off. Tua laus pariter cum Republ. cecidit, lib. 9. ad fam. ep. 2. Modò nobis ſtet illud *una* vivere inſtudiis noſtris. Q. de Orat. Qui cum illis unà illum ipſum carneadem diligentius audierat. pro domo. Senatus autoritas meum, *ſimul* reducta eſt lib. 9. ad fam. ep. 1. dummodo ſimul ſimus. Aut *Segregandis* 2. de Orat. Sed eorum *partim* in pompa partim in acie illuſtres fuerunt in Piſon. cum *partem* ejus prædæ profundæ libidines devoraſſent, partem nova quædam & inaudita luxuries, partem etiam in illis locis, ubi omnia diripuit, emtiones, partem permutationes etcc. lib. 8. ad fam.

ad fam. ep. 9. Hoc vehementius laboro nunc, quod *ſeorſum* à Collega puto mihi omnia paranda Plaut. in Act. 5. ſc. Præterea centum denaria Philippæa in Poſceolo *ſeorſu*. Cic. 1. ad Att. ep. 11. Ad pedes omnium *ſigillatim* accidente Clodio. lib. 5. in Verr. Sigillatim unicuique denunciabat. *Reſtringendis* etiam Quintil. lib. 1. Inſt. cap. 11. Dandum aliquid Comædo quoque, dum *eatenus*, *quà* pronunciandi ſcientiam futurus Orator deſiderat. Columella lib. 12. cap. 9. Caules lactucæ ab imo depurgatos eatenus, qua tenera folia videbuntur, in alveo ſalire oportet Cic. lib 4. ad fam. ep. 4. Sed accipio *ex ea parte, quatenus* aut negligentia aut improbitate eorum, qui epiſtolas accipiant fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. D. de ſepulchro Viol. l. 8. Sepulchri violatio crimen poteſt dici ad legem Juliani de vi publica pertinere, *ex illa parte qua* de eo cavetur qui fecerit quid, quo minus aliquis funeretur. Ibid. de Inſtit. Act. l. 10. *eatenus* tamen dabitur in eum actio, *quatenus* ex ea locupletior eſt. Cic. in Læl. Quamobrem id primum videamus, *quatenus* amor in amicum progredi debeat. & 1. de Orat in omni revidendum eſt quatenus. Etſi enim ſuus cuique modus eſt; tamen magis offendit nimium quàm parum. 8. ad fam. ep. 14. Primum ei te commodes, quoad fides tua dignitasque patietur ad Att. lib. 15. ep. 23. Quouſque inquies? quoad erit integrum; erit autem usque dum ad navem. Nonnunquam & *per præpoſitiones* deſignatur reſtrictio. Plaut. in Epiſt. de Act. 1. ſc. 2. A morbo valui, *ab* animo æger fui. in Truc. Act. 1. ſc. 2. Bis periit a-

 mator.

mator, ab re atque animo ſimul. Varro de re ruſt. lib. 1. cap. 2. video huc venire Cn. Trebellium Scrofam, viru m omnibus virtutibus politum, qui *de* agricultura Romanus peritiſſimus exiſtimabatur.

Excluſivarum quoque particularum magna deprehenditur ap. Autores varietas. Cic. de prov. Conſ. Annon Tiberius Gracchus etcc. tantam laudem eſt adeptus, quod tribunus pl. *ſolus ex toto* illo Collegio L. Scipioni auxilio fuit 3. de Orat. Stoici ſoli ex omnibus philoſophis dixerunt, 1. De Legib. Hi de re una *ſolum* diſſident: de cæteris mirificè congruunt. 3. Tuſc. Quaſi verò atrabili ſolum mens, ac non ſæpe vel iracundia graviore vel timore moveatur. In Parad. Nomen *tantū virtutis* uſurpas: quid valeat ipſa ignotas pro Muræna. Nihil dicam arrogantius, tantum dicam totos dies atque noctes de re publ. cogitantem. Juſtin. Lib. 8. Hiſt. cap. 1. Omnibus perire, quod ſingulæ amitterent, *nonniſi* oppreſſæ ſenſerunt. Corn. Nep. in Att. In quo *nihil* commutavit, *niſi* quod vetuſtate coactus eſt. Cic. 10. ad famil. ep. 6. Quorum *nemo* conſularis habitus, *niſi* qui animo extitit in Remp. Conſulari. Lib. 5. ep. 5. Statueram *nullas* ad te literas mittere, *niſi* commendatitias. Terent. in Phorm. Act. ſc. 2. Reſtabat *aliud nihil*, *niſi* oculos paſcere. Hirçius de bello Afric. circumſpicere enim Cæſarem, *neque amplius* facere, *niſi* hoſtium jacula vitare. Ovid. 1. Metam. primum chaos deſcribens: rudis indigeſtaque moles *Nec quicquam*: *niſi* pondus iners. Cic. 1. ad Att. ep. 1. Sed hoc *præter me nemini* videtur 6 ad fam. ep. 21. de tuis rebus *nihil*

nihil eſſe quôd timeas, *præter* univerſæ Reip. interitum, tibi confirmo. Lib. 5 ad Att. Ep. 3. *Nullas* enim [literas] adhuc acceperam *præter* quæ mihi binæ ſemel in Ttebulano redditæ ſunt. & lib. 9. Epiſt. 18. *Nec præter me quiquam* Jtalia ceſſit. Hircius de bello Alex. *Nihil præterquam* de Vita cogitare. Cæſar Comm. 7 de bell. Gall. ſi *nullam præterquam* vitæ noſtræ jacturam fieri viderem, Cic. ad fam. Affirmat in ſermonem ſe poſt Jdus Martii præterquam lepida veniſſe *nemini*. 2, de divin. A qua, *præterquam* de ſua plena; *quid unquam* moniti ſumus? 4. ad fam. ep. 3. A me ſic diligitur, ut ſibi uni concedam *prætere a nemini* in Orat. *Nullus* eſt igitur numerus *extra* Pcëticos. Plaut. in Amphitr. Act. 2. ſc. 2. *Extra* unum te mortalis *nemo* corpus corpore contingit. Terent. in Phorm. Act. 1. ſc. 2. *Neque* notus neque cognatus *extra* unam aniculam *quisquam* aderat, qui adjutaret funus. Sueton. in Claud. 36. Trepidus ad aſtra confugit; *nihil* tota vita, *quam* eſſetne ſibi ſalvum Jmperium, requirens. Cic. pro Rabir. Agitur nihil aliud in hac cauſa Quirites, *quam* ut nullum ſit poſthac in Republ. publicum conſilium. Senec. in Troad. v. 648. Teſtor *non aliud* Hector in meo nato mihi placere, *quam* tu. Denique viciſſim Sueton. in Tito cap 10. *Neque* enim extare *ullum* ſuum factum pœnitendum, *excepto duntaxat uno*.

In *Comparationibus* inſtituendis magnus eſt uſus adverbiorum, neque verò minor eorum varietas Cic. de Senect. *Ut* quisque ætate antecellit. ita ſermo-

 ten-

tentiæ principatum Tenet. 1. de Orat. ut in quoque Oratore plurimum eſt, ita maximè pertimeſcit, 1. ad Herennium ut quoque primum geſtum erit. ita primum exponetur Salluſt. in Jugurth. Quorum *uti* cujusque ingenium erat: *ita* rem difficilem aut facilem renunciavere & in Catil Cætera uti facto opus ſit, ita agant. Cic. 10. ad Att. ep. 16. *ut* malè poſuimus initia, *ſic* cætera ſequentur 1. de Offic. ut adverſas res: ſic ſecundas immoderatè ferre levitatis eſt. Philipp. 2. ut Helena Trojanis, ſic ipſe huic Reipubl. cauſa belli, cauſa peſtis atque exitii fuit. In Lucullo n. 113. Amavi hominem, *ſicut* ille me in Bruto ſ. de Orat. ſunt omnia ſicut adoleſcentis, non tam re, quam ſpe laudati, Cæſar. 5. de bello Gall. Hoſtes maximo clamore *ſicuti* parta victoria, turres teſtudinesque agere. Cic. 1. Tuſc. n. 20. Ariſtoxenus Muſicus idemque Philoſophus intentionem ipſius corporis quandam *velut* in cantu & fidibus quæ harmonia dicitur; ſic ex corporis totius natura & figura, varios motus cieri; tanquam in cantu ſonos. Virgil. 1. Æneid. venti *velut* agmine facto qua data porta ruunt. Ibid. Ac *velati* magno in populo cum ſæpe coorta ſeditio eſt Cic. pro Muræna. Tecum agam Servi non ſecus *ac ſi* meus eſſet frater, lib. 3. de Nat. Deor. n. 8. Tu autem qui id quæris, ſimiliter facis *acſi* me roges. Poſt red. ad Quir. Qui me omnibus officiis, *juxta acſi* meus eſſet frater ſuſtentavit. 4. ad Att. ep. 17. Quem tracta non ſecus acſi ego eſſem Imperator de Seneɛt. Literas Græcas ſic avidè arripui, *quaſi* diuturnam ſitim explere cupiens. 1. de Nat. Deor.

Deor. Epicurus quaſi pueri delicati, nihil eſſe ceſſatione melius exiſtimat 1. ad famil. ep. 7. *Ita fore*, ut per te reſtituatur, *quemadmodum* Senatus initio cenſuit; & ſine multitudine reducatur *quemadmodum* homines religioſi Sybyllæ placere dixerunt. 2. de finib. n. 83. Poſuiſti autem dicere alios fædos quoddam inter ſe facere ſapientes, ut *quemadmodum* ſint in ſe ipſos animati: *eodem modo* ſint erga amicos. In alterutro autem comparatorum *augendo* vel *minuendo* magno non minus eſt hujus generis particularum varietas & *augenda* quidem Cic. Verr. 6. ſunt vere Judices *quam* multi. qui L. Piſonem cognoverunt. Cælius ap. Cicer. Lib. 8. ep. 5. Tanquam nihil denegatum ſit ei, quo minus quam paratiſſimus eſſet & Ep. 10. *Sanè quam* literis C. Caſſii & Dejotari ſimus permoti lib. 2. de Orat. Carneadis vis incredibilis illa dicendi & varietas *perquam* eſſet optanda nobis Plaut. in Perſ. Act. 4. ſc. 1. *Tam* [ſc. magna] matula viciſſim: Ferocem facit, quia te herus tam [impenſe ſc.] amat. Virgil. Ecl. 1. usque *adeo* turbamur agris Cic. pro Arch. Atque adeo concedendum hoc mihi eſt magis. 2. ad Att. Ep. 6. A ſcribendo *prorſus* abhorret animus. de Clar. Orat. Quod jam prope modum vel *planè penitus* effeciſti Terent. in Heaut. Act. 4. ſc. 1. Anui illi prodita abſte filia eſt *planiſſimè* 2. de Orat. *Valde* mihi videntur errare. 4. Tuſc. Niſi fortè quæ *vehementer*, acriter animoſe fiunt, iracunde fieri ſuſpicamur. 1. ad Att. Ep. 19. *vehementiſſimè* gaudeo. 46. ad Att. ep. 21. ſin, quod ut facias *vehementer etiam atque etiam* te rogo & in

ead. Ep. *multum* potes nos ap Plautum juvare. 2. de Orat. Aculeonem Craſſus dilexit ex omnibus *plurimum* Terent. in Eunuch. Act. 3. ſc. 5 Equidem iſtud os tuum impudens videre nimium vellem. Cic. 1. ad Q. fr. ep. 1. Omnia alia ſic *abunde* adſunt, ut cum quolibet antiquorum comparari poſſit. 1. ad Att. ep. 16. Puto me Dicarcho *affatim* ſatis feciſſe. Quintil. 1. Inſtit. cap. 1. Memoria *præcipuè* alitur & firmatur exercitatione Salluſt. in Jugurth. cap. 6. Ad hoc pleraque tempora in venando agere? leonem atque alias feras primus aut *inprimis* ferire Apul. de DEo Socrat. Sed inprimis mirandum eſt, quod ea quæ minimè nolunt videri neſcire, diſcere tamen negligunt. Cic. 2. in Verr. *Summe* expectabant omnes, quid in tabulis contineretur. 2. de Orat. Quæ riſum *maximè* moveant. Terent. in Eun. Act. 3. ſc. 1. Illi invidere miſere: verum unus tamen *impenſe* Cic. 6. ad Att. ep. 2. Mihi videtur matrem valde ut debet amare, teque *mirifice*! 9. ad fam. ep. 10. Nec habebam, quod ſcriberem, niſi te à me mirabiliter amari. 1. Acad. Quæſt. Nihil enim magnopere meorum miror. Terent. Eun. Act. 5. ſc. 3. Thaïs *maximè* te orabat *opere*, ut cras redires:

Remittendo vel *minuendo* autem Cic. 2. de Orat. Non eſſem tam inurbanus ac *pene* inhumanus Terent. in Heaut. Act. 1. ſc. 1. Ejus filiam ille amare cæpit perditè *propè ut* jam pro uxore haberet. Plaut. in Perſa Act. 5. ſc. 2. Perii, perculit me *prope* viciſſim Cic. 6. ad fam. ep. 9. Omnes *fere* familiariſſimi ejus [Cæſaris] me diligenter obſervant & colunt. 1. ad Q. fr. ep. 1.

ſt. ep. 1. Mihi quidem ætas acta *ferme* eſt. Terent. in Andr. Act. 1. ſc. 5. jam ferme illa moriens me vocat. Ibid. Obſtupui, cenſen me verbum potuiſſe ullum proloqui? aut ullam cauſam ineptam *ſaltem*, iniquam? obmutui. Act. 4. ſc. 1. Niſi putas, quia primò proceſſit *parum*, non poſſe jam ad ſalutem converti hoc malum. Cic. de Prov. Conſul. Conſtabat enim Græcum hominem ac levem, in ipſa provincia *quaſi* triumphaſſe lib. 4. Quæſt. Acad. Volunt probabile aliquid eſſe, & quaſi vero ſimile lib. 9. Epiſt. 2. Literæ quibus ſemper uſi fuimus, quæ ſecundis rebus delectationem *modò* habere videbantur: nunc verò etiam ſalutem. Eod. lib. Nunc verò *tantum* te para ad hæc nobiſcum ferenda & pro Cæl. mulierem nullam nominabo, tantum in medio relinquam pro Ligar. *Tantum modo* in præſidiis erat: animi verò à cauſa abhorrebant Liv. dec. 3. lib. 9. Prædatum tantum modo pleræque claſſes ierant. Terent. in Phorm Act 1. ſc. 2. Is ſenem per Epiſtolam pellexit, *modò non* montes auri pollicens. Sueton. in Tiber. cap. 52. Sed *tantum non* ſtatim à funere ad negotiorum conſuetudinem rediit.

ARTICULUS V.

DE VARIATIONE CONJUNCTIONUM.

COnjunctionum denique varietas & copia potiſſimum in inciſis, membriſque inter ſe nectendis

dis occurrit, in *Copulando* enim hæc dictionis pars vim ſuam præcipuè exerit. Liv. Dec. 3. lib. 8. Somnus & vinum; & epulæ & Scorta & balnea corpora atque animos enervant. Terent. in Adelph. Act. 3. ſc. 2. Quod mihi hæreque filiæque herili eſt. ſc. 4. fin. ibò *ac* requiram fratrem. Plaut. in Cach. Act. ſc. 2. Jam perdidiſti te *atque* me, atque operam meam. Cic. ad Q. fr. lib. 1. Ep 3. Cum omnia maledicta verſus *etiam* obſcæniſſimi in Clodium & Clodiam dicerentur. Auſon. ſed nulla fuit res parva unquam æqua nimis, *adde etiam* unanimis. Cic. 4 Verr. Nolite expectare, dum ego hoc crimen agam oſtiatim: ab Æſchilo Tyndaritano illum patellam abſtuliſſe, à Thraſone *item* Tyndaritano patellam. 9. ad fam. ep. VI. vir fortis; *idemque* Philoſophus. Liv. lib. 23. Hunc natura & moribus immitem ferumque *inſuper* Dux ipſe efferabat. Virgil. 3. Georg. *Nec non* & pecori eſt idem delectus equino. Martial. lib. 5. Epigr. 43. Debitor uſuram *pariter* ſortemque negabit. Cic. 3. de Orat. Nam verius *atque* prima & media & extrema pars attenditur. Tacit. 3. Hiſt. Nos clementiæ *ſimul ac* ſeveritatis non pœniteat. Liv. lib. 1. Abſentium bona *juxta atque* Imperatorum diviſa fuere. Juſtin. lib. 2. Orithyæ *præter* ſingularem belli ſcientiam, eximia ſervatæ in omne ævum virginitatis admiratio fuit. Valer. Max. lib. 7. cap. 3. Summa in hoc *cum* calliditate manſuetudo Cic. 2. de Orat. Auditor tanquam, machinatione aliqua tum ad ſeveritatem, tum ad remiſſionem animi, tum ad triſtitiam, tum ad

ad lætitiam eſt contorquendus. Ibid. Diligentia *cum* omnibus in rebus, *tum* in cauſis defendendis plurimum valeat. Lib. 6. ad fam. ep 21. Cujus cum frugi ſeveraque eſt vita, *tum etiam* jucundiſſima conjunctio Lib. 14. ad fam ep. 4. *Cum* omnia mihi tempora ſunt miſera; tum vero etiam cum aut ſcribo ad vos, aut veſtras lego, conficior lachrymis ad Qu. fr. Lib. 1. ep. Hallienus autem noſter cum animo & benevolentia *tum verò etiam* imitatione dicendi ſc. præſtat. Ibid. Quo me animo inſervos eſſe cenſes? quos quidem *cum* omnibus in locis, *tum præcipuè* in provinciis regere debemus 4 ad fam. ep. 11. Plurimum valuiſſe apud me tuam ſemper autoritatem, *cum* in omni re, *tam* in hoc *maximè* negotio potes exiſtimare. Lib. 13. ep. 54. *cum* mihi multa grata ſunt, quæ tu adductus mea commendatione feciſti, *tum imprimis*, quod M. Marcilium, amici atque interpretis mei filium liberaliſſime tractaviſti. 7. ad Att. ep. 5 pace opus eſt. Ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannis exiſtet viciſſim 9. ad fam. ep. Veliſque per te, me hoc muneris *cum* ipſis amicis hominibus, *tum* municipio Caleno, qui cum mihi magna neceſſitudo eſt, *tum* Leptæ quem omnibus antepono, dare Lib. 15. ep. 4. Quo audito vehementer ſum commotus, *cum* de Syria, *tum* de mea provincia, de reliqua *denique* Aſia. Liv. lib. 85. *Tam* adverſæ *quam* ſecundæ res magnis ſermonibus celebrantur. Cic. pro Cluent. *Non minus* de capite hujus, quam de ſua vita laborabat. Juſtin. lib. 1. cap. 10. Hortatur *Non mænibus* magis, *quam* armis

armis confidant; ſed quæ maximè rerum disjunctionem irruunt, membra quoque ſermonis non rarò aptiſſimè conjungunt, e. g. Cic. pro Marcello. Quis eſt illo *aut* nobilitate, aut probitate aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut ullo genere laudis præſtantur. Terent. in Adelph. Act. 3. ſc. 2. Quem *neque* fides, neque jusjurandum, neque ulla miſericordia repreſſit neque reflexit.

Sæpiſſimæ quoque membra inter ſe connexa deprehendimus, *antecedentis & conſequentis notione*, cujusmodi propoſitiones Logici Hypothetecas ſive *conditionatas* vocant. Cic. in Top. n. 12. *Si* compaſcuus eſt ager, jus eſt compaſcere n. ſeq. Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à viro ſi ei viro mater familias eſſet: ſi ea in manum non convenerat, nihil debetur. Et n. 10. præced. Si neque cenſu neque vindicta nec teſtamento liberfactus eſt non eſt liber. Lib. 10. ad fam. *Quodſi* vobis ipſis non defueritis, profecto quod ad me attinet, omnibus rebus abunde ſatisfaciam. Sæpe verò conditio hæc ſupponitur modo *Imperativo*. Seneca Epiſt. 77. Sed ſepara iſta, nihil erit, quod tibi faciat errorem. *Conceſſive* idem de vita beata: Pone in opulentiſſima me domo: pone ubi aurum & argentum in promiſcuo ſit: non ſuſpiciam me ob iſta etcc, vel denique *interrogando* Claudian. lib. 1. Laudum armati referam vires. Eplus egit inermis & de duabus Muliis. Læva jubet? lævo deducunt limine greſſum. Mutavit ſtrepitum? dexteriora petunt. vel ſub *cauſæ & effectus* ratione unde à Logicis ejusmodi propoſi-

poſitiones *Cauſales* dici ſolent; cauſæ verò particula plurimis modis exprimitur potiſſimū quidem ſeqq. Cic. 13. ad famil. ep. 4. cum municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt. Magno *enim* meo beneficio affecti cumulatiſſimè mihi gratiam retulerunt, *nam* nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt. In Læl. *Quia* natura mutari non poteſt, *id circo* veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. 13. ad fam. ep. 70. *Quia* non eſt obſcura tua in me benevolentia, *ſic* fit, ut multi per me tibi velint commendari. pro Roſc. Amer. Ita fit, ut adſint propterea, *quod* officium ſequuntur Liv. Dec. 1. lib. 1. Id minus, quod jam alienis cladibus ceciderant animi certaminis fuit? 1. Tuſc. Qui fortis eſt, idem eſt fidens; *quoniam* confidens mala conſuetudine in vitio ponitur pro Flacco. ubi ergo crimen eſt *quoniam quidem* furtum nuſquam reprehendis. pro Cælio. Non ſi juſta cauſa eſt oppugnandi, *ideo* quoque juſtum eſt vos etc. 16. ad fam ep. 3. Marionem ad te eò miſi ut aut tecum ad me quam primum veniret, aut ſi tu morarere, ſtatim ad me rediret. Cæſar. 2. de bello civili. Quod ad prælium egreſſi curionis milites iis rebus indigebant, quæ ad oppugnationem caſtrorum erant uſui; *itaque* Cicero exercitum in caſtra reduxit. Plaut. in Amphitr. Act 3. ſc. 2. *Quando* ego quod feci, Amphitruoni obfuit. Terent. in Andr. Act. 3. ſc. 2. DEos quæſo ut ſit ſupreſtes; *quandoquidem* ipſe eſt ingenio bono Cic. 1. Tuſc. Antiquiſſimum è doctis genus ſit; *ſiquidem* Homerus fuit & Heſiodus ante Romam conditam. 12. ad Att. ep. 43.

Jllius [Hirtii] librum, quem ad me miſiſti de Catone, *propterea* volo divulgari à tuis, ut ex iſtorum vituperatione ſit illius laudatio major. Terent. in Andr. Act. 3. ſc. 5. Si *propter id* ſuccenſeat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes: ipſus ſibi injurius eſſe videatur. Gratian. L. 3. C. de jure deliberandi. Nec *ea propter* quod intra paucos dies mortis patris ſui conceſſit in fatum, tu ad ejuſdem fratris tui potes accedere ſucceſſionem. Cajus l. 17. D. de hæred. poſſeſſ. Quod ſi poſſeſſor hæreditatis *ob id*, quod ex teſtamento hæredem ſe eſſe putaret, legatorum nomine de ſuo ſolvit etcc. Ulpian. l. 16 D. de Injur. Neque debeo deterioris conditionis *ob hoc* eſſe, quod ipſum fructum in eo habeo. Cic. 13. ad famil. ep. 10. Nihil ſcripſi ad te *ob eam rem*, quod ædificationis tuæ conſilium mea commendatione nolebam impediri. Hircius de bello Afric. Quod mihi reique publicæ inutilis fuiſti etcc. *ob eas res* ignominiæ cauſa ab exercitu meo te removeo. Cic lib. 5. Ep. 10. Multa mihi veniebant in mentem, *quamobrem* ita fore putarem, etc. lib. 1. Ep. 8. Hæc ego ad te *ob eam cauſam* maximè ſcribo, ut jam de tua quoque ratione meditere in Verr. *Propter hanc cauſam*, quod ipſi Leontini publicà non ſanè me multum adjuverunt. Terent. in Adelph. Act. 4. ſc. 1. Jllud rus *nulla alia cauſa* tam malè odi, niſi quia prope eſt Cic. ad Brut. Ep. 6. *An hoc ipſum ea re* facit, quod illi propter amplitudinem omnia jam ultro deferenda putat Terent. Heaut. Act. 4. ſc. 5. Dixit *ea gratia* ſecum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceres. Varro l. de

re ruſt.

te ruſt. cap. 13. Itaque periti, qui poſſunt, ut eò aqua influat, *eo nomine* faciant. Cic. 12. ad famil. ep. 14. Idque Dolabellam *ea mente* comparaſſe, ut ſi Syriæ ſpes eum fruſtrata eſſet, conſcenderet in naves. lib. 15. Ep. 4. Cumque *eo animo* veniſſem, ut utrique provinciæ, ſi ita tempus ferret ſubvenirem. Et ep. 2. Cum *hac opinione* è Cappadocia diſcederem, ut Regem meus adventus præſentibus inſidiis liberaret. Cæſar. 2. bell. Gall. Partem ſuarum copiarum traducere conati ſunt *eo conſilio*, ut ſi poſſent, caſtellum expugnarent. Agell. lib. 7. cap. 3. At hoc enim planè ſtultitiæ plenum eſt, eo conſilio atque *eâ fine* facere nolle aliquid, uti nunquam id facias quod velis.

In Gratiam Studioſæ Juventutis ſubjiciam Exempla variationis

I. GRAMMATICÆ.

[a] E. *Zachariæ Boddingi* Progymnaſmatis pag. 45. & ſeqq.

Variatio partialis verbi CORRUMPUNT in hac ſententia:

CORRUMPUNT bonos mores colloquia prava.

1.

PEr Synonymiam -- -- Perdunt, deperdunt, depravant, deſtruunt, inficiunt, ſubvertunt, evertunt, pervertunt bonos mores colloquia prava.

2. Per Periphraſin ----- A recto deducunt bonos mores colloquia prava.

3. Per Subſtantivum ------ Coruptionem quaſi aliquam colloquia prava bonis moribus adferunt.

4. Per Participium ----- Morum bonorum Corrumpentia deprehendes colloquia prava.

5. Per Antitheſin ------ Non augent ſed imminuunt bonos mores colloquia prava.

6. Per variationem temporis ---- Corrumpent ſemper bonos mores colloquia prava.
Corruperunt colloquia prava in multis bonos mores.

7. Per variationem numeri ---- Bonos mores corrumpit pravum colloquium.

8. Per Paſſivum ---- Boni mores à colloquiis pravis corrrumpuntur.

Variatio partialis nominis adjectivi BONOS in hæc ſententia!

CORRUMPUNT &c.

1. Per Synonymiam --- Bellos, ingenuos, honeſtos mores colloquia prava corrumpunt

2. Per Periphraſin ---- ſine labe mores deſtruunt colloquia prava.
Culpa carentes mores vitiant colloquia prava.

3. Per Subſtantivum ---- Bonitate conſpicuos mores colloquia prava corrumpunt.

4. Per variationem numeri ----- Bonum deſtruit morem pravum colloquium.

5. Per Antitheſin ----- Non Malos alias mores in depravationem inducunt prava colloquia.

6. Per

6. Per Comparativum ---- Melioris notæ mores colloquia prava corrumpunt.

7. Per variationem in caſus ----- N. Boni mores à colloquiis pravis in pejus rapiuntur. G. Morum bonorum conſuetudinem pervertunt colloquia prava D. Bonis moribus quaſi peſtem adferunt colloquia prava. V. O Boni mores colloquiis pravis vitiamini. A bonis moribus imbutos homines depravant colloquia prava.

Variatio Partialis nominis ſubſtantivi MORES in hac ſententia:

CORRUMPUNT. &c.

1. Per Synonymiam ----- Civilitatem decoram, conſuetudines bonas deſtruunt colloquia prava.
2. Per Adjectivum ---- Bene moratos homines colloquia prava quaſi veneno quodam inficiunt.
3. Per variationem numeri ---- Morem bonorum colloquia prava corrumpunt.
4. Per variationem in caſus ---- N. Boni mores colloquiis malis deſtruuntur. G. Corrumpitur morum bonorum pulchritudo pravis colloquiis D. Colloquiis malis quaſi peſtis afflatur bonis moribus. V. O Boni mores cur vos colloquiis pravis adeo corrumpi ſœpe ſinitis: Homines bonis moribus præditos colloquia prava inquinant.

Variatio Partialis Nominis Subſtantivi COLLOQUIA in hac ſententia.

CORRUMPUNT &c.

1. Per Synonymiam - - - - Dialogi, ſodalitates, ſocietates, collocutiones pravæ bonos corrumpunt mores.
2. Per Periphraſin - - - - Bonis de generationem in pejus adferunt ſermonum alternorum viciſſitudines pravæ.
3. Per Participium - - - - Homines nequam colloquentes cum bonis, eorum bonos mores corrumpunt.
4. Per mutationem numeri - - - - Colloquium pravum bonis moribus depravationem infert.
5. Per variationem in caſus - - - - G. Colloquiorum pravorum vitiis boni mores inquinantur. D. Colloquiis pravis quædam ineſt quaſi vis depravandi mores bonos. Ac. Colloquia pravas bonos mores corrumpere certum eſt. V. O. Colloquia prava vos bonos mores quoties non corrumpitis. Ab. Colloquiis pravis bonos mores depravari in proverbio eſt.

Variatio Partialis nominis adjectivi PRAVA in hac ſententia.

CORRUMPUNT &c.

1. Per ſynonymiam - - - - Perverſa, mala nocentia, ſcurrilia colloquia bonos mores corrumpnnt.
2. Per Periphraſin - - - - Perditorum hominum colloquia bonos corrumpunt mores.
3. Per ſubſtantivum - - - - Bonos mores deſtruunt colloquia multa pravitate ſcatentia,

4. Per

4. Per Variationem numeri - - - - Bonis moribus ruinam cauſatur pravum colloquium,
5. Per Anthitheſin - - - - Bonos mores, colloquia non bona inficiunt.

Variatio partialis in forma eloquendi, hujus ſententiæ

CORRUMPUNT &c.

1. Per Negativam - - - - Nunquam non colloquia prava corrumpunt bonos mores.
2. Per Conceſſivam - - - - ſunt boni mores quibusdam adoleſcentibus, ſed hi colloquiis pravis facile corrumpuntur.
3. Per Adverſativam - - - - - Non bono ſed mala colloquia bonos mores corrumpunt.
4. Per Conditionalem - - - - Si boni mores pravis colloquiis corrumpantur, fugiamus illa.
5. Per Notificativam - - - - Bonos mores pravis colloquiis corrumpi oſtendam.
6. Per Ordinativam - - - - - Colloquia prava primo quidem inquinant dein corrumpunt plane bonos mores.
7. Per Cauſam - - - - - Colloquia prava quia ſpecies juventuti malas imprimunt, bonos mores viciant
8. Per interrogativam - - - - quæ res adeo bonos mores corrumpit ac prava colloquia?
9. Per Indignatoriam - - - - Phy ſtolidos qui pravis delectantur colloquiis; mores enim bonos ea corrumpunt.

10. Per Optantem - - - - - Utinam colloquia prava corrumpere bonos mores attenderent multi adoleſcentes.

11. Per Deſperantem - - - - - Fruſtra vivimus ni relinquamus prava colloquia bonos mores depravantia.

12 Papæ, quanta hominum eſt improbitas, qui ſciunt prava colloquia in pejus trahere bonos mores & nihilo minus adhuc in illis quaſi voluptatem quandam quærunt.

13. Per gaudentem - - - - - Jo laudemus illos qui fugiunt prava colloquia bonos mores corrumpentia.

14. Per Comminantem - - - - - Væ iſtis hominibus; qui ſcientes pravis colloquiis bonos mores corrumpi, illa tamen haud fugiunt.

15. Per Monitoriam - - - - - Extollamus illos qui vitiant colloquia prava bonos mores corrumpentia.

16. Per Conſolativam - - - - Felices poſthac eritis ô ſapientes, qui colloquia nunc vitatis prava, illa enim bonos mores in multis corruperunt, qui nunc in gehenna poënas luunt.

2. Variatio Totalis hujus ſententiæ.

CORRUMPUNT &c.

1. - - - - -Evertunt laudabiles conſuetudines mala ſodalitia.

2. - - - - - Vitiant probam vitam dialogi ſcurriles.

3. - - - - - Perniciem quaſi adferunt animo ingenue vitioſa conſortia.

4. Per

4. Per Adagia ---- Audite quæſo Menandricum illum ſenarium, quem dives Paulus Apoſtolus haud quaquam gravatus eſt, in prima ad Corinthios Epiſtola citare.

Φθείρουσιν ἤθη χρῆστ' ὁμιλίαι κακαὶ

id eſt

Mores bonos convictus inficit improbis.

1. Celebratur & hic ſenarius à Græcis,

κακοῖς ὁμιλῶν αὐτὸς ἐκβήσῃ κακὸς

id eſt.

Malus ipſe fies ſi malis convixeris.

5. Per Apophtegemata ----- 1. Quamquam autem alienum quoddammodo ab hoc inſtituto videtur, tamen non mihi tempero, quin illud adſcribam ex Seneca, ad vitam inſtituendam imprimis conducibile: ſumuntur inquit à converſantibus mores, Senec. de ira lib. 3.

2. Philo, Non rus ajebat, improbos, non urbs bonos efficit: ſed ſimilium congreſſus & conſuetudo; quæ addo etiam, & malos efficit.

[b] Ex I. H. Urſini Progymnaſtices Oratoriæ Epitome, cap. 1. pag. 4. & ſeqq.

PIETAS ad omnia utilis eſt.

I.

Synonymia eſt Timor ille cultusque Dei, ſincera religio & veneratio ſupremi Numinis univerſo gene-

ri humano, maxime ſalutaris, & ad omnia bona comparanda perquam idonea, commoda rebusque omnibus opportuna eſt.

II. Heteroſis. 1. *Qualitatis*, cum ex nomine ſubſtantivo fit Adjectivum, ex Appellativo Proprium. Piæmentis magna eſt utilitas. Quid Hiobo quid Davide Daniele beatius fuit.

2. *Generis*, ſi pro pia mente, pium animum, pium pectus ponas.

3. *Numeri*, ſi Pluralem pro ſingulari Piarum mentium commoda & proëmia innumera ſunt,

4. *Caſus*, ſi pro recto obliquos & per omnes caſus Nomina declines.

Pietas ad omnia utilis.

Pietatis ad omnia ſumma utilitas.

Pietati, certum eſt, ſummam ineſſe utilitatem, ſummaque repoſita eſſe præmia.

Pietatem quis neget ad omnia eſſe utilem! Conſtat, palam eſt, *Pietatem* ſumme eſſe neceſſariam & ſalutarem.

O *Pietas* homini tutiſſima, utiliſſima virtus!

A Pietate omnes utilitates, omnia commoda promanant.

5. *Gradus* Pietate nihil utilius; rebus omnibus utilior eſt Pietas: Ad omnia utiliſſima eſt Pietas.

III. *Antimeria.*

cum Synonymia: Pietati ſtudere, deditumque eſſe ad omnia prodeſt, ad omnia bona expedit, ad omnes commoditates, vel omnium commoditatibus, ſaluti, vitæque rationibus ſingulis & univerſis conducit: Fructus, utilitates, commoda, emolumenta

lumenta habet continetque innumera, operæ pretium, præmium lucrum. compendium ingens adfert etcc.

I. *Verborum cum Heterſis Generis*: Qui Deum colit, à quo Deus colitur: qui timet veretur Deum, ei Pietas omnia commoda adferuntur; ſemper vivit feliciter, agit proſpere, omnibus commoditatibus affluit, cumulatur, omnia bona adipiſcitur. etcc.

Numeri, ut: qui Deum obſervant & ſequuntur, nulla non bona ab eo conſequi ſolent.

Perſonarum, *Ego*, ſi Deum colam, ſufficit; habeo, quod volo, quod conducibile eſt omne. *Tu* ſi vereare ſummum Numen, certus eſto, ne dubites, accipies ampliſſimam gratiæ mercedem.

Temporum: Quis unquam *coluit* Deum qui non omnia conſecutus ſit? Nemo *colet* Deum fruſtra; Nemo *colet* Deum quin omnia ab eo impetraturus ſit bona.

Modorum: *Ama* & venerare DEum, & habe, quicquid uſpiam boni eſt. Utinam *coleremus* DEum, omnia certe commoda conſequeremur! *Timere* Deũ, omne bonum eſt poſſidere. Quantum emolumenti ſemper contulit DEum *coluiſſe*? Una ratio hæc eſt *adipiſcendi* omnia: DEum *reverendo* nihil non boni conſequi poſſumus: Ad *conſequendum* omnia bona unice utilis & neceſſaria eſt pietas.

Conjugationum: DEum amare, timere diligere, eique obedire cauſa eſt omnium bonorum

II. *Participiorum*

per *genera*, DEo deditus, DEo mens dedita, DEo cor addictum. **Per**

Per *Numeros* : DEUM timens, DEum timentes.

Per *Caſus*: DEum *colentis* immenſa remuneratio eſt, præmia & commoda nullo comprehendi poſſunt numero: DEum *timenti* firma ſpes eſt, obventura omnia bona. Quis negare auſit, DEum *timentes* quævis bona conſecuturos? A *timentibus* DEum nulla non commoda impetrari poterunt.

Per *tempora* ; DEum amans, amaturus: A quo DEus ſemper cultus eſt, qui DEum ſemper colendum ſibi propoſuit.

III. *Pronominum*: *Ego* inquit Pietas, ad omnia ſum utilis: *mihi* bona omnia obveniunt: *me* colens omnia bona accipit: *meum* eſt quicquid uſpiam boni eſt: *meæ* ſunt omnes utilitates: *mearum* commoditatum nullus eſt numerus: *meis* fructibus nihil eſt utilius. per *Heteroſin*. *Tu* o Pietas, ad omnia fructuoſa es: DEum ſuum timens ſciat, ſicat, *ſeſe* a DEo percepturum omnia bona: *ille* largiter beabitur *illius* erit bonum omne, quod usquam eſt: *illi* largiter DEus omnia ſuppeditabitetur. *quis* beatior iſte? *quæ* major poſſit eſſe commoditas? *quid* conducibilius pietate: *Cujus* tam bona infinita ſunt commoda? Cui tot bona obveniunt? In *quam* omnia confluunt & conveniunt: noſtra omnis in hac re ſita eſt ſalus & ubertas bonorum noſtrorum omnium: *Noſtris* rationibus nihil æque ſalubre, commodum eſt.

IV. *Adverbiorum*. *Quoties* apparuit pietatis infinita utilitas. *Centies millies* utilior eſt rebus omnibus: ſexcenta millia commodorum continet: *Non jam nunc modo*, verum *ſemper*, omni tempore, *nunquam*

nunquam non nusquam non; *quando non* illa utilis? Non *hic tantum* aut *iſthic*, ſed *ubicunque*, quocunque loco *usque quaque*, modis omnibus: *quo* te *cunque* vertas; ſive *ſurſum* aſſpicias, ſive deſpicias *deorſum*; nihil *domi foriſve*, nihil in cœlo aut in terra utilius occurret animo, oculis obverſabitur. *Ubi* non illa conducit? *Quo* fructus ejus non pertingunt? *Unde* vitæ commoditates omnes omnisque ſalus humano generi? non *aliunde*, niſi à Pietate in DEum. *Quantum* prodeſt timere DEum? *Quomodo* omnibus bonis cumulantur pii? *Quam largiter*, *quam affluenter*, *copioſe*? *annon abunde*, quantum *ſatis* ſit, adepti ſunt bonorum, qui pietatem colunt? Utiliſſima ſane, *quam* & *nimisquam* neceſſaria vel omnia bona eſt Pietas: *Quam* eſt utilis *tam* neceſſaria: *nonminus* fructuoſa *quà* neceſſaria: *ita* (*perinde*, *æque*) commoda; *uti* (*atque*) neceſſaria: *Scilicet* quiequam utilius ſit: *Ne* (*profecto*) omnes commoditates in ſe complectitur.

V. *Conjunctionum*, ut Pietas *cum* ſumme utilis, *tum* maxime neceſſaria eſt quonam tempore, quove loco non illa *aut* ſalutaris *aut* etiam maxime neceſſaria eſt? *quamvis* pauci colant, eſt *tamen* ſaluberrima, utiliſſima: *Quamlibet* [*tametſi*] rara inter homines, difficilis *ſed enim* [*enim vero*] ad omnia utilis eſt, *imo* neceſſaria. Nemo certe quicquam caducorum hujus vitæ bonorum recte queat conſequi, *nedum* æternorum absque pietate: Vix ſine ea quisquam felix erit in terris; *quæ*

minus beatus in cœlis? *Nequidem* peritura hæc quisquam fere obtineat, *ne dum* æterna illa & ſemper duratura. Tantum abeſt, ut ſalvus eſſe poſſit, *ut nequidem* exitium effugiturus ſit. Quamobrem ſic ſtatuamus, Pietatem eſſe rerum omnium utiliſſimam.

VI. *Præpoſitionū, à* Pietate bona omnia proficiſcuntur *ex* ea promanant; *in* ea continentur: omnia *propter* eam per eam *ad* homines deveniunt: eam *ponè* ſequuntur: *ante* beatitudinem præcedat Pietas oportet: *Ponè* hanc venit omne bonum & æterna ſalus.

VII. *Interjectionum*. Vah! quam utilis eſt pietas! *Væ* ſpernentibus eam.

[*c*] *Joh. E. Micrælij de Copia Verbor. Lib. 1. cap. 1. pag. 28.*

Praxis variationis Synonymiæ in hac ſententia.

DEUS multis nos affecit beneficiis.

1.

Per *variationem ejuſdem vocis in eodem caſu*: Alacris ſemper DEus eſt in benefaciendo. Semper in benefaciendo DEus alacer eſt.

2. *Per ejuſdem nominis variationem in diverſis caſibus*: DEus ſummis beneficiis proſequitur: DEi in homines beneficia ſunt innumera: Deo placuit variis exornare homines beneficiis. DEum nunquam piguit hominibꝰ facere: quantis, o Deus, à te ſumus excepti beneficiis? DEo autore omnes res hominum proſpere

ſpere ſuccedunt. Homines ingentia à DEo acceperunt beneficia. Hominum ut benignus creator, ita ad omnem felicitatem beneficiis promotor DEus eſt. Hominibus munera ſine numero à DEo diſtribuuntur. Homines quum amet DEus, continuis ad ſe redamandum eos allicit beneficiis. Quis veſtrum, homines, omnia DEi in vos beneficia animo complecti poteſt? In hominibus beandis totus DEus occupatus eſt.

3. *Per ejuſdem verbi variationem in diverſis modis temporibus & perſonis*: Benefacit nobis DEus in dies; Benefit nobis à DEo clementiſſime: Ad benefaciendum ſemper promptus eſt; ut benefaciat ubique præſto eſt: Pergit perpetuo benefacere; Benefacturus omnibus adeſt.

4. *Per Synonymicorum vocabulorum & phraſium ſubſtitutionem.* Jehova mortales immenſa gratia proſequitur: Dominus de filiis hominum optime meritus eſt: Nullam omnino rem, quæ ad ornadum genus humanum ſpectat, omiſit ſuprema poteſtas.

5. *Per varios phraſes.* Divinitus omnibus bonis abundamus. Depluit coelitus in nos larga gratia. Uberes benignitatis divinæ rivi quotidie in nos deriventur.

6. *Per diverſam ejuſdem vocis Syntaxin & conſtructionem.* Multam gratiam & multum gratiæ nobis DEus impertitur; Et multa nos gratia DEus impertit.

7. Per

7. *Per varias ſyntaxeos regulas.* Gratiæ ſuæ largus eſt DEus: gratiam ſemper exhibiturus adeſt: Gratiam ſemper nobis it exhibitum.

Per antimeriam qua *pronomini* ponitur 1. *pronomen*: ille qui nos creavit, qua non in nos congeſſit beneficia? 2. *Gerundium*: DEus homines benefaciendo ſibi devinxit. 3. *Adverbium*: DEus inſigniter nos affecit beneficiis. 4. *Interjectio* Proh, nimis nos DEus beavit meritis!

Per Heteroſin qua 1. *pro proprio* ponitur ſubſtantivum *Numen* æternum multis benedixit homini beneficiis. 2. *pro Subſtantivo proprium*: DEus Adamum, Adamique nepotes magna dignitas eſt gratia. 3. *Pro ſubſtantivo adjectivum*: Mortales ex DEi benignitate felices ſunt: 4. *Pro ſingulari pluralis*: Dii in homine ornando ſuæ liberalitatis prodigi fuerunt. 5. *Pro plurali ſingularis*. DEo ob infinitum beneficium in ſe collatum homo infinitam debet gratiarum actionem. 6. *Pro poſitivo comparativus & ſuperlativus*. Majoribus, quam meruimus & quidem maximis donis DEus Ter Opt. max. coronavit hominem. 7. *derivativum pro primitivo*: Inſignia Deitatis in homullos benefacta extant, & quidem cumulatiſſima. 8. *pro activo paſſivum*: Affecti ſumus à DEo plurimis meritis. 9. *pro præterito præſens*: Afficit nos DEus quotidie beneficiis non exiguis. 10. *pro indicativo conjunctivus*: Diſperearn niſi DEus nos ea gratia dignatus eſt, qua nullam aliam creaturam. 11. *Infinitivus pro finito*. Cum aliis creaturis alia ornamenta diſtribuerentur,

DEus

DEus hominem è limo terræ eſformare: Spiritum vitæ illi inſpirare; paradiſo eundem proficere; univerſarum rerum Dominum conſtituere: lapſum ſibi reconſilia. e: mortuum reſuſcitare. 12. *Perſona pro perſona.* A te DEus ſumus in hoc honoris & præeminentiæ faſtigio conſtituti.

Per figuras ſintacticas.

Pleonasmus. Ubique locorum beneficia DEI manibus palpamus, oculis conſpicimus. Nemo hominum illis deſtituitur.

Appoſitio. DEus architectus orbis, fons omnis boni, æterna illa poteſtas, omnes beneficentiæ theſaurofin homines, illam glebam terræ illum cinerem & pulverem, ſuper ipſos cöelos evectum diſtribuit.

Epitheta ſeu Adnomina, & quidem ſecundum Alphabetum variata. DEUS æternus, beneficientiſſimus, cöelipotens, ditiſſimus, excelſus, fortiſſimus, glorioſus, honorandus immortalis, liberaliſſimus, maximus, nubicola, optimus, potentiſſimus, quater beatus, rex regum, ſanctiſſimus, trinunus, venerandus, HOMINES abjectos, blennos, calamitatos, debiles extorres, futiles, gemebundos, humirepos, ignobiles, languidos, miſeros, nequiſſimos, obcitantes perditos, querulos, reos, ſtolidos, temerarios, vagabundos, AFFECIT BENEFICIIS amplis, baſilicis, confertis, divinis eximiis, frequentiſſimis, gratioſis, uberrimis, ingentibus, lautiſſimis, maximis, nobiliſſimis,

 opimis

opimis, pulcerrimis, quæſtuoſis, regalibus, ſuperfluis, tempeſtivis, variis.

Polyſyndeta. DEus hominem & corpore & anima & variis corporis animæque dotibus præ omnibus rebus fecit conſpicuum.

Elypſis. Animam etiam agentibus affatim DEus frigidam affundit.

Aſyndetonſeu Dialyton. veſtes, cibum, potum, ſalutem, omnia à DEo accepimus largiter.

Syllepſis 1. Generum: Amor & gratia, quum in dies novi ſint, beati ſumus 2. *Perſonarum*: ſive vos juvenes, ſive nos viri ſpectemus DEum, omnia ab illo accepimus. 3. *Numerorum*: Ipſe ego & omnes mortales obruimur à DEo beneficiis. 4. *per vocem ambiguam.* ficti ſumus ad typum omnis perfectionis.

Zeugma. Vires nunquam, nec voluntas DEo deficit ad benefaciendum nobis.

Prozeugma. Deficit DEo nec animus nec vires ad nos exornandos.

Meſozeugma. Nec animus deficit DEo ad nos exornandos, nec vires.

Hypozeugma. Nec animus nec vires ad nos exornandos DEo deficiunt.

Synechdoche 1. accuſativi. Cum corpus ſimul & animam nudi eramus, ornati jam ſumus cœlitus, undequaque & ætatem beati. 2. *rerum unitarum*: Hanc DEi imaginem è propitia Dei manu accepimus.

Hypozeuxis. Corpus ornavit pulchritudine; mentem illuſtravit ſapientia? voluntatem armavit virtutibus.

Prolé

Prolepſis 1. *diſtinctionis ſeu Synanteſis*: Acceperunt Judæi ſimul & Græci à DEo ſumma munera; Græci, ut mundo fruantur ad ingenii vires explicandas, Judæi, ut quæ Græcis in mundo negantur, ipſis in Eccleſia diſtribuantur 2. *perſonæ*. Quisque ſua à DEo accepimus beneficia: hic ut corpore valeat, iſte, ut anima, ille, ut ſpiritu.

Evocatio. In numeris nos præ aliis creaturis homines beneficiis à DEo exornati ſumus,

Synteſis. Pars noſtrum à DEo accipiunt bona corporis; pars fortunæ; pars animi; pars ita beati reddimus ut ipſis angelis dominemur: quisque ſuam referimus portionem.

Hypallage. Egeſtas noſtræ miſeriæ indies expletur cœleſti gratia.

Anaſtrophe. quem penes eſt de vita noſtra arbitrium, paterne nobis cum agens, cumulata noſtram in vitam confert beneficia.

Herdiadys. Nos & vitam noſtram multis DEus donis fecit conſpicuam, ut jam beati perennesque eſſe poſſimus.

Hyphen. DEus noſter ſemper miſericors ita nos refocillat ſuis beneficiis, ut oblivilcamuu omnium ante malorum.

Hyſterologia, obrutos nos ſua gratia dignatur clementi oculo.

Parentheſis, DEus[nam vera fatenda ſunt] in humanum genus ſemper munerum ſuorum prodigus eſt.

Epembole. Hominibus, quos ſuppreſſe miſeria, tam clementem te exhibuit DEus, à quo ad

felicitatem conditi erant, ut beneficiis divinis, quæ nulla lingua humana eloqui poterit, in ſummo eos felicitatis faſtigio collocarit.

EXEMPLA VARIATIONIS
2. PERIODICÆ.

E. Palatii Eloquentiæ Exercit. 1. Lect. 4. punct. 16. pag. 32. col. ſec. & ſeq.

[a] *Orator dicendo facile ſe doctum probat.*

Bimembris erit illa periodus. In Orationibus judiciorum, concionum, ſenatus facile declaratur, utrum is qui dicit, ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit,

Trimembris. In orationibus judiciorum concionum, ſenatus facile declaratur utrum qui dicit tantummodo in hoc declamatorio ſit opere jactatus; an ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit.

Quadrimembris erit, ſi præfigas hanc ſimilitudinem. Ut qui aliquid fingunt etſi tum pictura nihil utuntur: tamen utrum ſciant pingere, an neſciant non obſcurum eſt: ita in orationibus judiciorum &c.

[b] *Juſtitia laudabilis virtus atque fructuoſa.*

Simplex periodus hæc eſt. Omnis

Omnibus in rebus juſtitiæ non ſolum dignitas ſed etiam utilitas eſt maxima.

Creſcit uno membro. Ut dignitatem affert ſingularem juſtitia, ita præclaros fructus & emolumenta in utramque partem tanta producit ut vix acceſſio major ad illam fieri poſſe videatur.

Funditur in trimembrem. Si tantum juſtitiæ tribueretur ab omnibus, quantum humano generi confert dignitatis & fructus, inter mortales nemo improbus, nemo haberetur injuſtus.

Quadrimembris erit. Quamvis juſtitiæ cum utilitate tanta ſit conjunctio, tanta neceſſitas, ut nihilutile futurum ſit à juſtitia ſeparatum. perinde tamen jus & æquitas negligitur à pleriſque acſi ea remota proſpere, beateque viveretur.

(c) *Periculoſa pars humanæ vitæ adoleſcentia.*

PRimo unico membro. Lubrica pars humanæ vitæ adoleſcentiæ curſus ineuntis.

II. Inciſo addito. Lubrica pars humanæ vitæ, periculoſus impedita flexibus adoleſcentiæ curſus ineuntis.

III. Per duo membra. Lubrica pars humanæ vitæ neque adeò periculoſis impedita flexibus adoleſcentiæ curſus ineuntis,ut in ipſo ſœpe carcere miſerrima prolapſione præcipitet.

IV. Tribus Membris. Lubrica pars humanæ vitæ, periculoſis impedita flexibus adoleſcentiæ curſus in-

euntis: cujus eo gravior lapſus extitis, quod in ipſo carcere miſerrima pro lapſione præcipitet.

V. Per figuras. Lubrica pars humanæ vitæ, periculoſis impedita flexibus adoleſcentiæ curſus ineuntis: usque adeo ſane miſera & imbecilla, ut vel maximas laudes vitio corrumpat vel ſola vitia ſuis in maximis laudibus numeret, in flore obnoxia, in forma nocens, in ipſa innocentia rudis & expers, cui vigor ad facinus, ardor ad libidines facilitas ad inconſtantiam lenoci natum.

(d) *E. Sigiſm. Lauxmini. è ſociet. Jeſu, Praxis Oratoriæ cap. 1. pag. 25. & ſeq.*

I.

Monocolon Catharina tenera virgo ſingulari cultu in DEum ferebatur.

2. *Dicolon.* Quas à DEo vires animique facultates acceperat, Eas in cultum ejusdem religionemque conferebat.

3. *Tricolon.* Quamvis corpore & mente immatura eſſet: Attamen & mente recolebat DEum, & corporis obſequia divino honori impendebat.

4. *Tetracolon ſic* Si vitæ rationem inſpexeritis Catharinæ & pietatis in Deum ſtudium animo obieritis, profectò velociorem ejus virtutis curſum fuiſſe animadvertetis, quàm ætatis incrementa fuerunt.

5. *Definet in Periodicam circumductionem h.* profectò velociorem ejus virtutis curſum fuiſſe quam ætatis

ætatis & amplioribus incrementis religionem quam corpus adoleviſſe animadvertetis.

6. *Commata è prædicato ſic emergent.* Mente ferebat DEum, in ore DEus erat, huic levabat genua flectebat, impendebat oculos, linguam conſecrabat.

7. *Eadem Cola erunt ſi paulò diduxeris* h. m. mente atque animo magnum DEi nomen aſſiduè ferebat, idem crebris uſurpabat ſermonibus, jam junctas ad cælum manus tollebat ſupplicabunda; jam humi genibus nixa divinas laudes repetebat.

8. *Pneuma Periodicum hac denique ratione*: Catharina ſtatura corporis adhuc puſilla erat, tenui rationis uſu, ipſa oris facultate nec dum plane expedita: attamen & vocem ſuam teneram & obſcuram rationem, & omnem corporis ſui facultatem in laudem & cultum numinis optimi maximi conferebat.

(e) *E. Micrælii Lib. 1. de copia cap. 20. pag. 144.*

Periodus monocoles ſeu unimembris.

Multis nos DEus beneficiis in ſui amorem pellicere voluit.

Periodus dicolos ſeu bimembris iſocolos. Plurimis nos DEus affecit beneficiis: quæ compenſare nullis poſſumus nos gratiis.

Periodus dicolos μείουρος ſeu βραχύκαλος. Plurimis nos DEus affecit beneficiis: ſed nullis nos inſimus officiis.

Periodis dicolos μακρόκωλος. Plurimis nos DEus nos DEus affecit beneficiis : ſed tam ingratiſmus ; ut, quæcunque ei reddimus ; non ſint niſi maleficia.

Periodus tricolosſu ocolos, Plurimis nos DEus affecit beneficiis : nihil nobis eſt, quo tantam gratiam meruimus : obſtricti ſumus ad perpetua ſervitia.

periodus tricoſcs ἰσοσκελής· DEus multis nos donavit muneribus : & nos donis ſemper cumulat pluribus ; ſed hæc ejus beneficia ad mentem revocare raro nobis eſt animus.

Periodus tetracolos ἄνισος. Nos homines nihil eramus : & ex gleba terræ nos formavit omnipotens DEi manus : cumque ad uſum vitæ noſtræ plurimis rebus indigere videremur, nihil nobis denegavit ejus munificentia.

Inciſim. Adesdum, o homo! DEi ecce dona! Dedit tibi elegantes artus, divinam inſpiravit animam, conceſſit mundi dominium, Redemit te lapſum vivificabit mortuum. Quid cupis ulerius.

Membratim. A te nihil habes, o homo ! DEi benignitas te facit beatum : ſi quid tamen à te habes: id malitiæ eſt. omni laude deſtitueris. Soli igitur DEo laudum offer ſacrificia : multis ille te afficit beneficiis.

Circumſcripte periodica oratione. Si qua res unquam ſtupenda in ſui me rapuit admirationem: quemadmodum longe plurima eſſe ſcio, quæ merentur ſtuporem : immenſa ſæpe illa DEi gratia, qua nos

nos ad ſui imaginem creatos, omnium bonorum fecit participes, ſed nec lapſos in miſeriam ſalutari deſtituit auxilio, ſicme ſtupefacit, ut pene extra me videar conſiſtere, & beneficia DEi innumerabilia plano ore diſcupiam celebrare. Ubi eſt πρότασις & ἀπόδοσις cum quadam rotunditate.

Per πνεῦμα & τάσιν: Certum eſt, per DEi gratiam maxima & humanis linguis non ſatis deprædicanda beneficia eſſe deſuper nobis indulta: ex exigua humoris parentalis particula, membra, elegantiſſime nobis formata, ſpiritumque vitæ in nobis excitatum cœpiſſe artus movere, & diverſis eos ſenſibus inſtruere: egreſſis deinde ex utero materno cœleſte lumen præſto fuiſſe; nosque ad vitalem auram hauriendam jam aptos, lacte primum materno, deinde cibis ſolidioribus nutritos, in hæc membra excreviſſe: animum, tot tantisque in cœlo & in terra operibus conſpectis ad conditorem ſuum agnoſcendum ſe erexiſſe. &c.

LIBER TERTIUS
DE
AMPLIFICATIONE PERIODI.

Finis Amplificationis eſt, non quod calumniabantur Lacones ex muſca Elephantum ut faciamus, ſed ut auditor in rebus ſub diverſa ſpecie propoſitis & ſæpius repetitis firmius animo adhæreſcat, ple-

nius eaſdem & omni ex parte cognoſcat, validiori motu inaſſenſum pertrahatur, illas memoriæ firmius imprimat, gratiſſimaque hac varietate ſimul oblectetur, neque audiendis iſtis omnibus tædiū ſentiat; id verò poſtremum ne accidat omnem ineptam & puerilem amplificationem, inanem verborum ſtrepitum, lentas circum ductiones ſententiarumque luxum ſedulò vitabit; Et quemadmodum Imperator ad expeditionem bellicam juventutis maximè florem deligit, quem animis armisque excitatum in adverſarios mittat: ſic & ipſe non minutias quasque conſectabitur, aut in rebus exilibus verborum operolam ſupellectilem conquiret: ſed in iis demum, quæ ad ſermonis ubertatem commodè explicandam ſua quadam indole & nullo fere negotio in varias formas fundi, leviterque admoto quaſi digito latius diduci poſſunt, naturæ velut morem gerens, eandem rerum gravitatem verborum quoque ambitu ſubſequatur; ita tamen, ut ſenſim & quaſi per ſcalarum gradus amplificatio ad majora majoraque pergat, neque tamen longe nimis filum iſtud producatur, ut vel cum tædio repetendum vel ſubito abrumpendum ſit Exemplum aſſurgentis gradatim amplificationis legitur ap. Cic. Orat. pro Quinct. in epilogo. Miſerum eſt exturbari bonis omnibus, miſeris injuria: Acerbum eſt, ab aliquo circum veniri, acerbius à propinquo. Calamitoſus eſt, bonis everti, Calamitoſius cum dedecore. Funeſtum eſt à foti atque honeſto viro jugulari, funeſtius ab eo, cujus vox in præconio ad quæſtum proſtitit: Indignum eſt à pari

vinci

vinci aut ſuperiore indignius ab inferiore aut humiliore: Luctuoſum eſt tradi alteri cum bonis, luctuoſius inimico. Horribile eſt cauſam capitis dicere, horribilius priori loco dicere. Sunt autem duo præcipuè amplificationum genera vel per exaggerationem vel peraugmentum. Illa quæ verborum appellari ſuevit plus habet diffuſionis & ambitioſi circuitus: hæc verò rerum adjunctis ſtipata & argumentorum ponderibus gravis incedit.

SECTIO PRIOR
DE
AMPLIFICATIONE VERBORUM.

VErba, ut præcipit Tullius in Amplificatione ponenda ſunt maximè *illuſtria* & tamen *in ſita*, pro ut idem pro Planco: O acerbam mihi Judices temporis illius memoriam & loci, cum hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lachrymis. *Gravia* e. g. pro Mil. Præmiorum ampliſſimorum gloria, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſulatur *Plena* e. g. De me ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmuteſcet vetuſtas. *Sonantia* e. g. Polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones *Juncta* ſive compoſita quæ gravius ſunt anhelata e, g. contrucidare, pertimeſcere. *Facta* ſed quæ tamen adhibenda parcius e. g. 3. ad. fam. ep, 7. ullam ne Appietatem aut Lentulitatem valere ap me plusquam ornamenta] virtutis exiſtimas; *Cognominata* e. g. expelletur, exterminabitur

tur, ejicietur. *Tranſlata* e. g. omnes in me meosque redundant ex illo fonte dolores. *Superlata* e. g. Saxa & ſolitudines voce reſpondent. *Singularia* denique & minimè omnium vulgata e. g. pro Milone. Quas ille præceps amentia cæſis proſtratisque ſanctisſimus lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppresſerat.

ARTICULUS I.

DE AMPLIFICATIONE GRAMMATICA

PUNCTUM I.

DE AMPLIFICATIONE SECUNDUM CASUS NOMINUM ET TEMPORA VERBORUM.

Methodus hæc ſicut omnium facillima, ita quoque vel ſolo exemplo intelligetur, quod exhibet Franciſcus Pomey Progym. 4. pag. 281.

Modeſtia amabiliſſima virtus eſt.

Nominativus. Modeſtia virtutum omnium longæ pulcherrima, præclariſſimaque tot fulget radiis, tot veneribus adblanditur, nihil ut amabilius fingi queat:

Genitivus. Modeſtiæ tam gratus ac ſuavis eſt decor

decor, tam auguſta, blandaque ſpecies; ſit ſenſus omnis expertem ac rationis, eum eſſe neceſſe ſit, qui ejus amore non ardeat.

Dativus. Modeſtiæ uni conveniunt univerſa, quæ ſingulas commendant virtutes; ſic ut ex omnibus aliis una illa virtus facta fictaque eſſe videatur.

Accuſativus. Modeſtiam tot dotes commendant eximiæ, ut mortalium fœdiſſimus ac dementiſſimus ſit habendus; qui eam non coluerit, non amarit.

Vocativus. O Modeſtia! o virtus cœlo purior, Sole micantior, quiſte, vel de ſola facie novit, tuique deſiderio non incenditur?

Ablativus, A Modeſtia, omnis honeſti decor effloreſcit, omnis decori flos emanat, puriſtimæque flammæ fulgor omnis exoritur, quis illam non ergo colat? non ambiat? non complectatur? Quis eam dictis ſuis omnibus ac factis, geſtu habituque non exprimat?

TE DILIGO.

Poſſem hujus verbi Nominativum, EGO ejusque caſum TE dilatare ſi opus eſſet: v. 9 *Ego quem tam multis beneficiis ob ſtrinxiſti, in quem tam eximia à te ornamenta profecta ſunt, cui omnibus in rebus gratificari ſoles etcc.* *TE virtutum omnium humaniſtimum, clariſſimumque, omni virtutum genere cumulatiſſimum, decus & ornamentum hujus provinciæ etcc.* Sed nihil opus eſt. verbum illud unum, DILIGO, explicate placet hoc modo. *A Præ*

A Præſenti tempore.

Ex animo, intimoque ſenſu, te, mihi clariſſime Amice, diligo ut oculos meos aut ſi quid oculis charius eſt. Scio quidem amari te à multis [qua tua eſt de omibus bene merendi facilitas] omnes tamen in amore vinco, neminique prorſus concedo. Quia vero, perpetua quaſi catena beneficiorum, amabilique nexu, me tibi obligatum eſſe profiteor, tuæ in me benevolentiæ reſpondeo viciſſim quantum in me eſt, tua cauſa cupio, quantum parentis mei cauſa volo, meæque curæ ac cogitationes ad te referuntur omnes & in te, tuique rebus conſumuntur.

Imperfectum.

Erant mihi olim multi in intimis arctiſſimo nexu devincti familiaritatem fovebat illam; ſtudiorum ſimilitudo neceſſitudoque, mutuis officiis conſtituta: fateor amabamus inter nos vehementer amicitiæ vinculo ita copulati; nihil ut conjunctius eſſe poſſet.

Perfectum.

At poſtquam ab iis me fortuna diſtraxit mihique fecit tui copiam laxari ſenſum animadverti: veteris illius amicitiæ vinculum: Delevit è memoria, illorum olim familiarium priſcas imagines, imago tui præteritam obſcuravit benevolentiam, præſentiæ tuæ ſplendor illuſtriſſimus, non ſecus ac exoriente ſole Stellarum fulgor evaneſcit: non quod contemſerim, quod alias amore dignum judicavi, ſed quod quæcun-

quæcunque ſparſa in ſingulos amaveram, collecta in te uno ſum demiratus univerſa.

Plusquamperfectum.

Et vero multa quidem ac præclara de te ſama & auditione acceperam; audieram ex iis, quibus familiariter utebaris, te omnibus naturæ donis exornatum adeo liberaliter fuiſſe, ut nemo eſſe putaretur, qui tecum ullo modo componi poſſet: ſed victam eſſe, longeque ſuperatam cognovi, cum te primum vidi, opinionem illam quam de te concitatas, egoque conceperam: itaque inflammari me ſenſi ſtudio ut jam præſentis, quem vel abſentem, incognitumque mire dilexeram, nulla ad deinceps ad amorem meum, acceſſio fieri poſſit videatur.

Futurum.

Quare hærebis tu mihi ſemper in medullis, ſingulari te in perpetuum benevolentia complectar, nullum in te colendo, atque honeſtando locum aut tempus, nullum ſtudii & obſervantiæ genus prætermittam: in tua dignitate, omnem in meam curam, induſtriamque figam & locabo omnem operam ad honorem tuum, omnem diligentiam conferam, ſummique beneficii loco ponam ſi qua in re tibi gratificari potero.

Imperativus.

Impera proinde, qua tibi grata videbuntur, quæ tuo animo arriſerint, ſine ulla exceptione manda: tua mihi voluntas, lex erit atque norma. quid-

vis; præcipe quodvis efficiam; Jube ad remotiſſimas eam mundi plagas, ibo: Jube me tua cauſa ſpoliem bonis omnibus ſpoliabo; jube profundam pro te ſanguinem.

Optativus.

O utinam talem ex me requiras amoris notam, ut fundendus mihi ſit pro te ſanguis! ut tam illuſtri ſignificatione, perſpicuum tibi eſſe poſſit, meum erga te ſtudium! O ſi adeo honorifica ſe mihi daret occaſio, tibi aperiendi animum meum! quam me felicem, fortunatumque judicarem.

Subjunctivi præſens.

Nam quid eſt, quod tui gratia non ſuſcipiam? non exequar? non exhauriam? cum mihi ipſe ſis æque charus atque ego ipſe mihi eſſe poſſum? Quid eſſe queat tam arduum, tamque difficile, quod te jubente non aggrediar, conſtantiſſime meque conficiam.

Imperfectum.

Currerem, ſi juberes ad deſertiſſimas orbis oras vaſtiſſima obirem aquarum, terrarumque ſpatia, excelſiſſimarum rupium juga ſuperarem, labores acerbiſſimos quoque non pertimeſcerem diſcrimina omnia imperterritus ſubirem ipſam denique mortem non reformidarem, neque vererer ullo modo, ne, ut quiſquam, vel obſequendi ſtudio, vel obtemperandi celeritate antecederet.

Perfectum.

Eſto, fuerint, qui ob amicos multa cupierint, multa

multa fecerint, multa pertulerint, illorum nomina, venerata ſit antiquitas, ipſorumque fidem atque conſtantiam; eximiis teſtatam, expreſſamque monumentis, tranſmiſerit ad conſequendos annos, ſuſpiciendam poſteris.

Pluſquamperfectum.

Audebo dicere, conceſſiſſent mihi profectò ii omnes, ſi animum perſpicere meum potuiſſent amoris palmam; ſeque glorioſè victos à me, vel inviti non abnuiſſent.

Futurum.

Quid ita? quia ſic ego in te animatus ſum, ut poſtquam meæ erga te benevolentiæ teſtandæ cauſa profecero, quicquid illi, amore licet incitati vehementiſſimo, pro ſuis amicis præſtitere, aut præſtare conati ſunt nihil me feciſſe tamen putaturus ſim; quamdiu advertero, ſupereſſe adhuc quidpiam, quod tui gratia navare poſſim.

Infinitivus.

Ita eſt? tametſi vires omnes meas in te ornando conſumam, meque continenti labore angam atque conficiam, vix ullam tuorum meritorum partem, aſſecutum me eſſe credam, neque putabo unquam, meo me ſatisfeciſſe vel amori, vel muneri,

PUNCTUM II.

DE AMPLIFICATIONE PER VERBA MAGIS ILLUSTRIA.

VErba ait Cicero lib. de partit. Orat. n. 55. quæ vim habent illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia gravia plena ſonantia, juncta facta cognominata non vulgata ſuperlata; nec in ſingulis verbis ſed incontinentibus ſoluta, quæ dicuntur ſine conjunctione, ut plura videantur. Poteſt autem oratio illuſtris fieri modis pluribus, & principio quidem quando verba gravitate delecta ponuntur e. g. pro lege Manil. n. 6. Agitur populi Romani gloria, quæ vobis a majoribus cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt; Agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa majores veſtri magna & gravia bella geſſerunt. Aguntur certiſſima populi Rom. vectigalia & maxima, quibus amiſſis & pacis ornamenta & ſubſidia belli fruſtra requiretis. Debent autem ſecundò verba non eſſe ab uſu abhorrentia, ſed quæ ab omnibus intelligantur. Ita illuſtris eſt illa exclamatio pro Plancio n 99. O acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cum hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lachrymis, nec loqui præ mœrore potuit! Opem cum auditu crudelem, tum viſu nefariam! O reliquos omnes dies noctesque eas, quibus iſte à me non recedens Theſſalonicam me in quæſtoriumque perduxit. Translata autem plurimum illuſtrant oratio-

nem

nem , ut ſ. d. Lumen orationis ſplendor generis, concionum procellæ, orationis flumina fulmina tonitrua. Sic pro Milone n. 63. Quid odiſſet Clodium Milo? ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ? Et viciſſim. Equidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas. Nec minus Superlata ad Augmentum atque ornatum ſimul faciunt e. g. pro Marcello n. 8. Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitos ; omni copiarum genere abundantes. Et pro lege Manil. n. 28. Qui extrema pueritia fuit miles ſummi Imperatoris ; Ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator ; qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertavit ; plura bella geſſit quam cæteri legerunt ; plures provincias confecit, quam alii concupierunt. Quinto ad nomen quoque addita orationi non raro dignitatem & ſplendorem conciliant. Ita pro Milone n. 40. Orator: Erat id temporis clariſſimus & fortiſſimus Conſul inimicus Clodio P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ. Denique congeries verborum & ſententiarum idem pene ſignificantium acervus illuſtrem orationem facit. Ita Cic. pro Milone n. 54. Tu Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo, in publicum ejeciſti: tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompa laudatione infeliciſſimis lignis ſemi uſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. & num. 70. Vi-

 de

de quam ſit varia vitæ commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantæ infidelitatis in amicis, quam ad tempus aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditatis &c. Pariter in verrem: Id agit, ut ſemper ſuperius ſuum facinus novo ſcelere vincat. Ibidem iterum: Aderat janitor carceris, carnifex Prætoris mors terrorque ſociorum & civium, lictor Seſtius, cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur. Pro Sext. Roſc. Amer. Petimus abs te M. Fanni, à vobisque judices ut quam acerrime maleficia vindicetis, ut quam fortiſſimè hominibus audaciſſimis reſiſtatis, ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſa qui veſter animus ſit, oſtendetis, eò prorumpere hominum cupiditatem & ſcelus & audaciam, ut non modò clam, verum etiam hìc in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes veſtros judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint. Viciſſim: ſua quemque fraus, ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat amentiaque conficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pænas à conſceleratiſſimis filiis repetunt. Pro Rabirio poſth. Equitem Romanum veterum amicum ſuum ſtudioſum amantem, obſervantem ſui, non libidine, non turpibus impenſis cupiditatibus atque jacturis, ſed experientia patrimonii amplificandi labentem, excepit corruere non ſivit, fulſit & ſuſtinuit: re fortunis fide hodieque ſuſtinet, nec amicum pendentem corruere patitur. Et pro Ligario a

Quid

Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid optabas? &c. Poetis quoque maximè familiaris eſt hæc amplificandi ratio, Agellius eam in rem ſeqq. Homeri adducit: Hectora de jaculis de pulvere Juppiter, & de cæde virum abduxit, de ſanguine deque tumultu, Prælia, conflictus cædes hominumque necatus. Et ap. eundem armis inter Ajacem & Hectorem decertantes intercedentem: Heu dulces pueri pugnate aut cernite ferro. Tale quoq; eſt illud Plauti in Bach. act. 5. ſc. 1. Quicunque ubique ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſtnac, ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones: Solus ego omnes antideo ſtultitia & moribus indoctis. Eidemque non abſimile illud Ternntij in Heaut. act. 5. ſc. 1. In me quid vis horum convenit, quæ ſunt dicta in ſtultum: Caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus, Virgil. quoque 1. Æn. Quem ſi fata virum ſervant: ſi veſcitur aura Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris, & lib. 3. Quid puer Aſcanius? ſuperatne & veſcitur aura? Ovidius etiam in Metam diluvium Deucalionis deſcribens: Omnia pontus erant: deerant quoque littora ponto. Viciſſim: ſternuntur ſegetes, & deplorata colonis vota jacent, longique periit labor irritus annis 5. Faſtor. Magna fuit capitis quondam reverentia cani inque ſuo pretio ruga ſenilis erat. Et 5. Triſt. Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat. Et manet in nullo certa tenaxque loco. Seneca denique in

Hyppolyto Anceps fortuna bonum mortalibus Exigui donum breve temporis ut velox celeri pede laberis. Ex quibus omnibus conſtat in Synonymis Rhetorum non eſſe neceſſe, ut verba verbis reſpondeant: ſed ſufficere, ſi ſenſus ſenſui quemadmodum Cic. in Piſonem: ô tenebræ! ô lutum! ô ſordes; non ego te furioſum, non Oreſte tetriorem aut Achamante putem?

PUNCTUM III.

DE AMPLIFICATIONE PER EPITHETA.

EPitheton definiente Phavorino in Lexico eſt nomen ſubſtantivo in laudem additum vel dedecus. Additum verò puta cum virtute, quo ipſo major Poetarum quam Oratorum libertas eſt; namque illis ut ait Quintil. 8. Inſtit. Orat. cap. 7. ſatis eſt convenire verbo cui apponitur; quamobrem ſi dentes dicantur albi, aut humida vina in his non reprehendimus. Apud Oratorem autem, niſi aliquid efficitur, redundat; Tum autem efficitur, ſi ſine illo, quod dicitur, minus eſt, qualia ſunt: O ſcelus abominandum! ô deformem libidinem. Hactenus ille. Requiritur ergo ut epitheta majorem ſignificandi vim vocabulo addant, neque tamen nimium Poetica ſint, e. g auricomus Sol &c. *Necesſitatem* autem quandam habere videntur pleraque Ciceroniana, ut in Orat. pro Marcello: Diuturni ſilentij Patres

tres Conſcripti,quo eram his temporibus uſus, finem hodiernus dies attulit. Et prima Catilinaria: Quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum præſidium Palatii &c. nihil conſenſus bonorum omnium, nihil munitiſſimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt &c. Tribus itaque de cauſis ut notavit ad Terentii Eunuchum Act. 2. ſc. 3. Donatus nominibus epitheta adduntur, Proprietatis diſcretionis & ornatus gratia; vel u tſcribit Servius ad 1. Æneid. Virgilii v. 186. Epitheta, nunquam vacant: ſed aut ad augmentum aut ad diminutionem aut ad diſcretionem poni ſolent. *Proprietas* in nominibus propriis hoc poſtulat obſervante Quintiliano, ut id, quod eſt appoſitum, ſi à proprio diviſeris, per ſe ſignificet & faciat Antonomaſiam; ut ſ. d. everſor Carthaginis & Numantiæ Antonomaſia eſt; non convenit autem hoc epitheton ulli Duci præterquam Scipioni. In nominibus autem appellativis propria dicuntur epitheta, quæ illud exprimunt, quo quidque inſigne maximè & comparatum cum aliis differt e. g. quando Virgilius in Bucolicis apros ſetoſos aut ſuam ſetigeram, & 11. Æn. lyncem maculoſam dicit, Cererem item almam qs. omnia in terris aleret; Lucem quoque almam quod ejus beneficio viventia incrementum accipiant, plantæque progerminent Æneam pium quod patrem Anchiſem extulerit igne. Proprietati proxima *diſcretio* locumque in iis habet, quæ commune vel qvod ambiguum poſſet videri, quomodocunque diſtinguunt. Sic Virgil. 3. Æneid. Antandro & Phrygiæ mo-

A Præſenti tempore.

Ex animo, intimoque ſenſu, te, mihi clariſſime Amice, diligo ut oculos meos aut ſi quid oculis charius eſt. Scio quidem amari te à multis [quæ tua eſt de omibus bene merendi facilitas] omnes tamen in amore vinco, neminique prorſus concedo. Quia vero, perpetua quaſi catena beneficiorum, amabilique nexu, me tibi obligatum eſſe profiteor, tuæ in me benevolentiæ reſpondeo viciſſim quantum in me eſt, tua cauſa cupio, quantum parentis mei cauſa volo, meæque curæ ac cogitationes ad te referuntur omnes & in te, tuique rebus conſumuntur.

Imperfectum.

Erant mihi olim multi in intimis arctiſſimo nexu devincti familiaritatem fovebat illam; ſtudiorum ſimilitudo neceſſitudoque, mutuis officiis conſtituta: fateor amabamus inter nos vehementer amicitiæ vinculo ita copulati; nihil ut conjunctius eſſe poſſet.

Perfectum.

At poſtquam ab iis me fortuna diſtraxit mihique fecit tui copiam laxari ſenſum animadverti: veteris illius amicitiæ vinculum: Delevit è memoria, illorum olim familiarium priſcas imagines, imago tui præteritem obſcuravit benevolentiam, præſentiæ tuæ ſplendor illuſtriſſimus, non ſecus ac exoriente ſole Stellarum fulgor evaneſcit: non quod contemſerim, quod alias amore dignum judicavi, ſed quod quæcun-

quæcunque ſparſa in ſingulos amaveram, collecta in te uno ſum demiratus univerſa.

Plusquamperfectum.

Et vero multa quidem ac præclara de te ſama & auditione acceperam; audieram ex iis, quibus familiariter utebaris, te omnibus naturæ donis exornatum adeo liberaliter fuiſſe, ut nemo eſſe putaretur, qui tecum ullo modo componi poſſet: ſed victam eſſe, longeque ſuperatam cognovi, cum te primum vidi, opinionem illam quam de te concitatas, egoque conceperam: itaque inflammari me ſenſi ſtudio ut jam præſentis, quem vel abſentem, incognitumque mire dilexeram, nulla ad deinceps ad amorem meum, acceſſio fieri poſſit videatur.

Futurum.

Quare hærebis tu mihi ſemper in medullis, ſingulari te in perpetuum benevolentia complectar, nullum in te colendo, atque honeſtando locum aut tempus, nullum ſtudii & obſervantiæ genus prætermittam: in tua dignitate, omnem in meam curam, induſtriamque figam & locabo omnem operam ad honorem tuum, omnem diligentiam conferam, ſummique beneficii loco ponam ſi qua in re tibi gratificari potero.

Imperativus.

Impera proinde, qua tibi grata videbuntur quæ tuo animo arriſerint, ſine ulla exceptione manda: tua mihi voluntas, lex erit atque norma, quid-

vis; præcipe quodvis efficâi: Jube ad remotiſſimas eam mundi plagas, ibo: Jube me tua cauſa ſpoliem bonis omnibus ſpoliabo; jube profundam pro te ſanguinem.

Optativus.

O utinam talem ex me requiras amoris notam, ut fundendus mihi ſit pro te ſanguis! ut tam illuſtri ſignificatione, perſpicuum tibi eſſe poſſit, meum erga te ſtudium! O ſi adeo honorifica ſe mihi daret occaſio, tibi aperiendi animum meum! quam me felicem, fortunatumque judicarem.

Subjunctivi præſens.

Nam quid eſt, quod tui gratia non ſuſcipiam? non exequar? non exhauriam? cum mihi ipſe. ſis æque charus atque ego epſe mihi eſſe poſſum? Quid eſſe queat tam arduum, tamque difficile, quod te jubente non aggrediar, conſtantiſſime meque conficiam.

Imperfectum.

Currerem, ſi juberes ad deſertiſſimas orbis oras vaſtiſſima obirem aquarum, terrarumque ſpatia, excelſiſſimarum rupium juga ſuperarem, labores acerbiſſimos quoque non pertimiſcerem diſcrimina omnia imperterritus ſubirem ipſam denique mortem non reformidarem, neque vererer ullo modo, me, ut quiſquam, vel obſequendi ſtudio, vel obtemperandi celeritate antecederet.

Perfectum.

Eſto, fuerint, qui ob amicos multa cupierint multa

multa fecerint, multa pertulerint, illorum nomina, venerata ſit antiquitas, ipſorumque fidem atque conſtantiam; eximiis teſtatam, expreſſamque monumentis, tranſmiſerit ad conſequendos annos, ſuſpiciendam poſteris.

Pluſquamperfectum.

Audebo dicere, conceſſiſſent mihi profecto ii omnes, ſi animum perſpicere meum potuiſſent amoris palmam; ſeque gloriosè victos à me, vel inviti non abnuiſſent.

Futurum.

Quid ita? quia ſic ego in te animatus ſum, ut poſtquam meæ erga te benevolentiæ teſtandæ cauſa profecero, quicquid illi, amore licet incitati vehementiſſimo, pro ſuis amicis præſtitere, aut præſtare conati ſunt nihil me feciſſe tamen putaturus ſim; quamdiu advertero, ſupereſſe adhuc quidpiam, quod tui gratia navare poſſim.

Infinitivus.

Ita eſt? tametſi vires omnes meas in te ornando conſumam, meque continenti labore angam atque conficiam, vix ullam tuorum meritorum partem, aſſecutum me eſſe credam, neque putabo unquam, meo me ſatisfeciſſe vel amori, vel muneri.

PUNCTUM II.

DE AMPLIFICATIONE PER VERBA MAGIS ILLUSTRIA.

VErba ait Cicero lib. de partit. Orat. n. 55. quæ vim habent illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia gravia plena ſonantia, juncta facta cognominata non vulgata ſuperlata; nec in ſingulis verbis ſed incontinentibus ſoluta, quæ dicuntur ſine conjunctione, ut plura videantur. Poteſt autem oratio illuſtris fieri modis pluribus, & principio quidem quando verba gravitate delecta ponuntur e. g. pro lege Manil. n. 6. Agitur populi Romani gloria, quæ vobis a majoribus cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt; Agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa majores veſtri magna & gravia bella geſſerunt. Aguntur certiſſima populi Rom. vectigalia & maxima, quibus amiſſis & pacis ornamenta & ſubſidia belli fruſtra requiretis. Debent autem ſecundò verba non eſſe ab uſu abhorrentia, ſed quæ ab omnibus intelligantur. Ita illuſtris eſt illa exclamatio pro Plancio n 99. O acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cum hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lachrymis, nec loqui præ mœrore potuit! Opem cum auditu crudelem, tum viſu nefariam! O reliquos omnes dies noctesque eas, quibus iſte à me non recedens Theſſalonicam me in quæſtoriumque perduxit. Translata autem plurimum illuſtrant orationem

nem , ut ſ. d. Lumen orationis ſplendor generis, concionum procellæ, orationis flumina fulmina tonitrua. Sic pro Milone n. 63. Quid odiſſet Clodium Milo? ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ? Et viciſſim. Equidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas. Nec minus Superlata ad Augmentum atque ornatum ſimul faciunt e. g. pro Marcello n. 8. Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitos; omni copiarum genere abundantes. Et pro lege Manil. n. 28. Qui extrema pueritia fuit miles ſummi Imperatoris; Ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator; qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertavit; plura bella geſſit quam cæteri legerunt; plures provincias confecit, quam alii concupierunt. Quinto ad nomen quoque addita orationi non raro dignitatem & ſplendorem conciliant. Ita pro Milone n. 40. Orator: Erat id temporis clariſſimus & fortiſſimus Conſul inimicus Clodio P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator Senatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ. Denique congeries verborum & ſententiarum idem pene ſignificantium acervus illuſtrem orationem facit. Ita Cic. pro Milone n. 34. Tu Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo, tu publicum ejeciſti: tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompa laudatione infeliciſſimis lignis ſemi uſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. & num. 76. Vide

 de

de quam ſit varia vitæ commutabiliſque ratio, quam vaga volubiliſque fortuna, quantæ infidelitatis in amicis, quam ad tempus aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditatis &c. Pariter in verrem: Id agit, ut ſemper ſuperius ſuum facinus novo ſcelere vincat. Ibidem iterum: Aderat janitor carceris, carnifex Prætoris mors terrorque ſociorum & civium, lictor Seſtius, cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur. Pro Sext. Roſc. Amer. Petimus abs te M. Fanni, à vobiſque judices ut quam acerrime maleficia vindicetis, ut quam fortiſſimè hominibus audaciſſimis reſiſtatis, ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſa qui veſter animus ſit, oſtendetis, eò prorumpere hominum cupiditatem & ſcelus & audaciam, ut non modò clam, verum etiam hîc in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes veſtros judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint. Viciſſim: ſua quemque fraus, ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat amentiaque conficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pænas à conſceleratiſſimis filiis repetunt. Pro Rabirio poſth. Equitem Romanum veterum amicum ſuum ſtudioſum amantem, obſervantem ſui, non libidine, non turpibus impenſis cupiditatibus atque jacturis, ſed experientia patrimonii amplificandi labentem, excepit corruere non ſivit, fulſit & ſuſtinuit: re fortunis fide hodieque ſuſtinet, nec amicum pendentem corruere patitur. Et pro Ligario a

Quid

Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid optabas? &c. Poetis quoque maximè familiaris eſt hæc amplificandi ratio, Agellius eam in rem ſeqq. Homeri adducit: *Hectora de jaculis de pulvere Juppiter, & de cæde virum abduxit, de ſanguine deque tumultu, Prælia, conflictus cædes hominumque necatus.* Et ap. eundem armis inter Ajacem & Hectorem decertantes intercedentem: *Heu dulces pueri pugnate aut cernite ferro.* Tale quoq; eſt illud Plauti in Bach. act. 5. ſc. 1. *Quicunque ubique ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſtnac, ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones: Solus ego omnes antideo ſtultitia & moribus indoctis.* Eidemque non abſimile illud Terntij in Heaut. act. 5. ſc. 1. *In me quid vis horum convenit, quæ ſunt dicta in ſtultum: Caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.* Virgil. quoque 1. Æn. *Quem ſi fata virum ſervant: ſi veſcitur aura Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris,* & lib. 3. *Quid puer Aſcanius? ſuperatne & veſcitur aura?* Ovidius etiam in Metam diluvium Deucalionis deſcribens: *Omnia pontus erant: deerant quoque littora ponto.* Viciſſim: *ſternuntur ſegetes, & deplorata colonis vota jacent, longique periit labor irritus* annis 5. Faſtor. *Magna fuit capitis quondam reverentia cani inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.* Et 5. Triſt. *Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat. Et manet in nullo certa tenaxque loco.* Seneca denique in

N 5 Hyp-

Hyppolyto Anceps fortuna bonum mortalibus Exigui donum breve temporis ut velox celeri pede laberis. Ex quibus omnibus conſtat in Synonymis Rhetorum non eſſe neceſſe, ut verba verbis reſpondeant: ſed ſufficere, ſi ſenſus ſenſui quemadmodum Cic. in *Piſonem*: ô tenebræ! ô lutum! ô ſordes; non ego te furioſum, non Oreſte tetriorem aut Achamante putem?

PUNCTUM III.

DE AMPLIFICATIONE PER EPITHETA.

EPitheton definiente Phavorino in Lexico eſt nomen ſubſtantivo in laudem additum vel dedecus. Additum verò puta cum virtute, quo ipſo major Poetarum quam Oratorum libertas eſt; namque illis ut ait Quintil. 8. Inſtit. Orat. cap. 7. ſatis eſt convenire verbo cui apponitur; quamobrem ſi dentes dicantur albi, aut humida vina in his non reprehendimus. Apud Oratorem autem, niſi aliquid efficitur, redundat; Tum autem efficitur, ſi ſine illo, quod dicitur, minus eſt, qualia ſunt: O ſcelus abominandum! ô deformem libidinem. Hactenus ille. Requiritur ergo ut epitheta majorem ſignificandi vim vocabulo addant, neque tamen nimium Poetica ſint, *e.* g auricomus Sol &c. *Neceſſitatem* autem quandam habere videntur pleraque Ciceroniana, ut in Orat. pro Marcello: Diuturni ſilentij Patres

tres Conſcripti,quo eram his temporibus uſus, finem hodiernus dies attulit. Et prima Catilinaria: Quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum præſidium Palatii &c. nihil conſenſus bonorum omnium, nihil munitiſſimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt &c. Tribus itaque de cauſis ut notavit ad Terentii Eunuchum Act. 2. ſc. 3. Donatus nominibus epitheta adduntur, Proprietatis diſcretionis & ornatus gratia; vel u tſcribit Servius ad 1. Æneid. Virgilii v. 186. Epitheta, nunquam vacant: ſed aut ad augmentum aut ad diminutionem aut ad diſcretionem poni ſolent. *Proprietas* in nominibus propriis hoc poſtulat obſervante Quintiliano, ut id, quod eſt appoſitum, ſi à proprio diviſeris, per ſe ſignificet & faciat Antonomaſiam; ut ſ. d. everſor Carthaginis & Numantiæ Antonomaſia eſt; non convenit autem hoc epitheton ulli Duci præterquam Scipioni. In nominibus autem appellativis propria dicuntur epitheta, quæ illud exprimunt, quo quidque inſigne maximè & comparatum cum aliis differt e. g. quando Virgilius in Bucolicis apros ſetoſos aut ſuam ſetigeram, & 12. Æn. lyncem maculoſam dicit, Cererem item almam qs. omnia in terris aleret; Lucem quoque almam quod ejus beneficio viventia incrementum accipiant, plantæque progerminent Æneam pium quod patrem Anchiſem extulerit igne. Proprietati proxima *diſcretio* locumque in iis habet, quæ commune vel qvod ambiguum poſſet videri, quomodocunque diſtinguunt. Sic Virgil. 3. Æneid. Antandro & Phrygiæ

molimur montibus Idæ ; nam & alius mons Ida nomine in Creta eſt. Quando verò idem 1. Georg. Ille malum virus ſerpentibus addidit atris. *Virus* apud Latinos vocabulum medium eſſe ſciendum eſt, à Statio pro medicamento poſitum 1. Sylv. 4 Jungam omne benigne virus odoriferis Arabum quod creſcit in hortis Dolum quoque malum quendam cum Terentio vocant JCti ; etenim ut ait Plautus in Capt. Act. 2. ſc. 1. Doli non ſunt doli niſi aſtu colas. Diſcretio autem in hoc quoque cernitur, quando pro ſua indole res vel minuuntur vel augentur, ad vituperium ſc. vel ad ſplendorem. Et minuuntur quidem ut ap. Virg. 1. Georg. Tum variæ illudunt peſtes, ſæpe exiguus, Mus ſub terris poſuitque domos & horrea fecit. Iterum 11. Æneid virtus bellica in Drance : Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni Obliquaque invidia ſtimulis agitabat amaris Largus opus & lingua melior : Sed frigida bello Dextera, conſiliis habitus non ſimilis autor, ſeditione potens (genus huic materna ſuperbum Nobilitas dabat ; in certum de patre ferebat) ſurgit & his oneræ dictis atque aggerat iras. Augentur verò ut apud Virgil. 1. Æn. vaſto Rex Æolus antro Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras Imperio premit & Propert. Lib. 4. Eleg. 4. de Romulo : Non quem ſine matris honore Nutrit inhumanæ dura papilla Lupæ ; quod h. m. expreſſit Florus Lib. 1. cap. 1. Lupa vagitum ſecuta ubera admovit infantibus, matremque ſe geſſit. Ad *Ornatum* quoque ad delectationem plurimus Epithetorum uſus eſt, quam in rem vel ſimili-

tudine

tudine aut *metaphoris* uti convenit; quemadmodum Cicero Lib. de Seneđ. cap. 15. herbeſcentem ſegetum viriditatem dixit; & viciſſim ibidem de vite loquens: Quam ſerpentem multiplici lapſu & erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis. Et Virgil. Ecl 2. Tum caſia atque aliis intexens ſuavibus herbis Mollia luteola pingit vaccinia caltha nec non ſeq. Phæbo ſua ſemper apud me Munera ſunt lauri, & ſuave rubens hyacinthus. Huc quoque ſpectant epitheta *per hyperbolen* elata, ut ſ. d. ferrea vox, plumbeæ iræ, pectus ahenum, pro aſpera, gravi aut dura re; & heroa Jaſomem Semideum Statius appellavit. Non minus ornatum quoque rei conciliant epitheta à perſonis *per Synecbdocben* deſumta ut ſ. d. Mavortia vel Herculea arma. Cavendum autem ne ab humilibus minusve notis perſonis hujus generis epitheta deſumantur, ſed iis tantum, quæ publicam excellentiæ famam meruere, multique in ea re aut paucis ſecundi fuerint. Sic egregiè pictam tabulam Appellæam, non tamen Pauſaniam rectè dixeris; quoniam licet & Pauſon celebris pictor fuerit, non tamen maximè celebris. Huc etiam ſpectant quæ à gente quadam celebri epitheta adhibentur e. g. Scythicus arcus, Amazonia ſecuris, pro quovis arcu vel ſecuri. Quamvis verò è plerisque locis Dialecticis epitheta deſumi poſſint, e. g. ut tantum ex initio primi Æneidos illa colligamus *à cauſa* Luctantes ventos v. 58. ſævumque tridentem v. 152. *ab effectu*, tempeſtatesque ſonoras v. 57. *ab anteced.* ſubmerſos obrue puppes v. 7. 3. o-

ptata potiuntur arena v. 175. *à conſeq.* morſuque illuſus inani 11. v. 755. *ab oppoſitis* quoque Lib. 1. v. 32. genus inviſum v. 71. gens inimica mihi v. 127. accipiunt inimicum imbrem potiſſimum tamen ab *adjunctis* illa petuntur e. g. v. 8. ſæva memorem Junonis ob iram v. 14. de Ænea: inſignem pietate virum v. 18. de Carthagine: Studiis aſperrima belli v. 46. de Junone: Ipſa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem. *Temporis* nonnunquam v. 40. æternum vulnus; ut plurimum tamen *loci* v. 3. Lavina littora v. 15. tantæne animis cæleſtibus iræ v. 60. celſa ſedet Æolus arce v. 99. Trojæ ſub mænibus altis v. 99. &c. *vitia* autem *Epithetorum* ſunt, ſi *longa* nimis; Nam ſi longa & impedita, ut ait Quintilianus loco citato, ſimilia ſunt agmini totidem lixas, quod milites habenti; hinc in Mæcenate Seneca epiſt. 114. notat vocem: irremediabile, pro immediabile, & Maſenius in Statio 1. Theſſ. v. 146. Atria congeſtos ſatis explicitura clientes mox impacatis Regum ad vigilantia ſomnis; At verò ſi emphaſis ſubſit, non tantum propter illam virtutem ſed propter majeſtatem quoque admittenda ſunt, ut ap. Virgil. 2. Æn. venit ſumma dies, & ineluctabile fatum. Nec non ſi *intempeſtiva* ſ. potius inepta, frigida & inani tumore inflata e. g. ſi lac album, humidumve ſudorem dixeris. Denique ſi *crebra* denſa & paſſim inferta. Talia ſunt ap. Apulejum lib. 1. de aſino aureo: At ego tibi ſermone iſto Mileſio varias fabulas conſeram, auresque tuas bibulas lepido ſuſurro permulcebo, modò ſe papyrum Ægyptiam argutia Nilotici calami inſcri-

ſcriptam, non ſpreveris aſpicere. Et init. libri tertii: Commodum punicantibus phaleris aurora roſeum quotiens lacertum cælum inequitabat. Idemquoq; in Apulejo notarunt Sidonius & Martianus Capella. Plura autem quam unum voci epitheton addi, ne verſum quidem decere Quintilianus monet; Et ad 4. Georg. Virgil. v. 378. Saxoſumque ſonans Hypanis, Myſusque Caicus Servius notat dicto modo, non verò ſaxoſus legendum eſſe, ne ſint duo epitheta copulata, ut ap. Cic. ad Quir. poſt redit. circa init: Etſi homini nihil eſt magis optandum, quam proſpera æqualibus perpetuaque fortuna ſecundus Vitæ fine ſine ulla offenſione curſus: tamen ſi mihi tranquilla & placita omnia fuiſſent, incredibili quadam & pene divina, qua nunc beneficio veſtro fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem. Etiam ad exaggerandum congeſta, ut ap. Virgil. lib. 3. Æn. v. 170. Tectum anguſtum ingens, centum lublime columnis. v. 656. Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum. Lib. 8. v. 243. Infernas referet ſedes, & regna recludat Pallida, diis inviſa, ſuperq; immane barathrum. Senecam in Medea v. 190. valde veloci via Monſtrum ſævum horribile jam dudum avehe. Statium quoque in Thebaidis lib. 8. v. 67. Triſte inſuetum ingens, quod nunquam viderit æther Ede nefas. Et autorem Elegiæ de Phœnice: Sed fons in medio eſt, quem vivum nomine dicunt, Perſpicuus, lenis, dulcibus uber aquis. Nec non ap. Hermann. Hugonem in Piorum Deſider. lib. 1. eleg. 1. Nubila, lurida, ſquallida tetrica, terribilis nox

Noctur-

Nocturno in cenſu perdere digna locum. Quemadmodum ultimo neque illud vitioſum eſt ſi ſingulis quandoque vocibus ſua epitheta ſubjicianrur e. g. ap. Cic. in princip. Orat. adv. Piſonem: Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt, oculi ſupercilia frons, vultus denique totus, qui ſermo quidem tacitus mentis eſt, hîc in errorem impulit. Et ap. Quintil. ut conjectura fert, cap. 8. Dialogi de cauſis corruptæ Eloq. Nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cujusquam beneficium: ſed clamorem vagum & voces inanes & gaudium volucre. Virgil. quoque 2. Æneid. in Orat. Sinonis. Non mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi, Nec dulces natos, expectatumque potentem.

ARTICULUS II.

DE AMPLIFICATIONE RHETORICA.

PUNCTUM PRIUS,

DE AMPLIFICATIONE PER DESCRIPTIONES.

NOn tantum Philoſophi ſed Oratores quoque rerum deſcriptionibus plurimum tribuunt, verum quod accuratè illi & conciſè proponunt, idem hi coloribus ſuis pingunt ornant & amplificant, ut nón tam deſcriptum quàm depictum, non lectum ſed

ſpe-

ſpectatum exhibeatur ita mare Plautus in mil. glor. act. 2. ſc. 5. vocat loca Neptunia templaque turbulenta. Seneca pater in Præf. lib. 1. Controv. juventutem annos meliores, & Prudentius in hymno ad exequias ſenectutem, ætatem malam. Sunt verò *primum* ejusmodi *definitiones* vel *ſimpliciores*, quales illæ *quæ ab origine vocis deſumuntur*, ſicuti Auſonius Idyll. 26. Sigillaria ſacra ſigillorum nomine dicta nuncupat, item ſi quis Philoſophum, ſapientiæ ſtudioſum Grammaticum qui literas doceat vel calleat, aut Paraſitum, qui menſas obambulet aut circa eas verſetur. Ejusmodi verò periphraſtica alludere potius, quam manifeſtè exprimere etyma decet; ſecus enim corrumperetur Orationis generoſitas, & non tam Oratores, quam Grammatici videremur: nec non *quæ rem* a proprietatibus quibusdam breviter deſcribunt, quemadmodum Cic. 1. Tuſc. imaginem ſimilem ſui ſpeciem vocavit; & elementa corpora gignentia Virgilius quoque in Eclogis annos, teneros ovium fætus, caſeum, preſſum lac; & 2. Æn. Juvenes, quibus integer ævi Sanguis adhuc, ſolidoque ſuo ſtant robore vires-vel *Ornatiores* deſumtæ viciſſim aut ab aliquibus *adjunctis*, ſicuti Quintilianus in declam hominem vocat animal Deo proximum, & in contemplatione omnium, quæcunque in mundo contingunt, conſtitutum & Cic. pro Cluentio Matrem Mileſiam infanticidam deſcribit, que ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiæ, deſignatum Reipublicæ civem

civem ſuſtulerit. Et Palæſtinam Juvenalis ſat 6. abſtinentia carnis ſuillæ: Obſervant ubi feſta mero, pede Sabbata reges. Et vetus indulget ſenibus clementia porcis: *vel effectu*, ſicuti Tacitus lib. 16. Annal. cap. 13. peſtilentiam, quæ omne mortalium genus depopulatum fuerit; neque ulla cæli intemperie, quæ occurrerit oculis, ſed domus corporibus exanimis, itinera funeribus completa: non ſexus, non ætas periculo vacua. Et Ambroſius ebrietatem appellans incentivum inſaniæ, fomentum libidinis, venenum ſapientiæ, quod ſenſus hominum mutet & formas, ut ex hominib9 fiant equi hinnientes, Leones cruorem humanum ſitientes, furoris matrem, carnificem corporis; morborum genitricem: Vel *partibus*, ſicuti Fabius expugnatam civitatem h. m. Effuſæ per templa & domos flammæ apparebant, mentium tectorum audiebatur fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus: aliorum fuga incerta: alii in extremo complexu ſuorum cohærentes: his accedebat infantium fæminarumque ploratus, male uſque in illum diem ſervati fato ſenes: tum illa profanorum ſacrorumque direptio &c. Nicol. Cauſinus quoque papilionem lib. 2. de Charact. Eloq. Orat. 5. Papilio animalculum eſt, ut in urbibus rarum, ſic in agris frequens, corpus illi plenum molle tenerum, flexile, paulatim in exiguam longitudinem gracileſcens, cui ſuperſparſus teneræ lanuginis decor effloreſcit, extant veluti porrecta minutiſſimis filis cornua, quæ intermicantium oculorum jucundus fulgur irradiat: ſed præcipuum in penniculis miraculum; quippe ſupra

pra tenuis corpuſculi modulum explicatæ gemmant floribus, nitent purpura, micant auro, ſtellis radiant; his veluti remigijs libratus in aerem, & ridente paſſim Verni temporis amænitate per gemmeam florum luxuriam volitat ludibundus ad ſingulas penè ſtirpes adhæreſcens, modo delicatiſſima proboſcide foliorum ſuccus pabulatur, modò molliter deliteſcit inter ordorum delicias, modò redintegrato volatu ſuperbius emicat, & inſultantium puerorum manus ſexcentos in aëre mæandros & flexus pingens eludit. Vel *ſimilibus*, ut ſ. d. Vitam noſtram forum eſſe, quo emitur & venditur: Fabulam in qua ſuam quiſque peragat perſonam &c. Item Lilium eſſe Ornamentum terræ decus horti, plantarum gloriam, oculorum florum, prætorum gemmam, ſydus agrorum &c. Vel denique etiam *paradoxis*; quemadmodum Idiota amorem dixit turpis animæ laqueum, diſcrimen vitæ, mortemque ſuavem, blandum vulnus felleum mel, cæcitatem clariſſimam, perniciem delicatam, dulce venenum &c. *Secundo aliter ſe habent deſcriptiones Hiſtoricorum vel Oratorum aliter Poetarum* e. g. *Sueton.* in vita Auguſti cap. 16. Portum Julium ap. Bajas immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari [ſc. Auguſtus] effecit. Virgil 2. Georg. h. m. Quid memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra, Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor, Julia qua ponto longè ſonat unda refuſo Tyrrhenusque fretis immittitur æſtus Avernis. Viciſſim Cæſar l. 1. de bello Gall. Flumen eſt Arar, quod in Rho-

Rhodanum influit, incredibili lenitate. *Lucanus* admirabili brevitate & perſpicuitate lib. 3. Quà Rhodanus raptum velocibus undis in mare fert Ararim. *Silius Italicus paulò fuſius* Lib. 3. Auget [Rhodani] opes ſtanti ſimilis tacitoque liquore Mixtus Arar; quem gurgitibus complexus anhelis Cunctantem immergit pelago, raptumqee per arva Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen. Iterum *Plinius* Lib. II. cap. 6. de Apib. Primum favos conſtruunt, ceram fingunt, hoc eſt, domos cellasque faciunt, deinde ſobolem. *Virgilius* autem 4. Georg. h. m. Ipſe Regem parvosque Quirites ſufficiunt, aulasque & cerea regna refigunt; *Rurſus Cic.* lib. de Seneƈt. vitem ait ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coërcet ars Agricolarum, ne ſylveſcat ſarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. *Aſt Virgil.* 2. Georg. Ac dum prima novis adoleſcit frondibus ætas Parcendum teneris & dum ſe lætus ad auras Palmes agit laxis per purum immiſſus habenis. Inde ubi jam validis amplexæ ſtirpibus ulmos Exierint, tum ſtringe comas, tunc brachia tende Ante reformidant ferrum, tunc denique dura Exerce imperia & ramos compeſce fluentes. *Tertio* ratione materiæ quidem *Deſcriptiones dividi* ſolent, in *Pragmatographicas* quibus res & rerum adjuncta, cum quæ præceſſerunt, tum quæ conſecuta ſunt perſequimur, in quibus verò viciſſim aliter quodammodo ſe habent quæ fiunt in ſermone ligato, quam quæ in ſoluto e. g. *Cicero* 2. de Nat. Deor. oculos deſcribit, qvod ſint ſenſus in-

ſen-

terpretes, ac nuncii rerum in capite, mirifice ad uſus neceſſarios facti & collocati, qui tanquam ſpeculatores locum altiſſimum obtinent, ex quo plurima conſpicientes ſuo funguntur munere &c. quos ſummos opifex membranis tenuiſſimis veſtivit & ſepſit, primumque perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſit: firmas autem, ut continerentur: ſed lubricos & mobiles, ut declinarent, ſi quid noceret, & aſpectum quò vellent facilè converterent: Acies ipſa qua cernimus, quæ pupilla vocatur ita parva eſt, ut ea quæ nocere poſſunt facilè vitet, palpebræque quæ ſunt tegumenta oculorum, molliſſimæ tactu, ne læderent aciem, aptiſſimæ factæ ad claudendas pupillas, ne quid incideret aperiendas, idque providit, ut identidem fieri poſſet, cum maxima celeritate. Munitæque ſunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus & apertis oculis, ſi quid incideret repelleretur, & ſomno conniventibus oculis ad decernendum non egeremus, ut qui tanquam involuti quieſcerent &c. *Johannes Loygæus* autem in Harmonia humani corporis lib. 4. Ipſa rotunda oculi forma eſt, penituſque globoſa ſublimi velut in ſpecula præfixus, ut aptè Officium inde ſuum præſtet pulcherrima cæli Ornamenta videns, variosque per æthera motus, Hic geminusque fuit naturæ munere largo captus ut uno aliquis reliquo conſtante regatur &c. Quatuor ex tunicis tribus atque humoribus omnis ſtat ſtructura oculi formoſa coruſcaque multum &c. Altera cornea ſic pellucida tota colore Duræ proveniens abſtruſis matris ab oris, uvea cæruleas imitata colori-

molimur montibus Idæ; nam & alius mons Ida nomine in Creta eſt. Quando verò idem *1.* Georg. Ille malum virus ſerpentibus addidit atris. *Virus* apud Latinos vocabulum medium eſſe ſciendum eſt, à Statio pro medicamento poſitum 1. Sylv. 4 Jungam omne benigne virus odoriferis Arabum quod creſcit in hortis Dolum quoque malum quendam cum Terentio vocant JCti; etenim ut ait Plautus in Capt. Act. 2. ſc. 1. Doli non ſunt doli niſi aſtu colas. Diſcretio autem in hoc quoque cernitur, quando pro ſua indole res vel minuuntur vel augentur, ad vituperium ſc. vel ad ſplendorem. Et minuuntur quidem ut ap. Virg. 1. Georg. Tum variæ illudunt peſtes, ſæpe exiguus, Mus ſub terris poſuitque domos & horrea fecit. Iterum 11. Æneid virtus bellica in Drance: Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni Obliquaque invidia ſtimulis agitabat amaris Largus opus & lingua melior: Sed frigida bello Dextera, conſiliis habitus non ſimilis autor, ſeditione potens (genus huic materna ſuperbum Nobilitas dabat; in certum de patre ferebat) ſurgit & his oneræ dictis atque aggerat iras. Augentur verò ut apud Virgil. 1. Æn. vaſto Rex Æolus antro Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras Imperio premit & Propert. Lib. 4. Eleg. 4. de Romulo: Non quem ſine matris honore Nutrit inhumanæ dura papilla Lupæ; quod h. m. expreſſit Florus Lib. 1. cap. 1. Lupa vagitum ſecuta ubera admovit infantibus, matremque ſe geſſit. Ad *Ornatum* quoque ad delectationem plurimus Epithetorum uſus eſt, quam in rem vel ſimilitudine

tudine aut *metaphoris* uti convenit; quemadmodum Cicero Lib. de Seneꝺ. cap. 15. herbeſcentem ſegetum viriditatem dixit; & viciſſim ibidem de vite loquens; Quam ſerpentem multiplici lapſu & erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis. Et Virgil. Ecl 2. Tum caſia atque aliis intexens ſuavibus herbis Mollia luteola pingit vaccinia caltha nec non ſeq. Phæbo ſua ſemper apud me Munera ſunt lauri, & ſuave rubens hyacinthus. Huc quoque ſpectant epitheta *per hyperbolen* elata, ut ſ. d. ferrea vox, plumbeæ iræ, pectus ahenum, pro aſpera, gravi aut dura re; & heroa Jaſomem Semideum Statius appellavit. Non minus ornatum quoque rei conciliant epitheta à perſonis *per Synecbdocben* deſumta ut ſ. d. Mavortia vel Herculea arma. Cavendum autem ne ab humilibus minusve notis perſonis hujus generis epitheta deſumantur, ſed iis tantum, quæ publicam excellentiæ famam meruere, multique in ea re aut paucis ſecundi fuerint. Sic egregiè pictam tabulam Appellæam, non tamen Pauſaniam rectè dixeris; quoniam licet & Pauſon celebris pictor fuerit, non tamen maximè celebris. Huc etiam ſpectant quæ à gente quadam celebri epitheta adhibentur e. g. Scythicus arcus, Amazonia ſecuris, pro quovis arcu vel ſecuri. Quamvis verò è pleriſque locis Dialecticis epitheta deſumi poſſint, e. g. ut tantum ex initio primi Æneidos illa colligamus *à cauſa* Luctantes ventos v. 58. lævumque tridentem v. 152. *ab effectis*, tempeſtatesque ſonoras v. 57. *ab anteced.* ſubmerſos obrue puppes v. 7.3. o-

ptata potiuntur arena v. 175. *à conſeq.* morſuque illuſus inani 11. v. 755. *ab oppoſitis* quoque Lib. 1. v. 32. genus inviſum v. 71. gens inimica mihi v. 127. accipiunt inimicum imbrem potiſſimum tamen ab *adjunctis* illa petuntur e. g. v. 8. ſæva memorem Junonis ob iram v. 14. de Ænea: inſignem pietate virum v. 18. de Carthagine: Studiis aſperrima belli v. 46. de Junone: Ipſa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem. *Temporis* nonnunquam v. 40. æternum vulnus; ut plurimum tamen *loci* v. 3. Lavina littora v. 15. tantæne animis cæleſtibus iræ v. 60. celſa ſedet Æolus arce v. 99. Trojæ ſub mænibus altis v. 99. &c. *vitia* autem *Epithetorum* ſunt, ſi *longa* nimis; Nam ſi longa & impedita, ut ait Quintilianus loco citato, ſimilia ſunt agmini totidem lixas, quod milites habenti; hinc in Mæcenate Seneca epiſt. 114. notat vocem: irremediabile, pro immediabile, & Maſenius in Statio 1. Theſſ. v. 146. Atria congeſtos ſatis explicitura clientes mox impacatis Regum ad vigilantia ſomnis; At verò ſi emphaſis ſubſit, non tantum propter illam virtutem ſed propter majeſtatem quoque admittenda ſunt, ut ap. Virgil. 2. Æn. venit ſumma dies, & ineluctabile fatum. Nec non ſi *intempeſtiva* ſ. potius inepta, frigida & inani tumore inflata e. g. ſi lac album, humidumve ſudorem dixeris. Denique ſi *crebra* denſa & paſſim inferta. Talia ſunt ap. Apulejum lib. 1. de aſino aureo: At ego tibi ſermone iſto Mileſio varias fabulas conſeram, auresque tuas bibulas lepido ſuſurro permulcebo, modò ſe papyrum Ægyptiam argutia Nilotici calami inſcri-

ſcriptam, non ſpreveris aſpicere. Et init. libri tertii; Commodum punicantibus phaleris aurora roſeum quotiens lacertum cælum inequitabat. Idemquoq; in Apulejo notarunt Sidonius & Martianus Capella. Plura autem quam unum voci epitheton addi, ne verſum quidem decere Quintilianus monet; Et ad 4. Georg. Virgil. v. 378. Saxoſumque ſonans Hypanis, Myſusque Caicus Servius notat dicto modo, non verò ſaxoſus legendum eſſe, ne ſint duo epitheta copulata, ut ap. Cic. ad Quir. poſt redit. circa init: Etſi homini nihil eſt magis optandum, quam proſpera æqualibus perpetuaque fortuna ſecundus Vitæ ſine ſine ulla offenſione curſus: tamen ſi mihi tranquilla & placita omnia fuiſſent, incredibili quadam & pene divina, qua nunc beneficio veſtro fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem. Etiam ad exaggerandum congeſta, ut ap. Virgil. lib. 3. Æn. v. 170. Tectum anguſtum ingens, centum ſublime columnis. v. 656. Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum. Lib. 8. v. 243. Infernas referet ſedes, & regna recludat Pallida, diis inviſa, ſuperq; immane barathrum. Senecam in Medea v. 190. valde veloci via Monſtrum ſævum horribile jam dudum avehe. Statium quoque in Thebaidis lib. 8. v. 67. Triſte inſuetum ingens, quod nunquam viderit æther Ede nefas. Et autorem Elegiæ de Phœnice: Sed fons in medio eſt, quem vivum nomine dicunt, Perſpicuus, lenis, dulcibus uber aquis. Nec non ap. Hermann. Hugonem in Piorum Deſider. lib. 1. eleg. 1. Nubila, lurida, ſquallida tetrica, terribilis nox

Noctur-

Nocturno in cenſu perdere digna locum. Quemadmodum ultimo neque illud vitioſum eſt ſi ſingulis quandoque vocibus ſua epitheta ſubjicianrur e. g. ap. Cic. in princip. Orat. adv. Piſonem : Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt, oculi ſupercilia frons, vultus denique totus, qui ſermo quidem tacitus mentis eſt, hîc in errorem impulit. Et ap. Quintil. ut conjectura fert, cap. 8. Dialogi de cauſis corruptæ Eloq. Nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cujusquam beneficium: ſed clamorem vagum & voces inanes & gaudium volucre. Virgil. quoque 2. Æneid. in Orat. Sinonis. Non mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi, Nec dulces natos, expectatumque potentem.

ARTICULUS II.

DE AMPLIFICATIONE RHETORICA.

PUNCTUM PRIUS,

DE AMPLIFICATIONE PER DESCRIPTIONES.

NOn tantum Philoſophi ſed Oratores quoque rerum deſcriptionibua plurimum tribuunt, verum quod accuratè illi & conciſè proponunt, idem hi coloribus ſuis pingunt ornant & amplificant, ut nón jam deſcriptum quàm depictum, non lectum ſed ſpe-

ſpectatum exhibeatur ita mare Plautus in mil. glor. act 2. ſc. 5. vocat loca Neptunia templaque turbulenta. Seneca pater in Præf. lib. 1. Controv. juventutem annos meliores, & Prudentius in hymno ad exequias ſenectutem, ætatem malam. Sunt verò *primum* ejusmodi *definitiones* vel *ſimpliciores*, quales illæ *quæ ab origine vocis deſumuntur*, ſicuti Auſonius Idyll. 26. Sigillaria ſacra ſigillorum nomine dicta nuncupat, item ſi quis Philoſophum, ſapientiæ ſtudioſum Grammaticum qui literas doceat vel calleat, aut Paraſitum, qui menſas obambulet aut circa eas verſetur. Ejusmodi verò periphraſtica alludere potius, quam manifeſtè exprimere etyma decet; ſecus enim corrumperetur Orationis generoſitas, & non tam Oratores, quam Grammatici videremur: nec non *quæ rem* a proprietatibus quibusdam breviter deſcribunt, quemadmodum Cic. 1. Tuſc. imaginem ſimilem ſui ſpeciem vocavit; & elementa corpora gignentia Virgilius quoque in Eclogis annos, teneros ovium fætus, caſeum, preſſum lac; & 2. Æn. Juvenes, quibus integer ævi Sanguis adhuc, ſolidoque ſuo ſtant robore vires-vel *Ornatiores* deſumtæ viciſſim aut ab aliquibus *adjunctis*, ſicuti Quintilianus in declam hominem vocat animal Deo proximum, & in contemplatione omnium, quæcunque in mundo contingunt, conſtitutum & Cic. pro Cluentio Matrem Mileſiam infanticidam deſcribit, que ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, hæredem familiæ, deſignatum Reipublicæ [illegible]

ejvem

civem ſuſtulerit. Et Palæſtinam Juvenalis *ſat 6.* abſtinentia carnis fuiſſe: Obſervant ubi feſta mero, pede Sabbata reges. Et vetus indulget ſenibus clementia porcis: *vel effectu*, ſicuti Tacitus lib. 16. Annal. cap. 13. peſtilentiam, quæ omne mortalium genus depopulatum fuerit; neque ulla cæli intemperie, quæ occurrerit oculis, ſed domus corporibus exanimis, itinera funeribus completa: non ſexus, non ætas periculo vacua. Et Ambroſius ebrietatem appellans incentivum inſaniæ, fomentum libidinis, venenum ſapientiæ, quod ſenſus hominum mutet & formas, ut ex hominibꝰ fiant equi hinnientes, Leones cruorem humanum ſitientes, furoris matrem, carnificem corporis, morborum genitricem: Vel *partibus*, ſicuti Fabius expugnatam civitatem h. m. Effuſæ per templa & domos flammæ apparebant, mentium tectorum audiebatur fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus: aliorum fuga incerta: alii in extremo complexu ſuorum cohærentes: his accedebat infantium fæminarumque ploratus, male uſque in illum diem ſervati fato ſenes: tum illa profanorum ſacrorumque direptio &c. Nicol. Cauſinus quoque papilionem lib. 2. de Charact. Eloq. Orat. 5. Papilio animalculum eſt, ut in urbibus rarum, ſic in agris frequens, corpus illi plenum molle tenerum, flexile, paulatim in exiguam longitudinem graciles'cens, cui ſuperſparſus teneræ lanuginis decor efflorеſcit, extant veluti porrecta minutiſſimis filis cornua, quæ intermicantium oculorum jucundus fulgur irradiat: ſed præcipuum in penniculis miraculum; quippe ſu-

pra

pra tenuis corpuſculi modulum explicatæ gemmant floribus, nitent purpura, micant auro, ſtellis radiant; his veluti remigijs libratus in aerem, & ridente paſſim Verni temporis amænitate per gemmeam florum luxuriam volitat ludibundus ad ſingulas penè ſtirpes adhæreſcens, modo delicatiſſima proboſcide foliorum ſuccus pabulatur, modò molliter deliteſcit inter ordorum delicias, modò redintegrato volatu ſuperbius emicat; & inſultantium puerorum manus ſexcentos in aëre mæandros & flexus pingens eludit. Vel *ſimilibus*, ut ſ. d. Vitam noſtram forum eſſe, quo emitur & venditur: Fabulam in qua ſuam quiſque peragat perſonam &c. Item Lilium eſſe Ornamentum terræ decus horti, plantarum gloriam, oculorum florum, prætorum gemmam, ſydus agrorum &c. Vel denique etiam *paradoxis*; quemadmodum Idiota amorem dixit turpis animæ laqueum, diſcrimen vitæ, mortemque ſuavem, blandum vulnus felleum mel, cæcitatem clariſſimam, perniciem delicatam, dulce venenum &c. *Secundo aliter ſe habent deſcriptiones Hiſtoricorum vel Oratorum aliter Poetarum* e. g. *Sueton.* in vita Auguſti cap. 16. Portum Julium ap. Bajas immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari [ſc. Auguſtus] effecit. Virgil 2. Georg. h. m. Quid memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra. Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor, Julia qua ponto longè ſonat unda refuſo Tyrrhenusque fretis immittitur æſtus Avernis. Viciſſim Cæſar 1. de bello Gall. Flumen eſt Arar, quod in

Rho-

terpretes, ac nuncii rerum in capite, mirifice ad uſus neceſſarios facti & collocati, qui tanquam ſpeculatores locum altiſſimum obtinent, ex quo plurima conſpicientes ſuo funguntur munere &c. quos ſummos opifex membranis tenuiſſimis veſtivit & ſepſit, primumque perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſit: firmas autem, ut continerentur: ſed lubricos & mobiles, ut declinarent, ſi quid noceret, & aſpectum quò vellent facilè converterent: Acies ipſa qua cernimus, quæ pupilla vocatur ita parva eſt, ut ea quæ nocere poſſunt facilè vitet, palpebræque quæ ſunt tegumenta oculorum, molliſſimæ tactu, ne læderent aciem, aptiſſimæ factæ ad claudendas pupillas, ne quid incideret aperiendas, idque providit, ut identidem fieri poſſet, cum maxima celeritate. Munitæque ſunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus & apertis oculis, ſi quid incideret repelleretur, & ſomno conniventibus oculis ad decernendum non egeremus, ut qui tanquam involuti quieſcerent &c. *Johannes Loygæus* autem in Harmonia humani corporis lib. 4. Ipſa rotunda oculi forma eſt, penituſque globoſa ſublimi velut in ſpecula præfixus, ut aptè Officium inde ſuum præſtet pulcherrima cæli Ornamenta videns, varioſque per æthera motus, Hic geminusque fuit naturæ munere largo captus ut uno aliquis reliquo conſtante regatur &c. Quatuor ex tunicis tribus atque humoribus omnis ſtat ſtructura oculi formoſa coruſcaque multum &c. Altera cornea ſic pellucida tota colore Duræ proveniens abſtruſis matris ab oris, uvea cæruleas imitata colori-

bus uvas Stat juxta ob varios Iris quoque dicta colores Luminis hæc ambit claras utriusque pupillas in quibus & planè reddi & fulgere videntur Conceptæ rerum ſpecies ſub imagine viva Quarta ſubeſt multis (ab re nec) aranea dicta in qua ſollicitè cryſtallinus abditus humor ſenſifica unde omnes radiataque viſio prodit &c. *Proſopographicas*, quibus perſona vel vera vel ficta à natione ætate fortuna ſtudiis affectibus rebus geſtis aliisque circumſtantiis deſcribitur; quales extant apud Aurelium Victorem & Paulum diaconum breviores, prolixiores ap. Æmilium Probum, Suetonium & Plutarchum. Quaſi perſonæ verò e.g. Fortunæ, ſomno, virtuti, Patriæ, invidiæ, fami, Tempori vitæ, Morti denique tam Oratores; nonnunquam, quam plerumque Poetæ perſonam attribuunt. Exemplum Poëticæ proſopographias legitur ap. *Virgil.* 1. *Æn.* quo v. 591. & ſeqq. reginam h. m. deſcribit. Vix ea fatus erat cum circumfuſa repente Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum. Reſtitit Æneas, claraq; in luce refulſit: Os humeroſq; Deo ſimilis; namque ipſe decoram Cæſariem nato genitrix lumenque juventæ Purpureum & lætos oculis adflarat honores. Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo Argentum Parius ve lapis circumdatur auro. Hiſtoricæ verò ap. *Livium* lib. 8. decad. 3. ubi de Scipione h. m. Præterquam qvod multa majeſtas inerat adornabat promiſſa cæſaries, habitusque corporis, non cultus munditijs: ſed virilis verè ac militaris; Et ætas erat in medio virium robore, qvod

ple-

plenius nitidiusque ex morbo velut renovatus flos juventæ faciebat. *Topographicas*, quibus regio, mons, urbs, templum, villa, hortus, flumen, portus; vel à Poëtis per fictionem campi Elyſii, regia ſolis aut Pſyches, ſedes ſomni, domus famis & ſimilia deſcribuntur. *Virgil.* 1. *Æn.* v. 162. Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos, Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur in cœlum ſcopuli, quorum ſub vertice latè Æquora tuta ſilent, tum ſylvis ſcena coruſcis deſuper horrendique antrum nemus imminet umbra Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum: Intus aquæ dulces vivoque ſedilia ſaxo Nympharum domus, hic feſſas non vincula naves ulla tenent unco non alligat anchora morſu. *Livius* Dec. 3. lib. 6. Sinus eſt maris maximè Africo vento oppoſitus, & quingentos paſſus, introrſus retractus paulùlo poſt paſſuum in latitudinem patens. Hujus in oſtio ſinus parva inſula objecta ab alto portum ab omnibus ventis, præter quam Africo tutum facit. *Chronographicas*, quibus annus & anni tempora; ver, ætas autumnus, vindemiæ, hyems, Saturnalia, pacis quoque & belli tempora deſcribi ſolent *Virgil. Æn. lib. 11.* Nox humida donec invertit cœlum ſtellis ardentibus aptum. *Sil. Ital.* Lib. II. Abſtulerat terras nigrantibus Heſperus umbris. *Tacit.* 14. *Annal.* Noctem ſyderibus illuſtrem dii præbuerunt, & 2. *Hiſt.* in umbrante veſpera. Denique

Etho- ſive *Patographica*, Morum ſcilicet Affectuum, Actionumve deſcriptiones, Ita *Ovid.* 2. *Metam.* Illa forte die caſtæ de more puellæ Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces Pura coronatis portabant ſacra caniſtris. *Cic.* 6. *Verr.* Quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium virginum repoſita in captibus ſuſtinebant. Sic quoque *Libanius* in Progymnaſmatis h. m. inter cætera depingit ebrium: Vino jam dominante corpus ipſum rubeſcere, ipſo animo commoveri; inque alios contumelioſus jocantibus in ſe ſuccenſere, miniſtrum à poculis immerentem increpare. Tum ſcyphus è manu elabi, oculique & lingua perverti. Cum ſurgendum erectoribus & ductoribus illi opus erat; paſſus autem ſe uſque ad forum deduci. Huc cum veniſſet, ductorem dimittit, ſeque conatur ipſe ſuſtentare; neque tamen poterat, ſimilisque erat delirantibus, cum huc illuc titubans ferretur, ſemperque caſurus videretur &c. Lepidè *Plautus* Pſeudotum ſervum ebrium his verbis inducit: Quid hoc? ſiccine hoc fit? pedes ſtatim annon? An id vultis, ut me hic jacentem aliquis tollat? Nam hercle ſi occidero, veſtrum erit flagitium. Pergitin pergere? ah ſæviendum miri hodie eſt. *Lucretius* quoque lib. 3. Denique cur hominem cum vini vis penetravit, Acris & in venas diſceſſit deditus ardor; Conſequitur gravitas membrorum: præpediuntur crura vacillanti, tardeſcit lingua; madet mens; Nant oculi; clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt. Quemadmodum verò ad venuſtatem

pari-

pariter & gravitatem ſermoni conciliandam ejuſmodi deſcriptiones plurimum faciunt: ita cavendum quoque eſt ne frequentius quam decet eas adhibeamus; nauſeam enim facilè creant, & turgidam frigidamque tandem orationem efficiunt; Idemque monet celebris Rhetor Dionyſius Longinus Lib. περὶ ὕψους Sect. 26. In Periphraſi (ſcribens) opportunitatis major habenda eſt ratio, quàm in cæteris; niſi ſine modo & ineptè ab aliquo uſurpetur. Continuo enim remiſſum quid & languens incidit, orationis varietatem & obeſitatem redolens. Conglobatæ tamen prudenter definitiones plurimum ad ſuadendum valent, animus enim ſæpe repetitis quaſi ictibus pulſatus, & inflammatus in noſtras tandem partes hac ratione quaſi propellitur, ut concedat; hoc pacto odium judicum concitat Cicero in Orat. pro Cluent. adverſus Saſſiam, ejus crudelitatem turpitudinem & ſtultitiam deſcriptione complectens. Veſtram ſimul Judices (inquit) æquitatem & manſuetudinem una mater oppugnat; At quæ mater? quam cæcam crudelitate & ſcelere ferri videtis: cujus cupiditatem nulla unquam turpitudo retardavit: quæ vitiis animi in deterrimas partes jura convertit omnia: cujus ea ſtultitia, ut eam nemo hominem: ea vis, ut nemo matrem appellare poſſit. Atque etiam nomina neceſſitudinem, non ſolum naturæ nomen & jura mutavit: uxor generi, noverca filij, filiæ pellex, eò jam denique adducta eſt, ut ſibi præter formam nihil ad ſimilitudinem hominis reſervarit. In juven-

tutis denique gratiam, omnium iſtorum generum ex optimis Scriptoribus aliquot hic ſubjiciam.

DESCRIPTIONES.

Rerum e. g. *Hominis* e Senecæ Conſ. ad Marciam, Quid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum: cum bene lacertos exercuit, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victima; ex infirmis fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus, laboris impatiens, ipſo rurſum ſitu & otio iturum in tabem &c. Miramur in hoc mortem unius, qua ſingulis opus eſt? numquidenim, ut concidat, res eſt magni molimenti? Odor illi ſaporque & laſſitudo & vigilia, & humor, & cibus, ſine quibus vivere non poteſt, mortifera illi ſunt: quocunque ſe movet, ſtatim infirmitatis ſuæ conſcium, non omne cœlum ferens; aquarum novitatibus, flatuque non familiaris auræ, & tenuiſſimis cauſis atque offenſionibus morbidum, putre caſſum, à fletu vitam auſpicatum. Cum interim quantos tumultus hoc tam contemtum animal movet? in quantas cogitationes oblitum ſuæ conditiones venit? &c. *Cordis* ex Andr. Laurentii Lib 9. Hiſt. Anat. cap. 10. Cor præſtantioris animæ ſedes eſt, vitæ domicilium fons ſanguinis, eſt quaſi perpetuus caloris focus, quo vigente omnia vigent, intereunte marceſcunt atque dilabuntur. Pyramidis eſt figura ſenſim gracileſcente, ex baſi autem ampliore in turbinatum mucronem deſinit, quo longitu-

gitudo ad tractum, rotunditas ad robur amplitudinemque conferat. Situm eſt in medio thorace, ut vitalem ſpiritum & vivificum nectar ſalutaris inſtar ſyderis in omnia extrema diffundat. Quantitas ejus exigua, ut cæterorum vitæ principiorum quorum vis maxima in parva mole ſpectabilis emicat, carne dura eſt & ſolida, quò & illa inditi à Deo caloris flamma contineatur facilius, & neceſſaria perpetui motus agitatio diuturnior atque expeditior ſic in ſuos actus prorumpat. Caro hæc triplici villorum genere intertexta eſt, quorum recti à baſi ad mucronem extremum producti, in cordis diaſtole ſanguinem per venam cavam in dextrum ſinum, aërem per arteriam venoſam in ſiniſtrum trahunt; obliquorum miniſterio attractis perfruitur, qui vero tranſverſi orbiculatim cor ejuſque ventriculos ambiunt, ſanguinem in pulmones, vitalem ſpiritum in aortam, & fumidos vapores in arteriam venoſam egerunt. Adſunt venæ nutritientes, & ingenitum calorem foventes arteriæ; totam baſin cordis inſtar coronæ cingunt, & ramulos hinc inde explicant. Totum denique corpus peculiari tunica cingitur & adipe copioſo tota fere cordis ſuperficies oblinitur, ne ob perennes motus conflagret & fatiſcat. *Aurium* e Cic. 2. de Nat. Deor. Eminent aures tegendi cauſa factæ tutandique ſenſus, & ne voces laberentur atque errarent, priuſquam ſenſus ab his pulſus eſſet; Sed duros & quaſi corneolos habent introitus, multiſque cum flexibus; quod his naturis relatus amplificatur ſonus; quocirca & in fidibus teſtudine reſonatur; & ex tor-

tuoſis locis atque incluſis redduntur ampliores. Aurium item eſt artificioſum quoddam & admirabile judicium, quo judicatur & in vocis & in tibiarum ac nervorum cantibus, varietas ſonorum, intervalla, diſtinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuſcum, lene, aſperium, grave, acutum, flexibile, durum, quæ hominum ſolummodo auribus judicantur.

Locorum e. g. *Fontis Ammonis* e Curtii Lib. 4. Ammonis nemus in medio habet fontem, aquam ſolis vocant; ſub lucis ortum tepida manat: media die, dum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit, inclinato inveſperam caleſcit: media nocte fervida exæſtuat, quoque proprius nox vergit ad lucem, multum caloris decreſcit; donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tempore langueſcat. Id quod pro Deo colitur eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt; umbilico maxime ſimilis eſt, & habitus Smaragdo & gemmis coagmentatus; hunc cum reſponſum petitur, navigio aurato geſtant Sacerdotes cum multis argenteis pateris, ab utroque navigii latere pendentibus; ſequuntur matronæ virginesque inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Jovem credunt ut certum edat Oraculum. *Villæ Juliani* prout ipſe eam is Imperator amico deſcripſit, cui donarat. Prædiolum exiguum quatuor agrorum, quod mihi à Theta in Bythinia datum eſt; tibi dono. Diſſitum eſt à mari ſtadiis non plus viginti, ut neque mercator, neque nauta nu-

nugator aut incurioſus huic loco ſit moleſtus. Neque tamen prorſus Nerei gratiis deſtituitur: ſed piſcem ſemper habet recentem, & palpitantem. Progreſſus autem ab ædibus in collem quendam eò Propontidem Inſulasque oculis perluſtrare poſſit, itemquè urbem à generoſo & ſtrenuo Rege cognominatam, Non algis muſcoque inſiſtit; neque ubi periculum ſit ab ejectis in littus & arenam; ſed in hedera, cepisque & herba fragrante. Ibi amœniſſimum eſt, recubantem, cum librum inſpexeris, deinde viſum recreare, atque in naves & mare ſumma cum voluptate transmittere &c. Ibidem agriculturæ meæ parvum quoddam monumentum vinea brevis, quæ vinum ſuaviter fragrans atque dulce gignit; non expectans, donec à tempore Bachus aliquid accipiat. Videbis gratias, botrus tum in Vite, tum ſub torculari preſſus, roſas olet: Muſtum jam incadis contentum, ita eſt, quaſi è nectare hauſtum ſit. *Corycii Specus* è Pomponio Mela lib. 1. cap. 13. Specus nomine Corycius grandi hiatu patens montem littori appoſitum & decem ſtadiorum clivo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc altè demiſſus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pubentibus undique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo aſpectu conſternat, ubi contemplari duravere, non ſatiet. Unus in eum deſcenſus eſt, auguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amœnas umbras, & opaca ſylvæ quiddam agreſte reſonantis, rivis hinc atque illinc fluitantibus.

O 5 Perſo-

Perſonarum e. g. *Apronij* e lib. 3. Cic. in Verr. Fingite vobis, ſi poteſtis aliquem, qui in omnibus rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines eſſe poſſit. Is erat Apronius ille, qui ut ipſe, non ſolum vita; ſed etiam corpore atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus ſtupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat (ſc. Verres) tantamque habebat morum ſimilitudo ad concordiam & conjunctionem, ut Apronius, qui aliis inhumanus & barbarus, iſti uni commodus & diſertus videretur: ut quem omnes odiſſent, neque videre vellent, ſine eo eſſe iſte non poſſet: ut cum aliis ne conviviis quidem iisdem, quibus Apronius, hic iisdem etiam poculis uteretur: poſtremò, ut Odor Apronij teterrimus oris & corporis, quem (ut ajunt) ne beſtiæ quidem ferre poſſent, uni iſti ſuavis & jucundus videretur. Iſte erat in tribunali proximus, in cubiculo ſocius, in conviviis dominus, actum maximè cum accumbente prætextato Prætoris filio in convivio ſaltare nudus cæperat. *Theodorici* è Sidon. Apollinaris Lib. 1. Ep. II. Si forma quæratur, corpore exacto, longiſſimis brevior: procerior eminentiorque mediocribus: capitis apex rotundus, in quo paululum à planitie frontis in verticem cæſaries refuga criſpatur, cervix non ſedet nervis, geminos orbes hiſpidus ſuperciliorum coronat arcus. Si verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo

pro-

prope pervenit. Aurium legulæ (ſicut mos gentis eſt) crinium ſuperjacentium flagellis operiuntur. Naſus venuſtiſſimè incurvus, labra ſubtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata, ſi caſu dentium ſeries ordinata promineat, niveum protinus repræſentat ipſa colorem. Pilis infra narium intra fruticantibus ſucciſo. Barba concavis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem, ſtirpitus tonſor aſſiduas genas ad usque forcipibus evellit. Menti gutturis, colti non obeſi ſed ſucculenti, Lactea cutis, quæ propius inſpecta juvenili robore ſuffunditur. Namque hunc illi crebra colorem, non ira ſed verecundia facit. Teretes humeri, validi lacerti dura brachia, patulæ manus, recedente alvo pectus accedens. Aream dorſi humilior inter excrementa coſtarum ſpina diſcriminat. Tuberoſum, eſt utroque muſculis prominentibus latus. In ſuccinctis regnat vigor ilibus. Carneum femur iternodia politum bene maſcula, maximus in minimè rugoſis genibus honor, Crura ſuris, ſulta turgentibus, & qui magna ſuſtentat membra pes modicus. *Meleagri* venatoris ap. Philoſtratum in eod. Calloſus, eſt ac rigidus adoleſcens, & corpore toto vegetus, ſuræ bene compactæ, rectæ, non minus in ſtadiis ad currendum aptæ quam ad luctæ certamen cominus ſuſtinendum firmæ, femur junctum toris, genu inferiori tibiæ reſpondet, & talis coxendix, ut polliceri audeat, adoleſcentem apri impetu minimè ſubverſum iri, tum latera plena, & venter minimè obeſus, & pectora moderatè extuberantia & brachium articulis nexum, & humeri ad

cervi-

cervicem validam cohærentes, baſin ipſi exhibent; coma verò ſoli concolor, & nunc præ impetu & alacritate erecta & torvum videns, cæſius oculis, & ſupercilium haud quaquam remiſſum, ſed in animi æſtu totum, ut & ipſa vultus conſtitutio, quæ non concedit deforma propter commotionem adoleſcentis quicquam dicere. Accedit veſtis candida ſuper genu & ſolea ſuper malleolo, fulcrum quidem tutum inceſſui. Denique chlamyde croco tincta, cervici involuta indutus belluam expectat.

Morum e. g. *Mollis & Delicati* è lib. 5. Cic. in Verr. Ita vivebat iſte bonus Imperator, ut ne eum facilè hibernis menſibus, non modò extra tectum; ſed ne extra lectum quidem quisquam videret. Ita diei brevitas conviviis noctisque longitudo ſtupris & flagitiis conterebatur. Cum autem ver eſſe cæperat, cujus initium iſte non a Favonio, neque ab aliquo aſtro notabat: ſed cum roſam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur, dabat ſe labori atque itineribus, in quibus uſque eò ſe præbebat patientem atque impigrum ut eum nemo inquam in equo ſedentem videret. Nam ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica Hexaphora ferebatur, in qua pulvinus erat pellucidus, Melitenſi roſa fartus; Ipſe autem coronam habebat, unam in capite, alterem in collo, reticulumque ad nares ſibi admovebat, tenuiſſimo lino minutis maculis, plenum roſæ; Sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica uſque in cubiculum deferebatur, eò veniebat Siculorum Magi-

ſtra-

ſtratus, veniebant equites Romani, idquod ex multis juratis auditis. Controverſiæ ſecretò deferebantur: paulò poſt palam decreta aufferebantur. Deinde ubi pauliſper in cubiculo pretio non æquitate jura deſcripſerat; veneri jam & libero reliquum tempus deberi arbitrabatur: quo loco mihi non prætermittenda videtur præclari Imperatoris egregia & ſingularis diligentia. Nam ſcitote eſſe oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus Prætores conſiſtere, & conventum agere ſolent: quo oppido non iſti ex aliqua familia non ignobili delecta mulier eſſet. Itaque nonnullæ ex eo numero in convivio adhibebantur palam: ſi quæ erant caſtiores, ad tempus veniebant, lucem & conventum vitabant. *Superbi* e Suetonii Caligula &c. Hic eſt qui Imperium orbis terrarum ſuo ſupercilio, ut Atlante cælum niti putat; dum incertos parentes habet in terris, originis ſuæ principuum repetit è cælo. Cernite, quo ſe jactet inceſſu, quibus nos intuetur oculis? qua voce, ſi modo loquitur omnes præ ſe contemnit. Animadvertiſtis, ut modò depictas gemmatosque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum procedat, modò ſericatus & cycladatus obambulet? modò in crepidis vel cothurnis, modò in ſpeculatoria caliga, nonnunquam ſocco muliebri prodeat, plerumque verò antea barba fulmen tenens ac fuſcinam, aut caduceum, Deorum inſignia ſeſe inſolentius oſtendet. Hic cæteros homines præ ſe mures, aut muſcas aut culices eſſe arbitratur: ſi quis eum leviſſimè pepulerit, ſi tetigerit, ſi minimo verbo ſe ſuſpicatus fuerit offen-

offenſum, non eſt exorabilis. Parum eſt ſævire in homines, ni compedes Oceano injiciat, jacula immittat in ſolem fluviis plagas inurat, Jovis quotquot ſunt ſimulacra, eadem capite truncari, & ſuam cervicem imponi mandet? Quoties cum ipſo Jove jurgatur, quoties illi ſuccenſet? quoties exilia & ultimos Gedroſiorum tractus minatur: Niſi pluat, aut tonet, aut ſerenum faciat, quando ipſe voluerit? Quid quod nuptiarum pompam adornat, & Minervam aut Lunam de cælo lapſum iri in ſuos amplexus autumat. Quid quod deſes & imbellis, cum conchis & margaritis bellum gerit, de in ſpolia vocat, capitolio palatioque debita, & apparatiſſimos triumphos inſtruit, quaſi Phraatem ad gemia ſupplicem admiſerit. *Rabularum* ex Ammiano Marcellino lib. 30. Videre eſt per omnes fractus violenta & rapaciſſima genera hominum per fora omnia volitantium. In his primus eſt cætus eorum, qui ſeminando diverſa jurgia, per vadimonia mille jactantur; viduarum poſtes & orborum limina deterentes, & avidi inter diſcordantes amicos aut propinquos vel affines, ſimultatum, ob levis ſcrinij receptacula; odia ſtruentes infeſta; in quibus ætatis progreſſu, non ut aliorum vitia tepeſcunt; ſed magis magiſque roborantur &c. Secundum eſt genus eorum, qui Juris profeſſi ſcientiam, quam repugnantium ſibi legum abſolvere diſſidia velut vinculis ori impoſitis, reticente jugi ſilentio, umbrarum ſunt ſimiles propriarum &c. Tertius eorum eſt ordo, qui ut in profeſſione turbulenta clareſcant, ut ad expugnandam veritatem

ritatem ora mercenaria procudentes, per proſtitutas frontes, vileſque latratus, quò velint aditus ſibi patefaciunt crebros, qui inter ſolicitudines Judicum, per multas difficultates inſatiabili nexu vincientes negotia, laborant, ut omnis quies litibus implicetur, & nodoſis quæſtionibus de induſtria judicia circumſcribant, quæ cum rectè procedunt delubra ſunt æquitatis, cum depravantur foveæ fallaces & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit quisquam, non niſi per multa exilia luſtra ad uſque ipſas medullas exuſtus. Quartum eſt, poſtremum eſt genus impudens pervicax & indoctum, eorum, qui cum à literariis eruperint ludis, per angulos civitatum diſcurrunt, non cauſarum remediis congrua commentantes, fores divitum detetendo, cænarum ciborumque aucupantes delicias exquiſitas: qui cum ſemel umbraticis lucris, & inhiandæ pecuniæ undique ſe dediderint, litigare fruſtra quoslibet innocentes hortantur, & ad defendendam cauſam admiſſi ſuſcepti nomen & vim negotij ſub ore diſceptatoris inter ipſos conflictuum articulos inſtruuntur circum locutionibus indigeſtis ita ſcatentes, ut colluvionis teterrimæ audire exiſtimes ululabili clamore Therſiten &c.

Affectuum e. g. *Amoris* ex Oppiano de Venat. lib. 2. & 4. de Piſcatu. Amor, ut ajunt Poëtæ ephebus eſt, glabellus corpore, vultu ſpecioſus, alis volucer, manu promtus, arcu ſagittis & facibus armatus. Quin potius affectus eſt animi in rem amatam præceps, vehemens, incenſus. Qui, Deus bone, quan-

tutis denique gratiam, omnium iſtorum generum ex optimis Scriptoribus aliquot hic ſubjiciam.

DESCRIPTIONES.

Rerum e. g. *Hominis* e Senecæ Conſ. ad Marciam, Quid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, cum bene lacertos exercuit, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victima; ex infirmis fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus, laboris impatiens, ipſo rurſum ſitu & otio iturum in tabem &c. Miramur in hoc mortem unius, qua ſingulis opus eſt? numquid enim, ut concidat, res eſt magni molimenti? Odor illi ſaporque & laſſitudo & vigilia, & humor, & cibus, ſine quibus vivere non poteſt, mortifera illi ſunt: quocunque ſe movet, ſtatim infirmitatis ſuæ conſcitum, non omne cœlum ferens, aquarum novitatibus, flatuque non familiaris auræ, & tenuiſſimis cauſis atque offenſionibus morbidum, putre caſſum, à fletu vitam auſpicatum. Cum interim quantos tumultus hoc tam contemtum animal movet? in quantas cogitationes oblitum ſuæ conditiones venit? &c. *Cordis* ex Andr. Laurentii Lib 9. Hiſt. Anat. cap. 10. Cor præſtantioris animæ ſedes eſt, vitæ domicilium fons ſanguinis, eſt quaſi perpetuus caloris focus, quo vigente omnia vigent, intereunte marceſcunt atque dilabuntur. Pyramidis eſt figura ſenſim gracileſcente, ex baſi autem ampliore in turbinatum mucronem deſinit, quo longitu-

gitudo ad tractum, rotunditas ad robur amplitudinemque conferat. Situm eſt in medio thorace, ut vitalem ſpiritum & vivificum nectar ſalutaris inſtar ſyderis in omnia extrema diffundat. Quantitas ejus exigua, ut cæterorum vitæ principiorum quorum vis maxima in parva mole ſpectabilis emicat, carne dura eſt & ſolida, quò & illa inditi à Deo caloris flamma contineatur facilius, & neceſſaria perpetui motus agitatio diuturnior atque expeditior ſic in ſuos actus prorumpat. Caro hæc triplici villorum genere intertexta eſt, quorum recti à baſi ad mucronem extremum producti, in cordis diaſtole ſanguinem per venam cavam in dextrum ſinum, aërem per arteriam venoſam in ſiniſtrum trahunt; obliquorum miniſterio attractis perfruitur, qui vero tranſverſi orbiculatim cor ejusque ventriculos ambiunt, ſanguinem in pulmones, vitalem ſpiritum in aortam, & fumidos vapores in arteriam venoſam egerunt. Adſunt venæ nutritientes, & ingenitum calorem foventes arteriæ; totam baſin cordis inſtar coronæ cingunt, & ramulos hinc inde explicant. Totum denique corpus peculiari tunica cingitur & adipe copioſo tota fere cordis ſuperficies oblinitur, ne ob perennes motus conflagret & fatiſcat. *Aurium* e Cic. 2. de Nat. Deor. Eminent aures tegendi cauſa factæ tutandique ſenſus, & ne voces laberentur atque errarent, priusquam ſenſus ab his pulſus eſſet; Sed duros & quaſi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus; quod his naturis relatus amplificatur ſonus; quocirca & in fidibus teſtudine reſonatur; & ex tor-

tuoſis locis atque incluſis redduntur ampliores. Aurium item eſt artificioſum quoddam & admirabile judicium, quo judicatur & in vocis & in tibiarum ac nervorum cantibus, varietas ſonorum, intervalla, diſtinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuſcum, lene, aſperium, grave, acutum, flexibile, durum, quæ hominum ſolummodo auribus judicantur.

Locorum e. g. *Fontis Ammonis* e Curtii Lib. 4. Ammonis nemus in medio habet fontem, aquam ſolis vocant; ſub lucis ortum tepida manat: media die, dum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit, inclinato inveſperam caleſcit: media nocte fervida exæſtuat, quoque proprius nox vergit ad lucem, multum caloris decreſcit; donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tempore langueſcat. Id quod pro Deo colitur eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt; umbilico maxime ſimilis eſt, & habitus Smaragdo & gemmis coagmentatus; hunc cum reſponſum petitur, navigio aurato geſtant Sacerdotes cum multis argenteis pateris, ab utroque navigii latere pendentibus; ſequuntur matronæ virginesque inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Jovem credunt ut certum edat Oraculum. *Villa Juliani* prout ipſe eam is Imperator amico deſcripſit, cui donarat. Prædiolum exiguum quatuor agrorum, quod mihi à Theta in Bythinia datum eſt; tibi dono. Diſſitum eſt à mari ſtadiis non plus viginti, ut neque mercator, neque nauta nu-

nugator aut incurioſus huic loco ſit moleſtus. Neque tamen prorſus Nerei gratiis deſtituitur; ſed piſcem ſemper habet recentem, & palpitantem. Progreſſus autem ab ædibus in collem quendam eò Propontidem Inſulasque oculis perluſtrare poſſit, itemque urbem à generoſo & ſtrenuo Rege cognominatam. Non algis muſcoque inſiſtit; neque ubi periculum ſit ab ejectis in littus & arenam; ſed in hedera, cepisque & herba fragrante. Ibi amæniſſimum eſt, recubantem, cum librum inſpexeris, deinde viſum recreare, atque in naves & mare ſumma cum voluptate transmittere &c. Ibidem agriculturæ meæ parvum quoddam monumentum vinea brevis, quæ vinum ſuaviter fragrans atque dulce gignit; non expectans, donec à tempore Bachus aliquid accipiat. Videbis gratias, botrus tum in Vite, tum ſub torculari preſſus, roſas olet: Muſtum jam in cadis contentum, ita eſt, quaſi è nectare hauſtum ſit. *Corycii ſpecus* è Pomponio Mela lib. 1. cap. 13. Specus nomine Corycius grandi hiatu patens montem littori appoſitum & decem ſtadiorum clivo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc altè demiſſus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pubentibus undique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo aſpectu conſternat, ubi contemplari duravere, non ſatiet. Unus in eum deſcenſus eſt, auguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amænas umbras, & opaca ſylvæ quiddam agreſte reſonantis, rivis hinc atque illinc fluitantibus.

O 5 *Perſe-*

Perſonarum e. g. *Apronij* e lib. 3. Cic. in Verr. Fingite vobis, ſi poteſtis aliquem, qui in omnibus rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines eſſe poſſit. Is erat Apronius ille, qui ut ipſe, non ſolum vita; ſed etiam corpore atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus ſtupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat (ſc. Verres) tantamque habebat morum ſimilitudo ad concordiam & conjunctionem, ut Apronius, qui aliis inhumanus & barbarus, iſti uni commodus & diſertus videretur: ut quem omnes odiſſent, neque videre vellent, ſine eo eſſe iſte non poſſet: ut cum aliis ne conviviis quidem iisdem, quibus Apronius hic iisdem etiam poculis uteretur: poſtremò, ut Odor Apronij teterrimus oris & corporis, quem (ut ajunt) ne beſtiæ quidem ferre poſſent, uni iſti ſuavis & jucundus videretur. Iſte erat in tribunali proximus, in cubiculo ſocius, in conviviis dominus, actum maximè cum accumbente prætextato Prætoris filio in convivio ſaltare nudus cæperat. *Theodorici* è Sidon. Apollinaris Lib. 1. Ep. II. Si forma quæratur, corpore exacto, longiſſimis brevior: procerior eminentiorque mediocribus: capitis apex rotundus, in quo paululum à planitie frontis in verticem cæſaries refuga criſpatur, cervix non ſedet nervis, geminos orbes hiſpidus ſuperciliorum coronat arcus. Si verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo

pro-

prope pervenit. Aurium legulæ (ſicut mos gentis eſt) crinium ſuperjacentium flagellis operiuntur. Naſus venuſtiſſimè incurvus, labra ſubtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata, ſi caſu dentium ſeries ordinata promineat, niveum protinus repræſentat ipſa colorem. Pilis infra narium intra fruticantibus ſucciſo. Barba concavis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem, ſtirpitus tonſor aſſiduas genas ad uſque forcipibus evellit. Menti gutturis, colli non obeſi ſed ſucculenti, Lactea cutis, quæ propius inſpecta juvenili robore ſuffunditur. Namque hunc illi crebra colorem, non ira ſed verecundia facit. Teretes humeri, validi lacerti dura brachia, patulæ manus, recedente alvo pectus accedens. Aream dorſi humilior inter excrementa coſtarum ſpina diſcriminat. Tuberoſum eſt utroque muſculis prominentibus latus. In ſuccinctis regnat vigor ilibus. Carneum femur iternodia politum bene maſcula, maximus in minimè rugoſis genibus honor. Crura ſuris, ſulta turgentibus, & qui magna ſuſtentat membra pes modicus. *Meleagri* venatoris ap. Philoſtratum in eod. Calloſus eſt ac rigidus adoleſcens, & corpore toto vegetus, ſuræ bene compactæ, rectæ, non minus in ſtadiis ad currendum aptæ quam ad luctæ certamen cominus ſuſtinendum firmæ, femur junctum toris, genu inferiori tibiæ reſpondet, & talis coxendix, ut polliceri audeat, adoleſcentem apri impetu minimè ſubverſum iri, tum latera plena, & venter minimè obeſus, & pectora moderatè extuberantia & brachium articulis nexum, & humeri ad cervi-

ſtratus, veniebant equites Romani, idquod ex multis juratis auditis. Controverſiæ ſecretò deferebantur: paulò poſt palam decreta aufferebantur. Deinde ubi pauliſper in cubiculo pretio non æquitate jura deſcripſerat; veneri jam & libero reliquum tempus deberi arbitrabatur: quo loco mihi non prætermittenda videtur præclari Imperatoris egregia & ſingularis diligentia. Nam ſcitote eſſe oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus Prætores conſiſtere, & conventum agere ſolent: quo oppido non iſti ex aliqua familia non ignobili delecta mulier eſſet. Itaque nonnullæ ex eo numero in convivio adhibebantur palam: ſi quæ erant caſtiores, ad tempus veniebant, lucem & conventum vitabant. *Superbi* e Suetonii Caligula &c. Hic eſt qui Imperium orbis terrarum ſuo ſupercilio, ut Atlante cælum niti putat; dum incertos parentes habet in terris, originis ſuæ principuum repetit è cælo. Cernite, quo ſe jactet inceſſu, quibus nos intuetur oculis? qua voce, ſi modo loquitur omnes præ ſe contemnit. Animadvertiſtis, ut modò depictas gemmatosque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum procedat, modò ſericatus & cycladatus obambulet? modò in crepidis vel cothurnis, modò in ſpeculatoria caliga, nonnunquam ſocco muliebri prodeat, plerumque verò antea barba fulmen tenens ac fuſcinam, aut caduceum, Deorum inſignia ſeſe inſolentius oſtendet. Hic cæteros homines præ ſe mures, aut muſcas aut culices eſſe arbitratur: ſi quis eum leviſſimè pepulerit, ſi tetigerit, ſi minimo verbo ſe ſuſpicatus fuerit offen-

ritatem ora mercenaria procudentes, per proſtitutas fronres, vileſque latratus, quò velint aditus ſibi patefaciunt crebros, qui inter ſolicitudines Judicum, per multas difficultates inſatiabili nexu vincientes negotia, laborant, ut omnis quies litibus implicetur, & nodoſis quæſtionibus de induſtria judicia circumſcribant, quæ cum rectè procedunt delubra ſunt æquitatis, cum depravantur foveæ fallaces & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit quiſquam, non niſi per multa exilia luſtra ad uſque ipſas medullas exuſtus. Quartum eſt, poſtremum eſt genus impudens pervicax & indoctum, eorum, qui cum à literariis eruperint ludis, per angulos civitatum diſcurrunt, non cauſarum remediis congrua commentantes, fores divitum detetendo, cænarum ciborumque aucupantes delicias exquiſitas: qui cum ſemel umbraticis lucris, & inhiandæ pecuniæ undique ſe dediderint, litigare fruſtra quoſlibet innocentes hortantur, & ad defendendam cauſam admiſſi ſuſcepti nomen & vim negotij ſub ore diſceptatoris inter ipſos conflictuum articulos inſtruuntur circum locutionibus indigeſtis ita ſcatentes, ut colluvionis teterrimæ audire exiſtimes ululabili clamore Therſiten &c.

Affectuum e. g. *Amoris* ex Oppiano de Venat. lib. 2. & 4. de Piſcatu. Amor, ut ajunt Poëtæ ephebus eſt, glabellus corpore, vultu ſpecioſus, alis volucer, manu promtus, arcu ſagittis & facibus armatus. Quin potius affectus eſt animi in rem amatam præceps, vehemens, incenſus. Qui, Deus bone, quan-

quantus eſt ? quanta machinatur ? quantum imperat ? & quantum ludit ? Stat quidem terra firmiſſimis defixa radicibus , & tamen ab eo commovetur. Fluunt inquieta maria continuis lapſibus , & ab eo conſtringuntur. Altum eſt cœlum & ab eo ſuperatur. Profundi ſunt inferi , iidem ipſi ab eo penetrantur æthere, in aqua , in igne , in terris , infra terras, ubique ſui dominatus impreſſa veſtigia. Ipſi me hercule mortui ejus potentiam reverentur , ſceptrum adorant, formidant imperium. Ad ejus ignem vulcanus fumus eſt , debilia ſunt ſolis tela , fictilia Jovis fulmina. Crudeles enim habet ſagittas , acerbas , ardentes , igneas, prudentiæ corruptrices , furioſas, quæ ubi primum cor attigerunt , immedicabilem quandam tabem inſtillant, qua non modò homines : ſed & brutæ animantes totæ liqueſcunt. Quid cum ipſe improviſus inſtar procellæ labitur in pectus , & per oculorum feneſtras in cor hominum penetrat , velox, acer acutus , facibus undique collucens , lenem flammam medullis atque oſſibus inſpirat , quæ dolorum æſtus , & furores longius , inſerpens , ſecum trahit. Hac flos corporis & venuſtas coloris deperditur , pallor vultum obſidet , in maciem liquantur genæ. Hac cavantur oculi , tabeſcunt lumina , mens tota de ſede convulſa percellitur. *Ira* è Seneca lib. 2. de Ira cap. 35. Non eſt ullius affectus facies turbatior Pulcherrima ora fœdavit. Torvos vultus ex tranquilliſſimis reddidit. Liquit decor omnis iratos , & ſive amictus illius compoſitus ſit ad legem , attrahet veſtem , omnemque curam ſui effundet. Si capillorum cura

vel

vel arte jacentium non informis eſt habitus, cum animo inhorreſcunt, tument venæ, concutitur crebro ſpiritu pectus, rabida vocis eruptio colla diſtendit. Tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intra putas eſſe animum, cujus extra imago tam fœda eſt? Quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior ſpiritus eſt, intenſior impetus, rupturus ſe, niſi eruperit? Quales ſunt hoſtium vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium aſpectus: qualia Poëtæ inferna monſtra finxere, ſuccincta ſerpentibus & igneo flatu; quales ad bella excitanda, diſcordiamque in populos dividendam, pacemque lacerandam teterrimæ inferum exerunt Furiæ: talem nobis iram figuremus. Flamma lumina ardentia, ſibilo mugitu gemitu & ſtridore, & ſi quæ his inviſior vox eſt perſtrepentem, tela in manu utraque jacientem. Neque enim illi regere ſe curæ eſt, torvam cruentam & cicatroſam & verberibus ſuis lividam, inceſſibus veſanis, offuſam multa caligine, incurſantem, vaſtantem fugantemq; & omnium odio laborantem, ſui maxime; ſi aliter nocere non poſſit, terras, maria, cœlum ruere cupientem, infeſtam pariter inviſamque. *Lætitiæ* è Plinii Panegyrico. Ac primum qui dies ille, quo expectatus deſideratusque urbem tuam ingreſſus es? Jam hoc ipſum quod ingreſſus es, quàm mirum lætumque? Nam priores invehi & importari ſolebant; non dico quadrijugo curru & albentibus equis: Sed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu ſola corporis proceritate elatior aliis & excelſior, non de

tuoſis locis atque incluſis redduntur ampliores. Aurium item eſt artificioſum quoddam & admirabile judicium, quo judicatur & in vocis & in tibiarum ac nervorum cantibus, varietas ſonorum, intervalla, diſtinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuſcum, lene, aſperium, grave, acutum, flexibile, durum, quæ hominum ſolummodo auribus judicantur.

Locorum e. g. *Fontis Ammonis* e Curtii Lib. 4. Ammonis nemus in medio habet fontem, aquam ſolis vocant; ſub lucis ortum tepida manat: media die, dum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit, inclinato inveſperam caleſcit: media nocte fervida exæſtuat, quoque proprius nox vergit ad lucem, multum caloris decreſcit; donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tempore langueſcat. Id quod pro Deo colitur eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt; umbilico maxime ſimilis eſt, & habitus Smaragdo & gemmis coagmentatus; hunc cum reſponſum petitur, navigio aurato geſtant Sacerdotes cum multis argenteis pateris, ab utroque navigii latere pendentibus; ſequuntur matronæ virginesque inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Jovem credunt ut certum edat Oraculum. *Villæ Juliani* prout ipſe eam is Imperator amico deſcripſit, cui donarat. Prædiolum exiguum quatuor agrorum, quod mihi à Theta in Bythinia datum eſt; tibi dono. Diſſitum eſt à mari ſtadiis non plus viginti, ut neque mercator, neque nauta nu-

nugator aut incurioſus huic loco ſit moleſtus. Neque tamen prorſus Nerei gratiis deſtituitur: ſed piſcem ſemper habet recentem, & palpitantem. Progreſſus autem ab ædibus in collem quendam eò Propontidem Inſulaſque oculis perluſtrare poſſit, itemque urbem à generoſo & ſtrenuo Rege cognominatam. Non algis muſcoque inſiſtit; neque ubi periculum ſit ab ejectis in littus & arenam; ſed in hedera, cepiſque & herba fragrante. Ibi amæniſſimum eſt, recubantem, cum librum inſpexeris, deinde viſum recreare, atque in naves & mare ſumma cum voluptate transmittere &c. Ibidem agriculturæ meæ parvum quoddam monumentum vinea brevis, quæ vinum ſuaviter fragrans atque dulce gignit; non expectans, donec à tempore Bachus aliquid accipiat. Videbis gratias, botrus tum in Vite, tum ſub torculari preſſus, roſas olet: Muſtum jam in cadis contentum, ita eſt, quaſi è nectare hauſtum ſit. *Corycii Specus* è Pomponio Mela lib. 1. cap. 13. Specus nomine Corycius grandi hiatu patens montem littori appoſitum & decem ſtadiorum clivo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc altè demiſſus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pubentibus undique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo aſpectu conſternat, ubi contemplari duravere, non ſatiet. Unus in eum deſcenſus eſt, auguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amænas umbras, & opaca ſylvæ quiddam agreſte reſonantis, rivis hinc atque illinc fluitantibus.

Perſonarum e. g. *Apronij* e lib. 3. Cic. in Verr. Fingite vobis, ſi poteſtis aliquem, qui in omnibus rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines eſſe poſſit. Is erat Apronius ille, qui ut ipſe, non ſolum vita; ſed etiam corpore atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus ſtupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat (ſc. Verres) tantamque habebat morum ſimilitudo ad concordiam & conjunctionem, ut Apronius, qui aliis inhumanus & barbarus, iſti uni commodus & diſertus videretur: ut quem omnes odiſſent, neque videre vellent, ſine eo eſſe iſte non poſſet: ut cum aliis ne conviviis quidem iisdem, quibus Apronius hic iiſdem etiam poculis uteretur: poſtremò, ut Odor Apronij teterrimus oris & corporis, quem (ut ajunt) ne beſtiæ quidem ferre poſſent, uni iſti ſuavis & jucundus videretur. Iſte erat in tribunali proximus, in cubiculo ſocius, in conviviis dominus, actum maximè cum accumbente prætextato Prætoris filio in convivio ſaltare nudus cæperat. *Theodorici* è Sidon. Apollinaris Lib. 1. Ep. II. Si forma quæratur, corpore exacto, longiſſimis brevior: procerior eminentiorque mediocribus: capitis apex rotundus, in quo paululum à planitie frontis in verticem cæſaries refuga criſpatur, cervix non ſedet nervis, geminos orbes hiſpidus ſuperciliorum coronat arcus. Si verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo

pro-

prope pervenit. Aurium legulæ (ſicut mos gentis eſt) crinium ſuperjacentium flagellis operiuntur. Naſus venuſtiſſimè incurvus, labra ſubtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata, ſi caſu dentium ſeries ordinata promineat, niveum protinus repræſentat ipſa colorem. Pilis infra narium intra fruticantibus ſucciſo. Barba concavis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem, ſtirpitus tonſor aſſiduas genas ad uſque forcipibus evellit. Menti gutturis, colli non obeſi ſed ſucculenti, Lactea cutis, quæ propius inſpecta juvenili robore ſuffunditur. Namque hunc illi crebra colorem, non ira ſed verecundia facit. Teretes humeri, validi lacerti dura brachia, patulæ manus, recedente alvo pectus accedens. Aream dorſi humilior inter excrementa coſtarum ſpina diſcriminat. Tuberoſum eſt utroque muſculis prominentibus latus. In ſuccinctis regnat vigor ilibus. Carneum femur iternodia politum bene maſcula, maximus in minimè rugoſis genibus honor. Crura ſuris, ſulta turgentibus, & qui magna ſuſtentat membra pes modicus. *Meleagri* venatoris ap. Philoſtratum in eod. Calloſus eſt ac rigidus adoleſcens, & corpore toto vegetus, ſuræ bene compactæ, rectæ, non minus in ſtadiis ad currendum aptæ quam ad luctæ certamen cominus ſuſtinendum firmæ, femur junctum toris, genu inferiori tibiæ reſpondet, & talis coxendix, ut polliceri audeat, adoleſcentem apri impetu minimè ſubverſum iri, tum latera plena, & venter minimè obeſus, & pectora moderatè extuberantia & brachium articulis nexum, & humeri ad cervi-

ſtratus, veniebant equites Romani, idquod ex multis juratis auditis. Controverſiæ ſecretò deferebantur: paulò poſt palam decreta aufferebantur. Deinde ubi pauliſper in cubiculo pretio non æquitate jura deſcripſerat; veneri jam & libero reliquum tempus deberi arbitrabatur: quo loco mihi non prætermittenda videtur præclari Imperatoris egregia & ſingularis diligentia. Nam ſcitote eſſe oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus Prætores conſiſtere, & conventum agere ſolent: quo oppido non iſti ex aliqua familia non ignobili delecta mulier eſſet. Itaque nonnullæ ex eo numero in convivio adhibebantur palam: ſi quæ erant caſtiores, ad tempus veniebant, lucem & conventum vitabant. *Superbiæ* Suetonii Caligula &c. Hic eſt qui Imperium orbis terrarum ſuo ſupercilio, ut Atlante cælum niti putat; dum incertos parentes habet in terris, originis ſuæ principuum repetit è cælo. Cernite, quo ſe jactet inceſſu, quibus nos intuetur oculis? qua voce, ſi modo loquitur omnes præ ſe contemnit. Animadvertiſtis, ut modò depictas gemmatoſque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum procedat, modò ſericatus & cycladatus obambulet? modò in crepidis vel cothurnis, modò in ſpeculatoria caliga, nonnunquam ſocco muliebri prodeat, plerumque verò antea barba fulmen tenens ac fuſcinam, aut caduceum, Deorum inſignia ſeſe inſolentius oſtendet. Hic cæteros homines præ ſe mures, aut muſcas aut culices eſſe arbitratur: ſi quis eum leviſſimè pepulerit, ſi tetigerit, ſi minimo verbo ſe ſuſpicatus fuerit offen-

ritatem ora mercenaria procudentes, per proſtitutas frontes, vileſque latratus, quò velint aditus ſibi patefaciunt crebros, qui inter ſolicitudines Judicum, per multas difficultates inſatiabili nexu vincientes negotia, laborant, ut omnis quies litibus implicetur, & nodoſis quæſtionibus de induſtria judicia circumſcribant, quæ cum rectè procedunt delubra ſunt æquitatis, cum depravantur foveæ fallaces & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit quiſquam, non niſi per multa exilia luſtra ad uſque ipſas medullas exuſtus. Quartum eſt, poſtremum eſt genus impudens pervicax & indoctum, eorum, qui cum à literariis eruperint ludis, per angulos civitatum diſcurrunt, non cauſarum remediis congrua commentantes, fores divitum detetendo, cænarum ciborumque aucupantes delicias exquiſitas: qui cum ſemel umbraticis lucris, & inhiandæ pecuniæ undique ſe dediderint, litigare fruſtra quoslibet innocentes hortantur, & ad defendendam cauſam admiſſi ſuſcepti nomen & vim negotij ſub ore diſceptatoris inter ipſos conflictuum articulos inſtruuntur circum locutionibus indigeſtis ita ſcatentes, ut colluvionis teterrimæ audire exiſtimes ululabili clamore Therſiten &c.

Affectuum e. g. *Amoris* ex Oppiano de Venat. lib. 2. & 4. de Piſcatu. Amor, ut ajunt Poëtæ ephebus eſt, glabellus corpore, vultu ſpecioſus, alis volucer, manu promtus, arcu ſagittis & facibus armatus. Quin potius affectus eſt animi in rem amatam præceps, vehemens, incenſus. Qui, Deus bone, quan-

vel arte jacentium non informis eſt habitus, cum animo inhorreſcunt, tument venæ, concutitur crebro ſpiritu pectus, rabida vocis eruptio colla diſtendit. Tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intra putas eſſe animum, cujus extra imago tam fœda eſt? Quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior ſpiritus eſt, intenſior impetus, rupturus ſe, niſi eruperit? Quales ſunt hoſtium vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium aſpectus: qualia Poëtæ inferna monſtra finxere, ſuccincta ſerpentibus & igneo flatu: quales ad bella excitanda, diſcordiamque in populos dividendam, pacemque lacerandam teterrimæ inferum exerunt Furiæ: talem nobis iram figuremus. Flamma lumina ardentia, ſibilo mugitu gemitu & ſtridore, & ſi quæ his inviſior vox eſt perſtrepentem, tela in manu utraque jacientem. Neque enim illi regere ſe curæ eſt, torvam cruentam & cicatroſam & verberibus ſuis lividam, inceſſibus veſanis, offuſam multa caligine, incurſantem, vaſtantem fugantemq; & omnium odio laborantem, ſui maxime; ſi aliter nocere non poſſit, terras, maria, cœlum ruere cupientem, infeſtam pariter inviſamque. *Lætitiæ* è Plinii Panegyrico. Ac primum qui dies ille, quo exſpectatus deſideratusque urbem tuam ingreſſus es? Jam hoc ipſum quod ingreſſus es, quàm mirum lætumque? Nam priores invehi & importari ſolebant; non dico quadrijugo curru & albentibus equis: Sed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu ſola corporis proceritate elatior aliis & excelſior, non de

 pati-

patientia noſtra triumphum : ſed de ſuperbia Principum exiſti ; Ergo non ætas quenquam , non valetudo , non ſexus retardavit , quò minus oculos inſolito ſpectaculo impleres. Te parvuli noſcere , oſculari juvenes , mirari ſenes. Ægri quoque neglecto medentium imperio ad conſpectum tui , quaſi ad ſalutem ſanitatemque prorepere. Inde alii ſe ſatis vixiſſe te viſo , te recepto : alii nunc magis eſſe vivendum prædicabant. Fæminas etiam tunc fæcunditatis ſuæ maxima Voluptas ſubiit , cum cernerent cui Principi cives , cui Imperatori milites peperiſſent. Videres referta tecta ac laborantia , ac ne eum quidem vacantem locum , qui non niſi ſuſpenſum & inſtabile veſtigium caperet : oppletas undique vias , anguſtumque tramitem relictum tibi : alacrem hinc atque inde populum , ubique par gaudium paremque clamorem. Tam æqualis ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta, quam omnibus veniſti : quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo crevit & prope in ſingulos gradus adaucta eſt. Gratum erat cunctis , quod Senatum oſculo exciperes , ut dimiſſus oſculo fueras. Gratum quod equeſtris , ordinis decora honore nominum ſine monitore ſignares. Gratum , quod tantummodo ultro clientibus ſalutaris , quaſdam familiaritate notas adderes. Gratius tamen, quod ſenſim & placidè , & quantum expectantium turba pateretur, incederes : quod occurſantium populus , te quoque , te immò maximè adſtaret : quod primo ſtatim die latus tuum crederes omnibus. Neque enim ſtipatus ſatellitum manu : ſed circumfuſus undique, nunc

Sena-

Senatus, nunc equeſtris ordinis flore, prout alterum frequentiæ genus invaluiſſet, ſilentes quietoſque lictores tuos ſubſequebare. Nam milites nihil à plebe habitu, tranquillitate modeſtia differebant. Ubi verò cæpiſti Capitolium aſcendere, quàm læta omnibus adoptionis tuæ recordatio? quàm peculiare gaudium illorum, qui te primi eodem loco ſalutaverant Imperatorem? quin etiam Deum ipſum tunc præcipuè voluptatem operis ſui percepiſſe crediderim &c.

Actionum e. g. *Monomachiæ Davidis & Goliathi* è Baſilio Seleuciæ. Ac jam præſens aderat Goliath, ingens robore, gravis aſpectu, immanæ ſpirans neque inceſſu diſpar, altum vociferans & vociferationem aſpectu comprobans; qui cum inſtar montis extaret, hoſtem ante conflictum cogebat pugnam detrectare: ſcuto, lorica, galea, reſplendeſcens. Qua utebatur haſta, erat pro modo corporis, tantoque haſta communis modum ſuperabat, quantò ſupra humanæ naturæ terminos ille ſe efferebat. Alienigenarum exercitu in orbem & ſtationem compoſito, Iſraelitarum optimas ad ſingulare certamen evocabat, victorum ſervitute in prœmium victori promiſſa. Terribilis aſpectu ac voce terribilior terrorem terrore geminabat, lateque ſpargebat. Saul interim in tumultu erat: Iſrael in expectatione ſervitii, terror ipſe vires refrænabat, hoſtilis aſpectus Iſraëlitas vel armatos de ſtatione deturbabat: minæ intempeſtivæ animos percellebant, ante viri mente, quam corpore conſternabantur &c. Pugnæ provocationem David ad ſe rapit, & oratione conſauciatum Regis animum

 præ-

præſanat &c. Oratione perſuadetur Saul & remiſſo timore propriis armis Davidem loricat, regioque belli ornamento exuto Davidem circumdat, ſimulque ipſe Davidi regiam publicitus adſcribit poteſtatem &c. Verum enim verò, cum David regiè juxta ac bellicè eſſet armatus, declarat Deus, ut nihil opus ſit armis Deo bellum adjuvante. Quare arma tanquam victoriæ impedimenta David exuit, recuſat thoracem, galeam abjicit, ſcutum deponit, manum haſta liberat, bellicam ſtolam excutit, ſtola paſtoritia & virga ac pera obarmatur, quibus eum rebus ad regnum promovit gratia &c. Goliath videns puerum incenſum pugnæ amore oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli ſtudiis ſchema in riſum effuſus eſt ſpectaculum ludicrum dicens armaturam hujuſcemodi. Carebat enim oculo fidei, quo auxiliatorem inconſpicuum cerneret, ac certè dæmonum opera factus elatior ; ſuperbi loqventia perterrefaciebat, canumque ventres pro ſepulchro promittebat. David oſtentans illi de cælo adverſarium, Tu quidem dixit contemtim me intueris, ò bellator, quod ob oculos eſt. & rebus quas vides pugnæ ſpes metiris : ego verò Deum tibi adverſarium oppono. Cognoſces Deum cæca dextera proſpere bellantem. Non hiſce meis manibus ſed divinis obarmatus ſum, tibique cum vita caput adimam. Neque enim te ignorare par eſt, quæ poſt mortem ſuſtinebis, infligam tibi pænam morte diuturniorem &c. Miſſo igitur lapide galea rumpebatur, ſatique celeritate ſenſu mortis Goliath caruit. Sternitur mortuus

Go-

Goliath, ſternitur alienigenarum turris, Hoc fidei ſpolium eſt, trophæum gratiæ auxilii cæleſtis judicium, blasphemiæ coërcitio, columna index extinctæ audaciæ. *Convivii* ex Ambroſii libro de Helia & Jejunio cap. 13. Igitur hinc adoleſcentes lubricos, ad convivia præliatorum veniamus. Inter arma prandendum eſt. Stipatores hi ſunt bellici, qui miniſtrant, ſuccincti auro, & Babylonicis lumbos ſuffulti baltheis: aureis torquibus nitent colla, infantium aureis bullis zonam tegunt, aureis thecis cultros includunt ſuos, quibus dimicent. Cum epulis dividendis aſſiſtunt pueri coma nitentes, ex gente barbarica ad hos uſus electi per ſingularum diſtincti ætatum vices. Cernas poculorum diverſorum ordines, aciem ordinatam putes, vaſa expoſita aurea & argentea pompam arbitreris cornu in medio vini plenum, non epularis: ſed præliaris inſtrumentum buccinæ, quod diſcumbentes in certamen accendat. Primo minoribus poculis quaſi velitaris pugna præluditur. Verum hæc non ſobrietatis eſt ſpecies: ſed bibendi diſciplina. Etenim ut Tragædiarum actores primo ſenſim vocem excitant, donec vivæ vocis aperiant iter, ut poſtea magnis poſſint clamoribus perſonare: ita iſti quoque in principio præluſoriis ſe exercent poculis, ut irritent ſitim, ne forte reſtringuant eam, & ſatiati poſtea bibere non poſſint. Ergo ubi recalare cæperint, poſſunt majoribus poculis, fervor inardeſcit, arctius cibus ſiti exæſtuat, & ubi imminui vaſa cœperint, potu meraciore reparantur. Certant pocula cum verculis, & inter moras ſæpe geminan-

tur. Deinde procedente potu longius contentiones diverſæ & magna certamina, quis bibendo præcellat. Nota gravis, ſi quis ſe excuſet, ſi quis temperandum forte vinum putet. Et hæc donec ad menſas perveniatur ſecundas. At ubi conſummatæ fuerint epulæ, putes jam eſſe ſurgendum. Tunc de integro potum inſtaurant ſuum, & cum conſummaverint, tunc inchoare ſe dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quaſi inſtrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, menſura proponitur, certatur ſub judice, ſub lege decernitur Agonithetos. Hic furor eſt ſtipendium debilitatis, victoriæ præmium culpa pendet anceps diu & dubius belli eventus. Furor enim illic eſt præliaris cedunt pincernarum manus, vina fundentium, & coquorum labores calida ſubminiſtrantium. Cedunt qui menſuras ipſas bonas ſuper effluentes diligenti librant examine, nequid effundant, non cedunt bibentes. Sola illa ſunt ſine excuſatione certamina. In bello ſi quis ſe inferiorem viderit arma convertit & meretur veniam. Hic ſi quis calicem convertat, urgetur ad potum &c. *Ludorum Scenicorum* è Cypriano Lib. 1. ep. 2. Converte hinc vultus ad diverſa ſpectacula, non minus pœnitenda contagia in theatris quoque conſpicies, quod tibi & dolori ſit & pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere: de parricidiis & inceſtis horror antiquus expreſſa ad imaginem Veritatis actione replicatur, ne ſeculis tranſeuntibus exoleſcat. Quod aliquando commiſſum eſt, admonetur omnis ætas auditu fieri poſſe, quod factum eſt:

nun-

nunquam ævi ſermo delicta moriuntur. Nunquam temporibus crimen obruitur: nunquam ſcelus oblivione ſepelitur: exempla fiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt; Tum delectat in minus turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit, recognoſcere vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publica autoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat: impudica de ſpectaculo revertitur. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? Videre contra fœdus juſq; naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Eviirantur mares honor omnis & vigor ſexus enervati corporis dedecore mollitur: plusque illic placet, quisquis virum in fœminam magis fregerit: in laudem creſcit, ex crimine, & peritior quò turpior judicatur. Spectatur hîc proh nefas! & libenter ſpectatur. Quid non poſſit ſuadere, qui talis eſt? movet ſenſus, mulcet affectus expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem. Nec deeſt probri blandientis autoritas, ut auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam venerem, adulterum Martem, Jovem illum ſuum non magis regno, quàm vitiis principem, interrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem: nunc in plumas ſ blotis albeſcere: nunc aureo imbre defluere; nunc inſubeſcentium puerorum raptus miniſtris avibus proſilire. Quære nunc an poſſit eſſe qui ſpectat, integer & pudicus? &c. His plurium generum deſcriptionibus non inutile fu-

turum judicavi, ſi exemplum è Joh. Micrælii Lib. I. de cop. verb. & Rer. cap. 6. & 18. ſubnecterem, quo is propoſitionem hanc: *Deus homines multis affecit beneficiis* per pleraſque has formas deduxit.

1. *Per Periphraſin Etymologicam ratione ſubjecti:* Ille, qui ut Deus vocatur, ſic omnibus dat eſſe, omnia novit, omnes illuminat, omnibus motum impertit, ab omnibus timendus eſt & omnia ſolus efficit: ille, inquam, homines multis beneficiis affecit: 2. *ratione prædicati.* Deus, ut ab initio limum terræ in ſublimem formam effiguravit, eidemque ſpiraculum vitæ mentemque divinam qua Dei imaginem exprimeret, inſpiravit, ita pulverem illum & cinerem nondum deſinit fovere.

2. *Per Periphraſin notationis a ratione ſubjecti:* Soſpitator ille & genitor omnium, totiusque rerum naturæ cauſa & ratio & origo initialis, per quem, ut Orpheus canit, vireſcunt omnia, quique ſphæram totam cithara reſonante contemperat, homines magis affecit beneficiis. 2. *ratione prædicati:* Deus miſeros nos ex felici beatitudinis arce in profundum peccatorum barathrum præcipitatos reſpicit, & filii unigeniti in carnem miſſione multisque aliis beneficiis, quæ nec lingua ediſſerit, nec mens capit, dignatus eſt.

3. *Per Periphraſin definitivam:* Spiritus ille æternus, infinitus, omnipotens, Deus pater, filius & Spiritus S. cumulatis beneficiis animal illud rationale, quod hominem vocamus, proſecutus eſt.

1. Per πραγματογραφίαν. Inviſibilis Deus, lucem

nem Inhabitans inacceſſibilem cum neminem inveniret in quo tanquam in imagine conſpiceretur juſſit ex nihilo omnia ex tenebris lucem prodire: terram ornavit floribus & animalibus: aquas implevit piſcibus: cœlum diſtinxit ſtellis & luminaribus, & tandem creavit hominem. Creavit illum eleganti ex limo terræ corpore & nihil ſentienti ſpiraculum vitæ inſpiravit: cumque ſerpentis aſtu in perniciem præſentiſſimam traheretur, labenti manum ſuppoſuit, eumque (ecce Dei φιλανθρωπίαν) per filii mortem è morte redemit: nec dum beneficia denegat, ſed ſub umbra alarum eum cuſtodit tandemque ad ſe, ut perpetuò vivat, traducturus eſt.

2. προσωπογραφίαν Deus ille, ut Apulejus loquitur, toties rerum naturæ cauſa & ratio & origo initialis, ſummus animorum genitor, æternus animalium ſoſpitator, aſſiduus mundi ſui opifex, & ut autor libri de mundi cap. 6. inquit potentia valendiſſimus; decore formoſiſſimus, vita immortalis, virtute præſtantiſſimus homines mortali corpore & immortali animo conſtantes, magnis affecit beneficiis.

3. τοπογραφίαν viden, domum illam pulcherrimam, nos undiquaque concludentem, ignibus fulgentiſſimus ſolis, Lunæ & reliquorum ſiderum artificioſe diſtinctam? Qui in ea habitat, multis nos affecit beneficiis, qui terram inhabitamus animantibus quidem frequentatam, ſilvarum viriditate veſtitam fontium & fluminum perennitate recreatam, ſed ad domum illam cœleſtem puncti inſtar ſubſidentem.

4. χρονογραφίαν. Nondum diem clauſerant no-

ctis tenebræ, cum hominem in paradiſo lapſum, vox Dei evangelica recrearet, & promiſſione iſtius ſeminis erigeret, quod caput ſerpentis eſſet contriturum. Secula autem deinde per quatuor annorum millia volvebantur, donec Auguſto ante mille ſex centos viginti ſex annos imperante, regno Iſraelis jam ſub alieno jugo redacto, filius Dei è virgine natus, redemtor, auxiliator, ſervator & verus Siloh adeſſet, & beneficia à Deo hominibus promiſſa ſuo ſanguine promerentur.

5. *Εὐποιΐαν ab amore Dei deſumtam.* Quid à patre in filios proficiſci poſſet amplius? ſi nobis vitæ deſunt neceſſaria, nec rogatus nulloque ἀντιλύτρῳ expectato, etiam ſuperflua ſuppeditat. Si premimur ſuppoſita manu nos erigit. Si laſcivimus, à cupiditatum æſtu ſeductos, leni & paterno caſtigat affectu, ut non pereamus ſed emendemur. Beneficus eſt Deus blandus eſt, eſt longanimis & omnibus gratiam exhibet largiſſimam.

6. *παθοποικὸν ab ira & miſericordia Dei deſumtam* omnibus quidem peccatoribus indignatur Deus Zelotes, eosque tanquam ignis conſumens, qui & terram cum ſemine ſuo & montium fundamenta comburere ſolet Deut. 32. abſorbet. Verum enim vero cum eos, tanquam Adama & Seboim, perdere poſſit, viſcera miſericordiæ hunc ejus furorem prorſus ſedant, ut indignationi frenum injiciat & clementi oculo perditum humanum genus dignetur, eaque illi beneficia exhibeat, quæ omnem ſuperant intellectum.

7. γνωα

1. γενεαλογίαν. Quo nihil prius eſt, nihil poſterius erit, Deus Opt. Max. initio & fine carens, cum multa alia beneficia exhibuit hominibus ex Adamo, quem Deus ex limo terræ formavit, ortum trahentibus, tum filium ſuum ex proſapia Davidis, Abrahami, ipſiusque adeo Adami primitus lapſi oriundum, ex virgine Maria natam, in ſui populi redemtionem naſci voluit.

PUNCTUM POSTERIUS.

DE AMPLIFICATIONE PER FIGURAS SENTENTIARUM.

Latius quoque propoſitiones Rhetoricorum more per figuras deduci ſolent. Inter eas primam nunc liceat nominare *Interrogationem* quæ maxime locum habet in re minime dubia e. g. Cic. pro Roſc. Comædo n. 13. Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præſente? quis ſpoſpondiſſe me dicit? nemo. *Uſus* ejus præcipuè quando *fortiter inſtamus* adverſario. Sic idem pro Planc. n. 48. Eſtne hæc vera contentio placetne ſic agi? non poſſum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propius accedere. Quid taces? quid diſſimulas? quid tergiverſaris? etiam atque etiam juſto atque urgeo, inſector poſco atque ad eo flagito crimen. Sic quoque 7. Verr. n. 146. Quid eſt? quid ad hæc cogitas reſpondere? num mentiri me, num fingere aliquid? num augere cri-

crimen ? num quid horum dicere iſtis defenſoribus tuis audes ? Hoc pacto vocem Dei vindicis ad fratricidam Cainam effingit Franc. Pomey. Progymn. 3. pag. 213. Quo, quo te agis, ſcelerate ? Ex quo loco te proripis ? Cur ſolus ? Cur ſine fratre ? Cur non reducis, quem abduxeras ? Ubi ille eſt ? Quo eum loco reliquiſti ? Sceleſte, non reſpondes ? nihil dicis ? non loqueris ? Unde triſte hoc, inuſitatumque ſilentium ? Unde hic oris pallor, & efferata frons : & capitis jactatio, totiusque agitatio corporis ? Dic, inquam barbare, quod concepiſti nefas ? quod in te admiſiſti facinus ? quo te impiaſti flagitio ? quid ſibi vult, in tuas veſtes, hic reſperſus cruor ? quid hæc manuum trepidatio ? quid clamor ille tacitus, quem exaudio ? Clamat enim, hauſtus terra ſanguis, quem effudiſti : An non tui, ſanguis eſt fratris, quem per inauditum ſcelus modo trucidaſti.

Sæpe quoque *interrogationi ſubjicitur reſponſio* e. g. Cic. pro Quinct. n. 43. Quid igitur pugnas ? an quod ſæpe multis vocis dixiſti, ne in civitate ſit ? ne locum ſuum quem adhuc honeſtiſſime defendit, obtineat ? ne numeretur inter vivos ? decernat de vita & ornamentis ſuis omnibus ? apud judicem cauſam priore loco dicat ? & eam cum orarit, tum denique vocem accuſatoris audiat ? Quid ? hoc quò pertinet ? ut ocyus ad jus tuum pervenias ? at ſi id velles jam pridem actum eſſe poterat. Ut honeſtiore loco conflictare ? at ſine ſummo ſcelere Quinctium propinquum tuum jugulare non potes. : Ut facilius judi-

judicium ſit? At neque C. Aquilius de capite alterius libenter judicat. Quid à nobis autem C. Aquili refertur? pecuniam petit? negamus deberi. Judicium fiat ſtatim? non recuſamus. Ambroſ. quoque ad virginem devotam, quam *dehortatur* à conſortio mundi cap. 1. Quid tibi cum mortalibus? quid in illis deſideras ac requiris? caſtimoniam? quam non habent? quid? fidem? quam non inveniunt, doctrinam? quam non ſequuntur; niſi ſeculi ſapientiam. Jejunium? quod oderunt. Abſtinentiam? quam judicant, humilitatem? quam opprimunt, ſobrietatem? quam negligunt, ſinceram mentem? quam non habent, verecundiam? quam à ſe projiciunt. Pauperes viciſſim à cupiditate divitiar. lib. 6, cap. 8. Fortè doles, quod nullum tibi auratorum lychnorum lumen refulgeat? Sed multo illuſtrior circumfuſo tibi lumine luna reſplendet. De hyeme forſitan quereris, quod tibi nulla hypocauſta anhelantibus ignibus vaporentur? Sed habes Solis calorem, qui tibi orbem terrarum temperet, & hyberno te defendat à frigore. An illos beatos putas, qui ſervitiorum ſequentium ſtipantur catervis? Sed qui alienos pedes requirunt, ſuis uti neſciunt. Miraris quod abundant auro & pecuniis. Quantis abundant, vides; quantis egeant, non vides. Sed eburneis lectis accumbere prætioſum putas? & non conſideras pretioſiorem eſſe terram, quæ pauperi toros graminum ſternit. Eadem ratione Minutius Felix ad notitiam Dei *hortatur* gentes: Abſque notitia Dei quæ poteſt eſſe ſolida felicitas? cum ſit ſomnio ſimilis; antequam

quam tenetur, elabitur. Rex es? tam times, quam timeris, & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es. Dives es? Sed fortunæ malè creditur, & magno viatico breve, iter non inſtruitur, ſed oneratur. Faſcibus & purpura gloriaris? vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente ſordeſcere. Nobilitate generoſus es? parentes duos laudas? omnes tamen pari ſorte naſcimur: ſola virtute diſtinguimur. Bernhardus quoque ad dilectionem mutuam Epiſt, 42. Quod abſque charitate bonum ſuſcipitur? fides? ſed nec ſi montes transferat. Scientia? ſed nec illa quidem, quæ lingua loquitur Angelorum. Martyrium? nec abſque illa quodlibet bonum ſuſcipitur, nec cum illa quamlibet exiguum reſpuitur. Eadem ratione Polybium *ſolatur* Seneca, quod demortuis ea jam ſit felicitas, ut omnem ſuperarit invidiam. Quid illi faceres? pecuniam eriperes? nunquam illi obnoxius fuit, & ab ea nullum majorem fructum, quam contemtum petiit. Eriperes illi amicos? ſciebas tam amabilem eſſe, ut facilè in locum amiſſorum poſſet alios ſubſtituere. Eriperes illi bonam opinionem? Solidior hæc eſt apud eum, quàm ut à te quoque ipſa concuti poſſet. Eriperes bonam valetudinem? Sciebas animum ejus liberalibus diſciplinis, quibus non innutritus tantum, ſed innatus eſt, ſic eſſe fundatum, ut ſupra omnes corporis dolores emineret. Eriperes ſpiritum? quantulum nocuiſſes? Longiſſimum illi ævum ingenii fama promiſit. Id egit ipſe, ut meliore ſui parte duraret & compoſitis eloquentiæ præclaris ope-

operibus à mortalitate ſe vindicaret. Eleganter Maximus Tyrius diſſert. 39. *docet*, Rectè feciſſe Socratem, quod accuſatus non reſponderit. Quare verò Athenienſibus illis cauſam ſuam probare conatus eſſet Socrates (Tanquam judicibus? At injuſti erant. Tanquam viris bonis? at erant improbi. Tanquam benevolis? at ſuccenſebant Socrati. Tanquam ſimilibus? At erant diſſimillimi. Tanquam melioribus? at deteriores erant. Tanquam deterioribus? At quando unquam deteriori cauſam probare conatus eſt melior? Quid autem pro ſe attuliſſet? Philoſophum ſe negaſſet? Mentitus eſſet, Philoſophum ſe confeſſus eſſet? Hoc ipſum erat, quod ſuccenſebant. Viciſſim Seneca Epiſt. 16. Oratori eadem dicendi forma probat omnes ingenii facultates neceſſarias eſſe. Quid enim eſt (inquit) ex omnibus ingenii facultatibus, quod perfectum oratorem efficere poſſit, ſi à reliquis partibus dividatur? An felicitas phantaſiæ? Hæc quidem in verborum fabrica feliciter laborabit: ſed ſi abſit intelligendi celeritas, quid eſt, quàm inanis voluptas verborum, nulla ſubjecta ſententia. An igitur expedita vis intelligendi? ſuppeditabit illa quidem uberrimam dicendi copiam: ſed quæ in indigeſtam molem exereſcat, actu tumultuoſo quodam rerum inter ſe pugnantium concurſu fatiscat, niſi prudentia diſpenſetur. Fortè prudentia temperabit? Illa ſanè totum Orationis corpus, & quid quemque deceat, quo tempore loco, ratione dicendum ſit, demonſtrabit: ſed cum erit agendum ad populum, cum ſe auribus, cum oculis probare vo-

les

let Orator, quid ab iis omnibus adjumenti capiet, ſi vel memoria vacillet, vel pravitate corporis in oculos Auditorum incurrat? Quid ergo? Non poſſum diſſimulare mentem meam, omnes ita me Deus amet, ingenii virtutes conſummata dicendi facultas exhaurit. Eadem ratione in *Eloquentiæ laudes* excurrit Franciſcus Pomey Progymn. 3. pag. 235. edit. Pariſ. Triumpha igitur, ingeniorum Imperatrix & voluntatis humanæ Domina, cum nihil ſit quod non plane perfecteque ſubjeceris. Etenim, quid nunc eſt qvod tuis viribus ſe opponat? An procax hominum in omne nefas effuſiſſimorum protervia? at eam reprimis. An effroënatæ cupiditates ac libidines? at eas frangis. An juveniliter exultans ſuperbia? at coërces. An audacia improborum? at cohibes, flagitioſorum furores? at exarmas Conſceleratorum conatus? non refutas eos ſolum ſed rides, quid? Homines forte pertinaciter obfirmati reſiſtent tibi? annon expugnas? Feri & agreſtes? nonne mitigas? immanes ac barbari? num eorum naturam verſas, mentem torques, mores immutas, commoves animum, & in omnem partem convertis? Et *Geographiæ* ibid: Cum ſimus omnes ſic à natura comparati, ut loca, in quibus nunquam fuimus, adeunti miro deſiderio teneamur; quid melius cupiditatem hac in parte noſtra explere poteſt, quam diſciplina Geographis? aut quæ uſquam regio eſt, quo per hanc Artem nobiliſſimam, libere pergendi poteſtas non fiat? vis longe lateque patentes terrarum tractus tempore breviſſimo peragrare? jam peragraſti: excelſa montium juga conſcendere?

jam

jam conſcendiſti: agros oppidis collucentes, littora diſtincta villis & urbibus, perluſtrare? jam perluſtraſti! Optas ſteriles pervadere, mutasque ſolitudines Africæ? Expetis uſurpare oculis gemmeas Indici maris oras, aut amoëniſſimas Americæ regiones, auri argentique venis prædivites? Hæc omnia, dum loquor, ſi tantiſper ad Geographiam te convertas, pervaſiſti, intuitus es, obiiſti.

Magnam cum interrogatione affinitatem habet *Dubitatio* quæ hominis ſolliciti, & in perturbatione hæſitantis conſilii affectuum præ ſe ferre ſolet; Plura ejus generis exempla jam adduximus in Comment. de Eloq. Eccleſ. & civili pag. 1339. Illud ſolum Virgilianum ſive Didonis ſuſpenſum in deliberatione animum ſoluta oratione explicabimus: Quid agam infelix? An hic manendum? At gentes Libyæ ferocientes inſtant. Egone fœmina procax connubia requiram? egone Regina ſupplex ad Nomadum pedes accidam? qui barbari, qui toties à me contemti ſunt? Hoc regiæ dignitati repugnat, illud caſtitati. An cum Trojanis abeundum? Ingrati illi me vel in regno meo contemſerunt: quid in ſuo facient? Illos ſequar ſupplex: an irata bello perſequar? Tam turpe ac ſordidum eſt, quam hoc periculoſum & difficile. Moriamur itaque Franc. Pomey l. c. pag. 201. Suſannam animi dubiam cum in horto à Senibus circumdaretur hoc fere modo locutam inducit: *Quid* agam? quò me vertam? ad quem confugiam? In me admiſero ſcelus. Negavero? æternum incurram cum morte dedecus, Proh Superi! quas in anguſtias adducta

Q ſum?

ſum? Cujus fidem implorabo? A quo auxilium petam? Reſiſtam duobus, una impar? ſum. Confugiam ad preces? quis exaudiat? Clamem? morior. Taceam inquinor. Fugiam? non licet Cedam? Ah! perdo, quod mihi multo eſt charius vita. Sed, quid moror diutius, miſera? quid dubius ultra fluctuat animus? In veſtras, ſceleſta capita, ſatius eſt incidere, quam in Dei manus. Perire præſtat, quam peccare: Necem crimini præfero. His dictis, exclamat Suſanna, acclamant Senes execrandi, accurrunt famuli &c. Dubitationis verò quædam quaſi ſpecies eſt *Suſtentatio* qua ipſi quidem non dubitamus, at ſuſpenſos aliquantum retinemus animos auditorum, & ad exaggerandum factum conditam ad tempus animo reſervamus ſententiam. Exempla legantur à nobis adducta loc. cit. pag. 1343. quibus adjungimus Themiſtium Orat. 5. Theodoſii ſingularem clementiam commendantem, eundemque conferentem cum Lycurgo Spartanorum Principe, quem illi ex Apollinis Oraculo ob clementiam Deum appellandum cenſuerint. Cur Deum illum potius Apollo nominamus? An quod celeberrimas victorias Princeps ille reportarit? An quod occiſorum ab ſe hoſtium cadavera cumularit? An quod haſtatorum ac ſpiculatorum auro ſplendentium ſatellitio cingeretur? aut quoniam ante eum curruum aureorum Niſæis equis trahentibus pompa præcederet? ſive quod torquibus idem & tiara, ab purpurea veſte fulgeret. Ego tamen parvi iſta facienda eſſe (ſcio) reſponderet Apollo,

Apollo, ut quæ à pleriſque nequiſſimis & ſtolidis Principibus obtineantur, quos non modò non Deos ſed ne quidem homines appellare deceat. Quæ cum ita ſint, quid in Lycurgo tandem animadverti; cujus gratia Deum potius quàm hominem appellandum cenſuerint? Facilitatem nimirum, juſtitiam atque pietatem harumque, Reginam omnium humanitatem, cujus unius beneficio Reges ad Dei ſimilitudinem accedunt. Turnerum quoque addo obdicendi ſuavitatem & acrimoniam paſſim in Comment. de Eloq. à me celebratum. Sic verò ille Volum. 1. Orat. 4. quæ eſt de Cruce Domini pag. 47. In Cruce quicquid intelligo, quicquid video, intelligo myſteria, video miracula: ut quò magis quæram quod inveniam, eò minus inveniam, quod dicam: quæro gloriam, invenio miſeriam: quæro lætitiam, invenio dolorem: quæro vitam, invenio mortem: quæro Deum invenio hominem. Heu quod quæro non poſſum invenire; ſeu potius, quod invenio, non poſſum dicere; nam cum crux ſit unum, neſcio quid myſtum ex miſeria, gloria; aptum ex lætitia dolore; factum ex vita, morte; cretum ex Deo homine: ita hæc multa ſunt unum, & quodam potius divinitatis quam rationis vinculo inter ſe copulata, ut ne cæleſtis quidem vis ſi dicat, dicendo poſſit aſſequi. Et pag. 51. Hoc tamen verum eſt, ut Evangeliſta horum dolorum umbratilem ſpeciem quantum verbis cum vellet aſſequi, Oſtenderit potius, quid vellet, quàm quid poſſet. Cœpit (inquit) pavere, tædere, triſtari, mœſtus eſſe. Si in horto tanta, tam multa;

in cruce quot & quanta ? cœpit pavere nonne ſatis fuerat tædere ? cœpit mœſtus eſſe : nonne ſatis fuerat triſtari ? cœpit pavere, tædere, triſtari, mœſtus eſſe; quid ſibi vult hoc ? conatur Evangeliſta dolores crucis loqui : ſed verba non videtur poſſe legere quibus loquatur. Dolores crucis ſummi ſunt, ſuperant notionem vocum : ſicut infiniti, non poſſunt includi regionibus artis; ſicut tanti, quanti disrupta divini pectoris compage, in velum, in ſolem, in lunam, in petras, in terram, in monumenta, in mortuos redundant &c. Viciſſim denique Franciſcus Pomey aliquot exempla hujus figuræ ſicuti cæterarum dedit, quas Juventutis in gratiam non gravabimur hic ſubjicere. Primum eſt, de honore olim doctis exhibito p. 237. Audite, quanto fuerint olim in pretio literæ; quibus homines doctos honoribus ornarint, non ipſi modo Reges, ſed Tyranni Platonem Syracuſas venientem, excepit Dionyſius tyrannis; at qua pompa? qu o apparatu ? qua humanitatis magnificentia, & ſignificatione benevolentia ? Expectatis hic forſan, ei vias fuiſſe cylindro æquatas, ut Caligula ? aberratis : aureis perſperſas ramentis, ut Commodo ? hallucinamini : floribus conſtratas, ut Heliogabalo ? nihil minus. Quid igitur ? Accipite, atque ſuſpicite. Platonem ipſum aureis vehentem quadrigis, aurigans ipſe Dionyſius in urbem triumphabundus introduxit. O ſplendorem literarum eximium ! ô illuſtriſſimum doctrinæ decus ! (*nam huic figuræ Exclamatio aptè ſubnectitur.*) *Alterum* de Imperatoris ignavia Ducis hujus invictiſſimi magnitudinem animi, incredi-

bilem

bilemque generoſi tandem demiramini. Videte quantum finitimis populis terroris injecerit; qua fortitudine inierit prælium, quanta felicitate debellarit. Audierat per exploratores, hoſtem celeritate uſum aliquot loca, improviſo adventu cœpiſſe, jamque oppugnari, regni munitiſſimum oppidum. Ad eum repellendum, colligit totum robur imperii; quis eſt victoriam non deſpondeat! Conſcribit numeroſum exercitum: quis non pertimiſcat? vim tormentorum maximam rotat: quod formidoloſius? Copias explicat, buccinæ concrepant, tympanorum ac bombardarum horrifico ſtrepitu, omnia late loca perſonant: quis obſidionem ſolvendam non crederet? Denique magnis itineribus contendit ad illud oppidum, cum univerſo exercitu. Quid denique ſequitur? Ubi in conſpectum venit, viditque è ſtationibus ſuis erumpentes armatorum globos, accingentium ſe ad certamen, illico receptui cani imperat, ipſe admiſſis equo calcaribus primus omnium arripit fugam. O præclarum Imperatorem, non tantum cum Scipionibus & Alexandris conferendum; ſed etiam ſi ſuperis placet, anteponendum? *Tertium* Iracundum fœminæ facinus p. 239. Hæc nuper fœmina ancillulam ferire vellet, idque non poſſet commodè, quod manus haberet impeditas, (tenebat enim alterâ ſpeculum, altera gemmeum torquem & armillas aureas,) quid illam feciſſe putatis? Speculum illud, dicet aliquis, in ejus caput impactum, forte comminuit: nequaquam, nam pretioſus erat, quam ut tam levi de cauſa frangeretur. Quid? num pede illam per-

cuſſit aut cubito ? nimis hoc uſitatum eſt , cuivis de vulgo mulierum. An probris, conviciisque laceravit? Et illud etiam nimis eſt vulgare. Quid igitur facere potuit ? neque enim alia videtur eſſe ratio explendæ iracundiæ , aut doloris ulciſcendi. Imo alia eſt, ſed inſolita ac nova. Nimirum , dentibus rem agere inſtitit. An tu dentibus ? quonam vero modo ? dicam ? accipite. Puellam , quæ à tergo erat, ejus ut capillos comeret , coram venire jubet ; paret illa : tum vero , humaniſſima hæc mulier , in ejus os , roſtro plusquam canino irruens, naſum impetit , miſeramque denaſaſſet dubio procul , niſi avertens opportunè ancilla vultum , pro naſo obtuliſſet aurem,quam furia pene rotam mordicus abſtulit. O nequitiam inauditiam ! *Quartum* eandem Impudicæ. Fingite animo facinus , quam vultis horrendum , & execrabile , cogitate , quicquid immanitatis & turpitudinis , ad omnem intemperantiam erudita , moliri ſolet impudentia ; vincet hujus fœminæ flagitium , cogitationem veſtram. Nolite hic proinde refricare memoriam parricidiorum , inceſtuum , ſacrilegiorum , quæ aut ab hiſtoricis conſcripta , aut à Poëtis ficta , vel legiſtis vel auditis. Leviora illa ſimul omnia videbuntur, tametſi graviſſima , ſi cum hóc uno componantur , quod vobis expoſiturus modo ſum. Quod illud autem facinus tam abominandum ? horreo dicere; pudore ſtupet animus, torpet lingua , hæret oratio , nec verba ſuppetunt , quæ id ſatis explicent. Loquatur ipſa mulier nefanda ; ſcelus nobis ſuum aperiat , minus enim erubeſcet dicere,

cere, quod non erubuit patrare. Audite illam ſimulque cognoſcite, quo furore ſerpat effuſa libido, cum ſemel admiſſa eſt; quam difficile coërceri, reprimique poſſit, tartarea lues cum medullas penetravit intimas, totumque animum pervaſit. Ego, inquit, inſana cum flagrarem cupiditate, nec amori nefario obſequeretur fortuna, &c. *neque enim inſicienda charta eſt, narratione tam horrendi flagitii, non à multis annis patrati.*

Dubitatio è conflictu *Oppoſitorum* naſcitur: ſed ea ſi ob rationem diverſam ſimul poſſint conſiſtere, mirus inde orationi conciliatur decor, quando quod alio ſenſu alias dici ſolet, contraria juxta ſe poſita nitide reſplendent, Simulverò etiam ubertatem ſermoni inducit, dum ſcil. ſpecie ſolum diverſa rerum adjuncta ad ſe invicem referuntur. Exempla jam plurima congeſſimus in Comm. de Eloq. pag. 1328. & ſeq. Hic tantum ſufficiat adduxiſſe unum atque alterum, Cyprian. ep. 77. Non fovetur in culcitris corpus molliter; ſed refrigerio & Chriſti ſolatio fovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera: ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere. Squalent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia: ſed ſpiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illis exiguus: at non in ſolo pane vivit homo. Veſtis agentibus deeſt, ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt. Sidon. Apoll. Lib. 1. Epiſt. 8. vagientem in cunis Chriſtum Salvatorem hoc pacto *admiratur*: O dignum cælo ſpectaculum,

conquieſcit in ſinu virginis infantilibus faſciis alligatus puer, quem in ſinu æterni Patris uberrimo lucis ſplendore circumfuſum cælites venerantur. O mirificum divinæ pariter ac humanæ naturæ commercium! Hic puer, quem intueris Deus eſt: Deus quem adoras puer eſt; parvus in fæno, immenſus in cælo; vilis in pannis, in ſtellis glorioſus: manus illæ imbellæ orbem torquent; tam anguſti oculorum orbes ſolem illuminant; tam exigui pedes tenebricoſum Dæmonis imperium calcant. Viciſſim Franc. Pomey in eodem argumento pag. 187. Tranſeamus Bethlehemum cum paſtoribus & videamus, & veneremur JEſum in præſepio & demiremur in infante, virum: Principem in ſervo: Sapientem in puero: Rectorem orbis juris factum alieni. Demiremur & adoremus ſplendorem tenebris offuſum, Potentiam conſtrictam vinculis, Infinitatem terminis finitam. Immenſitatem circumſcriptam cunis, balbutientem ſapientiam ſublimitatem cum humilitate, Fortitudinem cum infirmitate conjunctam: Opificem mundi, puellæ opus Eum, qui ſedet ſuper Cherubin, reclinatum ſub brutis animantibus; Qui ambulat ſuper pennas ventorum, jacere ſtratum in ſpelunca pecorum; qui terram mari circumdedit, brachiis Mariæ circumdatum. Adoremus inquam, & ſtupeamus è Virgine prolem; hoc eſt, flores ab hyeme, flammas ab aquis, in rubo ignem, rorem in vellere; hoc eſt, ſine radice fructum, ſine ſemine meſſem, ſine fonte rivum, ſine trunco arborem vitæ, Filium ſine Patre, Conjugem ſine Conjuge, ac denique virginem matrem,

trem, Monarcham famulum, ſubditum Regem, hominem Deum. Delectat quoq; hæc figura præcipuè in Elogiis. e.g. Emmanuel Theſaurus in Metamorphoſi uxoris Lothi pag. m. 34. Quam ſtupes muliebrem ſtatuam, tanto artificio fictam, artifice caruit. Genita fuit & ſine ſcalpello ſculpta &c ſe ipſa finxit. Nam contra divinum præſcriptum dum patriam ſpectat, ſe amiſit. Sola igitur mortalium nec imaginis egens nec ſepulchri ipſa ſua ſtupiditatis imago in ſemita hæret, & in ſua ſtatua tumulatur. Licet igitur inter Metamorphoſes numerare Fœminam ex vera fictam. Nam quid in fœminis videas niſi fictum? Itaque mentiri ſolata ſeipſam mentitur. Mortua vivam ſimulat, vel viva mortuam. Magis mirere, quod inſulſa ſalſum migravit in lapidem, in ſale mortua, quo viva carebat &c. Philippus Picinellus pag. 33. in Uxoris Jobi, vel initio ipſius potius Jobi deſcriptione. Patientiæ columen à Sathanæ lucta incolume, cum cuncta perdidiſſet, Deo non amiſſo nihil amiſit. Sæpe fractus, ſæpe integer feriri potuit, non vinci. Probus direptis non habens quem coleret agrum, coluit Deum. Ovibus incendio abſumtis ſe numini ſacravit in victimam. Orbatus natis, cum deſineret ſobolis eſſe Pater, Dei non deſiit eſſe filius. Tunc verè liber cum careret liberis. Liberior ſi careret uxore. Aloyſius Juglar. in Elog. Novi Teſtam. pag. 18. in Herodem. Fugaſti novum Regem Herodes, adhuc tamen ſolus in Judæa non regnas. Regnat mors tecum; Imò verò etiam ſupra te. A te illa didicit regni non tolerare conſortem. Gaudere potuit

nemo te vivo : Mærere nemo te mortuo. Quod ſerò pereas id unum eſt, quod queri de te præfica debeat &c. Domui ſuæ non mitior, quam alienæ, ſuo facto ſe capitalem confeſſus ſimilitudinem ſui punivit in filiis. Hæc tota illius juſtitia eſt, quod ſe oderit; Hæc tota bellica gloria, quod arcem pietatis inter ubera expugnarit. Pueri animam quærens, qui ſuam perdidiſſet &c. Petrus Labbe in Elog. ſ. Inſcriptione capitis Joh. Bapt. p. 610. Inter humana capita nullum caput hoc majus fuit? Minor eſt Johanne quisquis non eſt homine major; Ille ſolus major eſt, qui eſt Deus & homo. Nullum caput vocalius, nullum taciturnius fuit. Antequam Patrem haberet, indixit Patri ſilentium: reddidit linguam patri, dum vix habuit. Intra uterum Matris vocale & mutum, expreſſit motu, quod ore non potuit, Exultavit & lucem quam non vidit, oſtendit. Nondum exire poteſt, & præcurſorem agit. Nemo citius locutus eſt, nemo tardius. Ex utero matris verbum ſalutavit in utero virginis. Ne ſalutaret homines in eremum ſeceſſit; illic triginta annis loqui tacendo didicit &c. Conſtantinus denique Arxonni Part. 1. Crypt. Diog. Laternæ pag. 17. in Epiſc. Mediolanenſem. Ambroſius re quam nomine dulcior, Mel antea habuit in ore quàm Voces. Avorum gloria nobilis, nobilior ſua. Chriſtianus ante cæpit eſſe quàm fieret. Pro Rege deſtinatus Antiſtes ſubiratus virtuti ſuæ, quod latere neſciverit &c. Urbem ſuam meliorem reliquit. quo deteriores acceperat deficiente natura nulli deficiens. Ita Præſulem ſe eſſe meminerat, ut ſenem ſe eſſe neſci-

ſciret &c. Tandem & ad *Commiſerationem* excitandam hæc dicendi forma ſolet adhiberi, ſi quis ſe præſentis & iniquæ fortunæ faciem cum ſuperiori ſecunda componat, Ita PP. Societ. Jeſu in Pal. Eloq. de Belliſario pag. 586. Hiccine eſt Belliſarius tot populorum domitor, tot expugnator urbium ? Stipem petis, cujus armis vitam Principes precariam debent? qui fortunas Regum atque divitias ſuperbo quodam pede calcabat, obolum non habet? Spectat orbis univerſus Belliſarium infelicem, cujus laboribus ſtat imperii felicitas. Spectat nudum & inopem, quem modò militum infinita multitudo cingebat undique effuſa lateribus? Ille ille Belliſarius Imperii gloria, Imperatorum deliciæ, civium amor, hoſtium terror ac decus, hæret mendicus ad Oſtium: turpis, ſqualore obſitus, exhauſtus fame, dedecore oppreſſus atque infamia; ſine re, ſine lare, ſine nomine, ſine fortunis, exul orbis terrarum, pene à communi uſu ſpiritus animalis excluſus. O fortunæ temeritatem! Ita ne ludis in capita Principum? modo blandiris, modo ſævis: modò arrides, invides, erigis, deprimis: quoſque ante muneribus, tuis obrueras, momento temporis è deliciis ad egeſtatis anguſtias, è triumphis ad funera, è victoriis ad clades, & ex honoribus ad infamiam traducis?

Ad amplificandum quoque plurimum facit, ſuum prolixius vel aliorum ſermonem exponere Et ſuum vel ad præſentes quidem alios vel ad ſeipſum aut abſentes vel etiam ſenſus expertia. Illud ſi fiat, *Com-*

Communicationem Rhetores vocant, cujus exempla bene multa, jam in medium adduximus in Comm. de Eloq. pag. 1346. Illuſtre legitur quoque ap. Philipp. Kiſelium parte I. Nili myſt. Dom. 16. poſt Trin. §. 7. pag. 372. ubi de mundi Vanitate ſic inter cætera: Equidem lubens fateor, Flos fuit Abel: ſed & Vanitas. Flores eſtis vos: ſed & luctus & vapor & anhelitus. Flores eſtis: ſed non ſemper idem floribus eſt honos Vernis C. Horat. Lib. 2. Od. 11.) Sedet in corde humano hujus floris voluptas: ſed & vanitas. Natat in folijs amor, ſedet dolor. Ridet in ejus ſpecie gratia: ſed riſus eſt, quem vicinus mox, mæror animi ſqualorque excipiat &c. §. 5. Repetite nunc animis veſtris, qui majores natu his eſtis Auditores, repetite inquam memoriam annorum, quos elapſos numeratis. Deum immortalem! quam multa hoc temporum intervallo vel à vobis vel ab aliis facta præclarè? quàm multa item impiè & ſcelestè gèſta! tranſierunt univerſa, pro nihilo habentur iſti anni. Facta eſſe non ignoratis: ſed velut in ſomnio facta videntur. Abierunt tot dierum millia, tot annorum luſtra. Numquid ſomniaſſe vos tantum creditus? Ita repente ita ſubito tranſierunt univerſa. Somniaſtis certè non noctes ſolum integras: ſed & vitæ veſtræ dies ſomniaſtis! ô vita! ô ſomnium! ô vanitas! Qui ſapit, ſomniis non credit iſtis: ſed ad veras beataſque vitæ immortalis vigilias toto corde adſpirat. Ad Adoleſcentem quoque eadem forma Franciſcus Pomey de contemtu mundi Progymn. 3.

pag.

pag. 194: Adhuc hæres? Etiamnum fluctuas, leviſſime Adoleſcens? necdum adduci potes, ad contemtum rerum caducarum? Verum eſto. Nullius ſint apud te ponderis, quæ hactenus attuli? æquo animo feram, conſilium deſpici meum: At, te ipſe ſaltem conſule; te audi, obſecro; tibi obtempera. Quæro enim abs te; ſi te, hinc Regina pulcherrima omnibus abundans fortunæ bonis, omnibus inſtructa naturæ dotibus, comiter vocaret ad ſe, te ut haberet ſponſum, Regem faceret: inde proterva, fœdaque Meretrix, te impudenter ad turpem invitaret amplexum: & illa quidem adiri non poſſet, niſi per anguſtum callem, vepribus impeditum, ac ſaxis aſperum: ad hanc vero, via duceret amoëna & facilis: quid tunc amabo faceres? utrius tandem voce ſequi, utri parere potiſſimum velles? Profecto, ſi bene novi tuam indolem, video, quid eſſes facturus. Exhorreres videlicet, hujus aſpectum Proſtibuli: & per media ſenti ceta, advolares ad Reginæ ſinum. Cur ergo: id non agis, cum licet? Cur conſilio non uteris tuo? vocat te, virtus ad æterna gaudia, & ad divinos amplexus: obſcoëna te, contra voluptas, ad ærumnas ſempiternas allicit: Et illam aſpernaris, ob levem viæ difficilioris laborem: Et huic te mancipas, quod iter videas conſperſum floſculis, O cœcitatem! Ad ſeipſum porro aut abſentes vel res inanimatas ſermo, quibus ut præſentibus propriè loqui non poſſumus, *Apoſtrophe* dici ſolet. Ejus viciſſim exempla l. c. p. 1396. quantum pro ejuſdem formæ varie-

miniſtræ, ultrices mox futuræ tot ſcelerum? diſturbatæ jam, nefarias molitiones veſtras diſturbate; (*) plangite quæ feciſtis flagitia, flagellis vos inſtruite ad vindictam, crebriſque ac validis ictibus ferite, tundite, pulſate latera, laniate humeros, concidite ſpectus, dilacerate corpus univerſum. Nec non ad ſupellectibilem humani luxus pag. 189. vos appello; Ædes ſumptuoſæ, aulæis ac picturis illuſtratæ pretioſiſſimis; vos, vaſa ſplendida, vos radiantes auro Abaci. Vos, Thalami argento rutilantes, purpureaque ſtrata, vos appello; Dicite, quot in votis flagitia, quot per vos ſcelera patrantur? quot, vobis teſtibus ac conſciis, & quam nefanda facinora committuntur? &c.

Aliorum mentem quando exponit Orator, vel verba illorum ſive etiam facta è ſuo ſenſu interpretatur, vel eos loquentes aut inter ſe colloquentes inducit *Interpretationis* verborum exemplum occurrit Verrina ſexta n.45. Superbum eſt & non ferendum dicere: Prætorem in Provincia homini honeſto locupleti ſplendido: Vende mihi vaſa cælata, Hoc eſt enim dicere: Non es dignus tu qui habeas, quæ tam bene facta ſint: meæ dignitatis iſta ſunt. Sic quoque Ambroſius de Obitu Satyri fratris: Raptus eſt, ne in manus incideret barbarorum, raptus eſt, ne totius orbis excidium &c. videret. Ego vero te frater cum vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror. Non enim nobis ereptus es, ſed periculis; non Vitam amiſiſti, ſed ingruentium acerbita-

bitatum formidine caruiſti. Et Plutarchus priore tractatu de Alexandri fortuna in hoc ejus dicto exultat: Niſi Alexander eſſem., Diogenes eſſe vellem. Non dixit (inquit) niſi Rex eſſem, Diogenes eſſem; non dixit: niſi dives eſſem aut Argeades; rationem ſtatim ſubdit; Neque enim præferebat ſapientiæ fortunam, aut vili lacernæ diadema: ſed dixit, niſi Alexander eſſem Diogenes eſſem i.e. Niſi opere potius quam verbis certum eſſet Philoſophari; niſi univerſum continentem, non tam paſſibus, quam victoriis circuire: niſi barbaras gentes Græcis inſtitutis excolere, non equidem in otio deſidens potentiam meam ad luxuriandum contuliſſem; ſed frugalitatem Diogenis æmulatus fuiſſem. Cæterum ipſorum ſenſuum humanorum quoque verba quando exprimit Orator, & alteram adeo perſonam quaſi iſta loquentem inducit, *Proſopopæia* vocatur ejus pariter exempla aliquot adduximus Lib. de Eloq. pag. 1373. Addimus jam è Senecæ Conſolatione ad Marciam quod cap. 26. legitur, quo Patrem illius h. m. loquentem introducit: Cur te filia tam longa tenet ægritudo. Cur in tanta veri ignorantia verſaris? ut iniquè actum judices cum filio tuo, quod in tædium verſus vitæ, ipſe ad majores ſe recepit ſuos? Neſcis, quantis fortuna procellis diſturbet omnia? quàm nullis benignam facilè ſe præſtiterit, niſi qui minimum cum illa contraxerant? Regesne tibi nominem feliciſſimos futuros; ſi maturiùs illos mors inſtantibus ſubtraxiſſet malis? An Romanos Duces, quorum nihil magnitudini deerit, ſi aliquid ætati detraxeris. Cur in

R domio

cuſſit aut cubito ? nimis hoc uſitatum eſt, cuivis de vulgo mulierum. An probris, conviciisque laceravit ? Et illud etiam nimis eſt vulgare. Quid igitur facere potuit ? neque enim alia videtur eſſe ratio explendæ iracundiæ, aut doloris ulciſcendi. Imo alia eſt, ſed inſolita ac nova. Nimirum, dentibus rem agere inſtitit. An tu dentibus ? quonam vero modo ? dicam ? accipite. Puellam, quæ à tergo erat, ejus ut capillos comeret, coram venire jubet; paret illa: tum vero, humaniſſima hæc mulier, in ejus os, roſtro plusquam canino irruens, naſum impetit, miſeramque denaſaſſet dubio procul, niſi avertens opportunè ancilla vultum, pro naſo obtuliſſet aurem, quam furia pene rotam mordicus abſtulit. O nequitiam inauditiam ! *Quartum* eandem Impudicæ. Fingite animo facinus, quam vultis horrendum, & execrabile, cogitate, quicquid immanitatis & turpitudinis, ad omnem intemperantiam erudita, moliri ſolet impudentia; vincet hujus fœminæ flagitium, cogitationem veſtram. Nolite hic proinde refricare memoriam parricidiorum, inceſtuum, ſacrilegiorum, quæ aut ab hiſtoricis conſcripta, aut à Poëtis ficta, vel legiſtis vel auditis. Leviora illa ſimul omnia videbuntur, tametſi graviſſima, ſi cum hoc uno componantur, quod vobis expoſiturus modo ſum. Quod illud autem facinus tam abominandum ? horreo dicere; pudore ſtupet animus, torpet lingua, hæret oratio, nec verba ſuppetunt, quæ id ſatis explicent. Loquatur ipſa mulier nefanda; ſcelus nobis ſuum aperiat, minus enim erubeſcet dicere,

cere, quod non erubuit patrare. Audite illam ſimulque cognoſcite, quo furore ſerpat effuſa libido, cum ſemel admiſſa eſt; quam difficile coërceri, reprimique poſſit, tartarea lues cum medullas penetravit intimas, totumque animum pervaſit. Ego, inquit, inſana cum flagrarem cupiditate, nec amori nefario obſequeretur fortuna, &c. *neque enim inſicienda charta eſt, narratione tam horrendi flagitii, non à multis annis patrati.*

Dubitatio è conflictu *Oppoſitorum* naſcitur: ſed ea ſi ob rationem diverſam ſimul poſſint conſiſtere, mirus inde orationi conciliatur decor, quando quod alio ſenſu alias dici ſolet, contraria juxta ſe poſita nitide reſplendent. Simulverò etiam ubertatem ſermoni inducit, dum ſcil. ſpecie ſolum diverſa rerum adjuncta ad ſe invicem referuntur. Exempla jam plurima congeſſimus in Comm. de Eloq. pag. 1328. & ſeq. Hic tantum ſufficiat adduxiſſe unum atque alterum, Cyprian, ep. 77. Non fovetur in culcitris corpus molliter; ſed refrigerio & Chriſti ſolatio fovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera: ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere. Squalent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia: ſed ſpiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illis exiguus: at non in ſolo pane vivit homo. Veſtis agentibus deeſt, ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt. Sidon. Apoll. Lib. 1. Epiſt. 8. vagientem in cunis Chriſtum Salvatorem hoc pacto *admiratur*: O dignum cælo ſpectaculum,

conquieſcit in ſinu virginis infantilibus faſciis alligatus puer, quem in ſinu æterni Patris uberrimo lucis ſplendore circumfuſum cælites venerantur. O mirificum divinæ pariter ac humanæ naturæ commercium! Hic puer, quem intueris Deus eſt: Deus quem adoras puer eſt; parvus in fæno, immenſus in cælo; vilis in pannis, in ſtellis glorioſus: manus illæ imbellæ orbem torquent; tam anguſti oculorum orbes ſolem illuminant; tam exigui pedes tenebricoſum Dæmonis imperium calcant. Viciſſim Franc. Pomey in eodem argumento pag. 187. Tranſeamus Bethlehemum cum paſtoribus & videamus, & veneremur JEſum in præſepio & demiremur in infante, virum: Principem in ſervo: Sapientem in puero: Rectorem orbis juris factum alieni. Demiremur & adoremus ſplendorem tenebris offuſum, Potentiam conſtrictam vinculis, Infinitatem terminis finitam. Immenſitatem circumſcriptam cunis, balbutientem ſapientiam ſublimitatem cum humilitate, Fortitudinem cum infirmitate conjunctam: Opificem mundi, puellæ opus Eum, qui ſedet ſuper Cherubin, reclinatum ſub brutis animantibus; Qui ambulat ſuper pennas ventorum, jacere ſtratum in ſpelunca pecorum; qui terram mari circumdedit, brachiis Mariæ circumdatum. Adoremus inquam, & ſtupeamus è Virgine prolem; hoc eſt, flores ab hyeme, flammas ab aquis, in rubo ignem, rorem in vellere; hoc eſt, ſine radice fructum, ſine ſemine meſſem, ſine fonte rivum, ſine trunco arborem vitæ, Filium ſine Patre, Conjugem ſine Conjuge, ac denique virginem matrem,

trem, Monarcham famulum, ſubditum Regem, hominem Deum. Delectat quoq; hæc figura præcipuè in Elogiis. e.g. Emmanuel Theſaurus in Metamorphoſi uxoris Lothi pag. m. 34. Quam ſtupes muliebrem ſtatuam, tanto artificio fictam, artifice caruit. Genita fuit & ſine ſcalpello ſculpta &c ſe ipſa finxit. Nam contra divinum præſcriptum dum patriam ſpectat, ſe amiſit. Sola igitur mortalium nec imaginis egens nec ſepulchri ipſa ſua ſtupiditatis imago in ſemita hæret, & in ſua ſtatua tumulatur. Licet igitur inter Metamorphoſes numerare Fœminam ex vera fictam. Nam quid in fœminis videas niſi fictum? Itaque mentiri ſolata ſeipſam mentitur. Mortua vivam ſimulat, vel viva mortuam. Magis mirere, quod inſulſa ſalſum migravit in lapidem, in ſale mortua, quo viva carebat &c. Philippus Picinellus pag. 33. in Uxoris Jobi, vel initio ipſius potius Jobi deſcriptione. Patientiæ columen à Sathanæ lucta incolume, cum cuncta perdidiſſet, Deo non amiſſo nihil amiſit. Sæpe fractus, ſæpe integer feriri potuit, non vinci. Probus direptis non habens quem coleret agrum, coluit Deum. Ovibus incendio abſumtis ſe numini ſacravit in victimam. Orbatus natis, cum deſineret ſobolis eſſe Pater, Dei non deſiit eſſe filius. Tunc verè liber cum careret liberis. Liberior ſi careret uxore. Aloyſius Juglar. in Elog. Novi Teſtam. pag. 18. in Herodem. Fugaſti novum Regem Herodes, adhuc tamen ſolus in Judæa non regnas. Regnat mors tecum; Imò verò etiam ſupra te. A te illa didicit regni non tolerare conſortem. Gaudere potuit

Q 5 nemo

nemo te vivo : Mærere nemo te mortuo. Quod ſerò pereas id unum eſt, quod queri de te præfica debeat &c. Domui ſuæ non mitior, quam alienæ, ſuo facto ſe capitalem confeſſus ſimilitudinem ſui punivit in filiis. Hæc tota illius juſtitia eſt, quod ſe oderit; Hæc tota bellica gloria, quod arcem pietatis inter ubera expugnarit. Pueri animam quærens, qui ſuam perdidiſſet &c. Petrus Labbe in Elog. ſ. Inſcriptione capitis Joh. Bapt. p. 610. Inter humana capita nullum caput hoc majus fuit? Minor eſt Johanne quisquis non eſt homine major; Ille ſolus major eſt, qui eſt Deus & homo. Nullum caput vocalius, nullum taciturnius fuit. Antequam Patrem haberet, indixit Patri ſilentium: reddidit linguam patri, dum vix habuit. Intra uterum Matris vocale & mutum, expreſſit motu, quod ore non potuit, Exultavit & lucem quam non vidit, oſtendit. Nondum exire poteſt, & præcurſorem agit. Nemo citius locutus eſt, nemo tardius. Ex utero matris verbum ſalutavit in utero virginis. Ne ſalutaret homines in eremum ſeceſſit; illic triginta annis loqui tacendo didicit &c. Conſtantinus denique Arxonni Part. 1. Crypt. Diog. Laternæ pag. 17. in Epiſc. Mediolanenſem. Ambroſius re quam nomine dulcior, Mel antea habuit in ore quàm Voces. Avorum gloria nobilis, nobilior ſua. Chriſtianus ante cæpit eſſe quàm fieret. Pro Rege deſtinatus Antiſtes ſubiratus virtuti ſuæ, quod latere neſciverit &c. Urbem ſuam meliorem reliquit. quo deteriores acceperat deficiente natura nulli deficiens. Ita Præſulem ſe eſſe meminerat, ut ſenem ſe eſſe neſci-

ſciret &c. Tandem & ad *Commiſerationem* excitandam hæc dicendi forma ſolet adhiberi, ſi quis ſe præſentis & iniquæ fortunæ faciem cum ſuperiori ſecunda componat, Ita PP. Societ. Jeſu in Pal. Eloq. de Belliſario pag. 586. Hiccine eſt Belliſarius tot populorum domitor, tot expugnator urbium? Stipem petis, cujus armis vitam Principes precariam debent? qui fortunas Regum atque divitias ſuperbo quodam pede calcabat, obolum non habet? Spectat orbis univerſus Belliſarium infelicem, cujus laboribus ſtat imperii felicitas. Spectat nudum & inopem, quem modò militum infinita multitudo cingebat undique effuſa lateribus? Ille ille Belliſarius Imperii gloria, Imperatorum deliciæ, civium amor, hoſtium terror ac decus, hæret mendicus ad Oſtium: turpis, ſqualore obſitus, exhauſtus fame, dedecore oppreſſus atque infamia; ſine re, ſine lare, ſine nomine, ſine fortunis, exul orbis terrarum, pene à communi uſu ſpiritus animalis excluſus. O fortunæ temeritatem! Ita ne ludis in capita Principum? modo blandiris, modo ſævis: modò arrides, invides, erigis, deprimis: quoſque ante muneribus, tuis obrueras, momento temporis è deliciis ad egeſtatis anguſtias, è triumphis ad funera, è victoriis ad clades, & ex honoribus ad infamiam traducis?

Ad amplificandum quoque plurimum facit, ſuum prolixius vel aliorum ſermonem exponere Et ſuum vel ad præſentes quidem alios vel ad ſeipſum aut abſentes vel etiam ſenſus expertia. Iſtud ſi fiat, *Com-*

Communicationem Rhetores vocant, cujus exempla bene multa, jam in medium adduximus in Comm. de Eloq. pag. 1346. Illuſtre legitur quoque ap. Philipp. Kiſelium parte I. Nili myſt. Dom, 16. poſt Trin. §. 7. pag. 372. ubi de mundi Vanitate ſic inter cætera: Equidem lubens fateor, Flos fuit Abel: ſed & Vanitas. Flores eſtis vos: ſed & luctus & vapor & anhelitus. Flores eſtis: ſed non ſemper idem floribus eſt honos Vernis C. Horat. Lib, 2. Od. 11.) Sedet in corde humano hujus floris voluptas: ſed & vanitas. Natat in folijs amor, ſedet dolor. Ridet in ejus ſpecie gratia: ſed riſus eſt, quem vicinus mox, mæror animi ſqualorque excipiat &c. §. 5. Repetite nunc animis veſtris, qui majores natu his eſtis Auditores, repetite inquam memoriam annorum, quos elapſos numeratis. Deum immortalem! quam multa hoc temporum intervallo vel à vobis vel ab aliis facta præclarè? quàm multa item impiè & ſceleratè gèſta! tranſierunt univerſa, pro nihilo habentur iſti anni. Facta eſſe non ignoratis: ſed velut in ſomnio facta videntur. Abierunt tot dierum millia, tot annorum luſtra. Numquid ſomniaſſe vos tantum creditus? Ita repente ita ſubito tranſierunt univerſa. Somniaſtis certè non noctes ſolum integras: ſed & vitæ veſtræ dies ſomniaſtis! ô vita! ô ſomnium! ô vanitas! Qui ſapit, ſomniis non credit iſtis: ſed ad veras beatasque vitæ immortalis vigilias toto corde adſpirat. Ad Adoleſcentem quoque eadem forma Franciſcus Pomey de contemtu mundi Progymn. 3.

pag.

pag. 194: Adhuc hæres? Etiamnum fluctuas, leviſſime Adoleſcens? nec dum adduci potes, ad contemtum rerum caducarum? Verum eſto. Nullius ſint apud te ponderis, quæ hactenus attuli? æquo animo feram, conſilium deſpici meum: At, te ipſe ſaltem conſule; te audi, obſecro; tibi obtempera. Quæro enim abs te; ſi te, hinc Regina pulcherrima omnibus abundans fortunæ bonis, omnibus inſtructa naturæ dotibus, comiter vocaret ad ſe, te ut haberet ſponſum, Regem faceret: inde proterva, foëdaque Meretrix, te impudenter ad turpem invitaret amplexum: & illa quidem adiri non poſſet, niſi per anguſtum callem, vepribus impeditum, ac ſaxis aſperum: ad hanc vero, via duceret amoëna & facilis: quid tunc amabo faceres? utrius tandem voce ſequi, utri parere potiſſimum velles? Profecto, ſi bene novi tuam indolem, video, quid eſſes facturus. Exhorreres videlicet, hujus aſpectum Proſtibuli; & per media ſenti ceta, advolares ad Reginæ ſinum. Cur ergo: id non agis, cum licet? Cur conſilio non uteris tuo? vocat te, virtus ad æterna gaudia, & ad divinos amplexus: obſcoëna te, contra voluptas, ad ærumnas ſempiternas allicit: Et illam aſpernaris, ob levem viæ difficilioris laborem: Et huic te mancipas, quod iter videas conſperſum floſculis, O cœcitatem! Ad ſeipſum porro aut abſentes vel res inanimatas ſermo, quibus ut præſentibus propriè loqui non poſſumus, *Apoſtrophè* dici ſolet. Ejus viciſſim exempla l. c. p. 1396. quantum pro ejuſdem formæ varietate

rietate ſufficere poterat congeſſimus; Ut tamen appareat, quantum in hac quoque figura ad amplificandum virium ſit, paucula adhuc illis adjiciam. Elegans Apoſtrophe legitur ap. Bernhardum Epiſt. 1. ad Robertum nepotem ſuum fol. 3. pag. 2. col. a. edit. venet. 1549. veniet (inquam) veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda, quam aſtuta verba, & confeſſio bona, quam marſupia plena; quandoquidem Judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Tuum Domine JEſu tribunal appello, tuo me judicio ſervo, tibi committo cauſam meam Domine Deus Sabaoth qui judicas juſtè & probas renes & corda; cujus oculi ſicut fallere nolunt, ita falli non poſſunt; tu vides qui tua: vides qui quærunt etiam ſua &c. Itaque arbiter meus Domine Jeſu, de vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem &c. Idem viciſſim. ſerm. 6. de adventu Domini fol, 6. Tom. 1. fac. b. Noli ô corpus, noli præripere tempora; potes enim impedire animæ tuæ ſalutem: tuam ipſius operari non potes. Omnia tempus habet patere, ut nunc anima pro ſe laboret, &c. Quantum ejus impedis reparationem, tantum impedis tuam; quod nimirum ante reparari non poteris donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hoſpitem habes ô caro, nobilem valde, & tota ſalus una pendet de ejus ſalute. Da honorem hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: anima verò peregrina & exul apud te eſt hoſpitata &c. Autores quoque Palatii Eloq. pag. 610. 6. Oratoris cujusdam M. T. Ciceronis præ omnibus aliis dicendi ratio-

rationem laudibus efferentis hæc verba adducunt: Ita eſt M. Tulli, Tu Romanam eloquentiam, nullam adhuc & impolitam pulcherrimo & elegantiſſimo ornatu decoraſti: tu repentem illam ac penè jacentem ad ſummum dignitatis gradum extuliſti: Latentem & obſcuram in aperta gentium omnium luce collocaſti. Te perorante Græcia ingemuit, exultavit Italia, Roma ſuis prope emota ſedibus triumphavit. Multi quidem armis & ſanguine: tu unus voce & eloquentia, unus patriæ ſalutem peperiſti. Te denique ſuada illa facundiæ præſes, quæ naſcentem exceperat, infantem lactaverat, aluerat puerum, adoleſcentem eduxerat, poſtremo virum ac tantum virum confirmarat, Te inquam illa perfectam numeris & abſolutam omnibus imaginem eſſe voluit; in qua aliquid eſſet in divina facultate præclarum, non ut monogrammum quippiam adumbratum leviter; ſed animatis eminentibusque coloribus, tanquam in viva & ſpiranti tabula cerperetur; viciſſim denique Franciſc. Pomey loco ſæpius cit. pag. 191. Supremæ Majeſtatis numen offendi miſer divina Mentis æternæ juſſa contemſi impudens, ſanctiſſimas leges per ſummum ſacrilegium violavi. O me ſceleſtum, velanum, impium? Colliqueſcite oculi mei, admiſſorum dolore facinorum; profundite perennes aquas poënitudinis? uberrimam lacrymarum vim continenti fluxu profundite; & eluite, ſi poteſtis, aſſiduo & amaro fletu, ſordes criminum, ad quæ patranda, duces, heu! tam ſoëpe mihi & anteſignani fuiſtis. Vos vero, meæ, ô rigidæ Manus, effectrices antea & ad-

mi-

miniſtræ, ultrices mox futuræ tot ſcelerum? diſturbatæ jam, nefarias molitiones veſtras diſturbate; (*) plangite quæ feciſtis flagitia, flagellis vos inſtruite ad vindictam, crebrisque ac validis ictibus ferite, tundite, pulſate latera, laniate humeros, concidite ſpectus, dilacerate corpus univerſum. Nec non ad ſupellectibilem humani luxus pag. 189. vos appello; Ædes ſumptuoſæ, aulæis ac picturis illuſtratæ pretioſiſſimis; vos, vaſa ſplendida, vos radiantes auro Abaci. Vos, Thalami argento rutilantes, purpureaque ſtrata, vos appello; Dicite, quot in votis flagitia, quot per vos ſcelera patrantur? quot, vobis teſtibus ac conſciis, & quam nefanda facinora committuntur? &c.

Aliorum mentem quando exponit Orator, vel verba illorum ſive etiam facta è ſuo ſenſu interpretatur, vel eos loquentes aut inter ſe colloquentes inducit *Interpretationis* verborum exemplum occurrit Verrina ſexta n. 45. Superbum eſt & non ferendum dicere: Prætorem in Provincia homini honeſto locupleti ſplendido: Vende mihi vaſa cælata. Hoc eſt enim dicere: Non es dignus tu qui habeas, quæ tam bene facta ſint: meæ dignitatis iſta ſunt. Sic quoque Ambroſius de Obitu Satyri fratris: Raptus eſt, ne in manus incideret barbarorum, raptus eſt, ne totius orbis excidium &c. videret. Ego vero te fratrem cum vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror. Non enim nobis ereptus es, ſed periculis; non Vitam amiſiſti, ſed ingruentium acer-

bita-

bitatum formidine caruiſti. Et Plutarchus priore tractatu de Alexandri fortuna in hoc ejus dicto exultat: Niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem. Non dixit (inquit) niſi Rex eſſem, Diogenes eſſem; non dixit: niſi dives eſſem aut Argeades; rationem ſtatim ſubdit; Neque enim præferebat ſapientiæ fortunam, aut vili lacernæ diadema: ſed dixit, niſi Alexander eſſem Diogenes eſſem i. e. Niſi opere potius quam verbis certum eſſet Philoſophari; niſi univerſum continentem, non tam paſſibus, quam victoriis circuire: niſi barbaras gentes Græcis inſtitutis excolere, non equidem in otio deſidens potentiam meam ad luxuriandum contuliſſem; ſed frugalitatem Diogenis æmulatus fuiſſem. Cæterum ipſorum ſenſuum humanorum quoque verba quando exprimit Orator, & alteram adeo perſonam quaſi iſta loquentem inducit, *Proſopopœia* vocatur ejus pariter exempla aliquot adduximus Lib. de Eloq. pag. 1373. Addimus jam è Senecæ Conſolatione ad Marciam quod cap. 26. legitur, quo Patrem illius h. m. loquentem introducit: Cur te filia tam longa tenet ægritudo. Cur in tanta veri ignorantia verſaris? ut iniquè actum judices cum filio tuo, quod in tædium verſus vitæ, ipſe ad majores ſe recepit ſuos? Neſcis, quantis fortuna procellis diſturbet omnia? quàm nullis benignam facilè ſe præſtiterit, niſi qui minimum cum illa contraxerant? Regesne tibi nominem feliciſſimos futuros, ſi maturiùs illos mors inſtantibus ſubtraxiſſet malis? An Romanos Duces, quorum nihil magnitudini deerit, ſi aliquid ætati detraxeris. Cur in

R domio

domo noſtra diutiſſimè lugetur, qui feliciſſimè moritur. Et tria Franciſci Pomey, quorum primum Linguæ ſc. exciſæ legitur p. 227. Adeſte molliti e-languidi; fracti confectique voluptatibus huc adeſte; huc effœminati, aures animoſque advertite. Illud ipſum os intuemini, quo expulſa ſum; dentes, quibus exſecta, ſpiritum illum, quo vibrata; divinam illam vim, qua ejecta immiſſaque fui, in os luxurioſæ mulierculæ. Ejus, ut impura, puriſſimum os meum, reſpuerat oſcula, ſuam me linguam expuit, cruentari morſu malens; quam ſuavio pollui; pulchroque vulnere foedari, quam turpi complexus & ſanguine rubere, quam admiſſi pudore flagitii; & elingue, mutumque reddi, quam obſcoënum. At, nequaquam id futurum eſt unquam, meum, ô crudele juxta, piumque os: Elingue quidem deinceps eris, at non mutum: tametſi enim loqui ſine me nequeas, eloquar ego tamen ſine te, tuasque prædicabo ſine voce laudes & celebrabo pudicitiam. Utque me vox Spiritusque deficiant & præſtare tibi non valeam officium linguæ; Calamus fiam, agitaboque me in hoc florulento gramine; & cruore, à meo vulnere, in terram ſtillante, purpureos pingam characteres, nulla oblivione delendos, ſcribamque inauditam facinus nunquam niſi cum admiratione legendum. Alterum anni proximè elapſi p. 228. Revocemus lapſum retro tempus, ſi poſſumus: & tanquam è communi rerum caducarum ſepulchro, excitemus Annum ab inferis, quem proxime vidimus lamentabiliter expiraſſe. Lamentaretur enim, his.

hiſque verbis nos objurgaret, ſi loqui poſſet Amentes, inconſulti, ſtupidiores pecudibus homines: Quæ malum, vos, intemperiæ tansverſos agunt? Siccine momenta temporis, qua nihil pretioſius eſt, effluere ſinitis? Sic horas, ſic dies & menſes, ipſosque etiam Annos, ignave ſtolideqne collocaris? O ſtultitiam incredibilem! ANNUS ego, qui nuper abii, quem nuper obiiſtis tam negligenter conceſſus vobis ſingulari Dei beneficio fueram, ut ope mea, exiguis mortalis hujus vitæ laboribus; immortalem gloriæ fructum referretis: Et tamen conſumpſiſtis me, proh pudor! quibus in rebus? dicamne? vix audeo: dicendum tamen, quando mihi etſi mortuo, loquendi facultas tribuitur: In nugis, heu! in otio, in puerilibus ineptiis me conſumpſiſtis, per ſummam incogitantiam & inertiam. Leviora hæc ſunt, Me inſuper turpiſſimarum luto libidinum conſpurcaſtis, atque in omni flagitiorum dedecore volutatum, raptatumque per ſcelera, mirabiliter contriviſtis. Egimus Annum, inquitis, fauſtum proſperumque vobis ipſi meam jacturam, veſtramque perniciem quæ vecordia veſtra aut impudentia eſt, gratulamini. Egiſtis ſane me, ſceleſti, at quonam tandem? dicite: quæ ad loca? quæ ad flagitia me adegeſtis & egiſtis? ad ganeas, ad luſtra, ad effuſas libidines, ad omne nefas. Hæccine vero illa eſt, male ſana capita, gratulationis Materies, & quem vivum adhibuiſtis Annum tam turpiter, de mea indigniſſima morte gaudeatis? Ultimum bonorum quibus uſi, pag. ſeq. Reſiſte, ô quisquis es, qui nimio rerum creatarum a-

more flagras: paucis te volunt Bona illa quæ poſſides: aures præbe pauliſper illorum querelis, dum tecum, de te ſic expoſtulant. Quid agis, amens, quo inflammata cupiditate raperis? quid in noſtris amplexus, lutulentus ruis? Ah! furorem inhibe tantiſper: formoſa ſumus, tu deformis: nos nitida, tu ſordidus, omnibus nos perfecta numeris, omni tu vitiorum labe, turpis: nos denique bona, tu malus es. Si vis, tuis nos famulari commodis, & obſequi votis, & neceſſitate ſervire, & velificari deliciis, utiliaque tibi eſſe ac bona eſto etiam tu tibi ipſi Bonos: Nos, ſi Bonos cupis habere famulos, te viciſſim dominum quidem cupimus habere, ſed Bonum.

Sic tecum agunt, quæ amas vitæ bona, homo conſideratiſſime: his te interpellant, obſecrantque vocibus: quibus ſi occludis aures: audi ſaltem, quas ad Deum, Dominumque tuum, querimonias deferunt. Effector rerum omnium præpotens, & ſapientiſſime moderator: Quouſque nos, Bona tua, quæ feciſti & quæ laudaſti, ut *valde Bona*, ſervire patieris tam malis dominis? Cur ancillas pulcherrimas, fœdiſſimorum hominum ſervitio mancipaſti? Ideone, ſplendorem nobis inſeruiſti, ac pretium, ut obſcœnis viliſſimiſque homunculis, & mulierculis, elegantiam, dignitatemque conciliaremus? Ideone voluiſti nos eſſe bona, ut amaremur duntaxat à Malis, ut à ſolis poſſideremur improbis?

Sermocinationem autem inducendi etſi commoda minus frequenter ſolet ſe offerre occaſio;

quan-

quando tamen adeſt, ampliſſimum plerumque latè excurrendi campum aperire ſolet. Exempla legi poſſunt Tr. de Eloq. Eccleſ. & Civili pag. 1370. Ex autore autem Libri de Agnete, qui Ambroſio a nonnullis tribuitur hæc tantum excerpam. Novum martyri genus, nondum idonea certamini & jam matura victoriæ. Magiſterium virtutis implevit quæ præjudicium ferebat ætatis. Non ſic ad thalamum nupta properaret, ut ad ſupplicii locum læta ſucceſſit, gradu feſtina virgo proceſſit, non intorto crine caput comta, ſed Chriſto: non floſculis redimita, ſed moribus: flere omnes, ipſa ſine fletu (inde virgini teneræ ſermonem autor tribuit) Sponſi injuria eſt, expectare placituram. Qui me ſibi prior elegit, accipiet. Quid percuſſor moraris? Pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo: Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem &c. viciſſim & ſubjiciam quo ſuggerit Pomey. pag. 231. Aſſentationis ſc. Ludificatæ: Mercator locuples non auro magis quam ætate gravis filiam (inquit) habebat nubilem & unicam. Eam cum nuptui tradidiſſet adoleſcenti nobili, pro dote bona ſua donat omnia. Peractis nuptiis, gratulantur ſibi novi conjuges, inſperatam felicitatem; illa, quod viro nupſerit, illuſtri genere; hic, quod duxerit uxorem bene nummatam. At non item gratulatur ſibi ſenex; an igitur, contra intimis ſenſibus, dementiamque deflet ſuam; haberi ſe ludibrio, ſecum ipſe queritur, ſe contemni indignum in modum, à filia, generoque; ſic, ut ne aſpectu quidem dignentur obvium, Nec

 abji-

abjicit tamen ſpem omnem levandæ ægritudinis. Conſilium hoc init callidum. Amicum adit, quem poſteaquam ſalutavit, quo in loco ſuæ ſint res docet; & quid excogitarit, ſimul aperit. Ac, nummos, inquit, in hanc rem, mihi non paucos commoda in paucos dies. Libenter, inquit ille: En, deprome ex hac capſula, quantum voles. Summam iſte capit non levem, domumque redit plenus, ſpei maximæ. Vix ingreſſus cubiculum generum audit ſuum ſcalas domus aſcendentem. Abdit ſe in ſuum conclave ſenex; utpote tinnitu pretioſo ineſcet hominem, effundit aureos in menſam, & numerare nummos alta voce, claroque ſono incipit. Ad ſonum monetalem, accurrit ille, auſcultat pro foribus, miratur, inhiat, Denique egreditur ſenex, cui iſte: Unde, inquit, mi pater, tam denſus tibi defluxit imber aureus? qvota, reſpondet, hæc ſumma eſt, ex iis quæ debentur mihi? Hanc à debitore recepi hodie mutuo daturus, ex amicis meis cuipiam. E veſtigio, uxorem ille adit, & ô nos amentes, inquit, nimium credulos! vetulus noſter etiamnum affluit auro: At illa; quid ais: auro affluit? ſaxo, ad nos brevi totum refluat, quantumcunque eſt: non ſi in arcem, ejus arca vertatur, impreſſionem ſuſtineat. Nec plura; ad patrem devolat, vultum ad blanditias componit, nectaria tota fit, melleis verbis & oſculis parentem ſalutat: ut vales, inquit; mi parens optime, mea fauſtitas aurea, & felicitatis aurora, ô meæ vitæ gaudium. Ille dolum, dolo excipiens, valeo, inquit: te adveniſſe gaudeo, id temporis: volo eni

teſtm

a-

teſtamentum condere, teque ſcribere hæredem ſummæ cujuſpiam. Beas me, inquit illa, at cur me id celaras, pater, filiam tuam tui obſervantiſſimam quæ te, his oculis, plus amo? Nimirum, ait ſenex, non omnia ſunt quovis evulganda tempore? Tabellionem accerſe; protinus accerſitur: facit ille teſtamentium: ſummo deinceps honore colitur: moritur demum; ſumptuoſo effertur funere: aperto teſtamento, patet fraus: ſeque deluſos dolent, doloſi conjuges.

Reſtant inter figuras amplificationi inſervientes *Deprecatio* & *Exclamatio* Illius iterum exemplum exhibet Pomey, Joſephi ſc. deprecantis fratres pag. 198. Quid, heu? molimini, Fratres mei? quid mihi machinamini? occidere me vultis? in puteum me vultis agere præcipitem? Ah! ſupplex omnes oro, ſingulosque, humi provolutus obſecro; ignoſcite; ſi quid à me, in vos peccatum eſt inconſiderantia, feciſſe poenitet. O Juda, ô Ruben, ô Simeon: miſereat vos pueritiæ meæ, per parentis nomen, per matris pietatem, per ego vos, illum ſinum & ubera, quæ vos aluere, precor, per quid qui ſanctum in cœlis eſt, & in terris ſacrum, miſello parcite: date veniam fratri, fratres optimi. Per hæc genua vos obteſtor, quæ teneo, & amplector: per iſtas manus, quas veneror oſculis lacrymisque rigo Ah! Parens ſuaviſſime te appello, imploro veſtram opem, Cælites. Hujus verò paſſim occurrunt plurima iis quæ circa finem Comm. de Eloq. annotavi

addo Auguſt. Serm. 48. ad fratres in eremo: O avaritia inſatiabilis abyſſus! ſemper famem ſentis, ſemper doles ac triſtaris. O peſtis interminabilis! ô famelica rabies! ô rabies omni fine carens &c. Kiſelius quoque parte 1. Nili myſt. Dom. Pentec. p. 251. b. Utinam tales, flammas hodie in corda veſtra conjicere poſſem Auditores! collimarem profectò quàm poſſem accuratiſſimè, ne aberrarem à ſcopo, ne cujusquam veſtrum pectus ſacro hoc igne non correptum maneret, votis meis & deſideriis id ſaltem facere ut poſſim, quis prohibebit? Ideo precor ex corde, ut ille ignis, qui hodie ſuper Apoſtolos deſcendit, veſtra quoque inflammet! Opto ut Spiritus ille bonus ſeptem donis veluti gemmis vos ornet! Opto ut inſtar fontis in cordibus veſtris ſcaturiant rivi lactis, rivi olei, rivi aquæ viventis dulciſſimæ! Opto ut Spiritus S. inſtar ſolis vos radiis ſuis illuſtret! Opto, ut ad omne opus bonum vos dirigat, lætoque tramite deducat. Sed ecce dum cœleſtes flammæ cor meum, & linguam meam, & verba mea urere atque accendere incipiunt, adverto tempus effluxiſſe. Bene habet. Concludam igitur &c. Idem parte 2. pag. 175. in Hiſt. Paſſ. Filium altiſſimi ut terræ vermiculum conculcarunt. Ite hodie impii! Ite ſacrilegi! ite luxurioſi! repetite has Chriſti injurias, quantum vultis, illudite, blaſphemate, cædite, conſpuite. Erit cum veſtri oculi aperientur, cum Majeſtatem illam, illam patris ſapientiam, illam cæli fortitudinem agnoſcetis attoniti; atque ſed heu! nimis ſerò expaveſcetis. Nos verò ô fili Dei, nos tuis, etiam

etiam in obſcuro hoc carcere genibus pedibusq; humiles advolvimur. Nos tibi benedicimus ô Jeſu! in ſecula! in omnem æternitatem! &c. Finiam ſi adjecero elegans exemplum Fr. Pomey pag. 205. quo Innocentiam Suſannæ deplorat damnatam pudorem, accuſat impudentia, vitam virtuti Suſanna poſt habet; puram ſceleris mortem mavult oppetere, quam uſura contaminatæ vitæ frui. O caſtitatem admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam! ô fœminam, fortiſſimis fortiorem viris! ô laudem præclariſſimam! ô facinus omni præconio ſuperius omniumque ſeculorum venerationes digniſſimum! ô mulieris pudicitiam! ô decus incredibile & præter hanc unam, in omni vita inauditum.

Non exhorruere, impari Senes, minis, precibus: qua ſollicitare tantam virtutem; Non reveriti ſunt, nefandi, offerre ſtuprum matronæ integerrimæ; paſſique repulſam, in caput innocentis, crimen conferre, ô ſcelus, ô lutum, ô ſordes! ô libidinem effrœnatam & indomitam: & ô portentum, in ultimas terras emendandum!

Adulterii, inſimulatur Caſtitas: falſo circumventa teſtimonio, virtus opprimitur, nec declinare valet calumniæ laqueos. O patrii mores! ô leges divinæ! ô Jus! ô fas! ô tempora! Huccine omnia reciderunt! ô cæcitatem mortalium! ô fallaces hominum cogitationes! ô conſilia præpoſtera! *(a)* Illane Suſanna

(a) Dubitatio.

rea reducitur, cujus nuper eximia laus verſabatur in ore omnium? cujus pudorem, ad cœlũ exquiſitis encomiis efferebant (*b*) Id futurum putaſſes, Heroina inviĉtiſſima, cum adſpirantem virtuti tuæ, ſecundiſſimi rumoris auram videbas? cum honoris fruĉtum ampliſſimum referebas, magnis tuis debitum meritis? ô fallacem hominem ſpem! ô fortunam volucrem! ô inanes noſtras cogitationes (*c*) quæ in medio ſpatio ſœpe franguntur & corrunt & ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum aſpicere potuerunt! quam cito illa omnia, ex lætitia & voluptate, ad luĉtum & lacrymas defluxerunt.

(*d*) Sed quid hic exclamando, tempus conſumo? (*e*) Rapitus ad ſupplicium preſſa catenis, Caſtimoniæ viĉtima; ædibus ſe omnes effundunt: miſerantur affliĉtæ vicem: Suſanna tortoribus ſtipata, ereĉtis in cœlum oculis, viam ſignat imbre lachrymarum. O ſpeĉtaculum? non modo hominibus, ſed teĉtis ipſis & parietibus luĉtuoſum. (*f*) Proh Deus immortalis, cur in hominem celeribus maximi, aut connives; aut præſentis fraudis poënas, in tam longum tèmpus reſervas? (*g*) Imo, non reſervat ultra: liberatur innoxia? retexitur implicatum calumnia facinus execrabile: meritas, Senes impudici poënas luunt. O qui hæc legimus, ô nos beatos, ſi fuerimus hujus virtutis æmuli! ô conditionem

(*b*) *Apoſtrophe.* (*c*) *Allegoria* (*d*) *Correĉtio.* (*e*) *Hypotipoſis.* (*f*) *Apoſtrophe.* (*g*) *Correĉtio.*

tionem noſtram felicem! ô decus illuſtriſſimum! ô fortunatam vitæ rationem!

ARTICULUS III.
DE
AMPLIFICATIONE DIALECTICA.
PUNCTUM I.
DE
LOCO A GENERE.

GEnus quaſi prima radix atque ſtirps, quæ in plures dein ramos diſpergitur & ſicuti fons, qui in plures rivulos dilabitur. Ejusque loci uſus ut monet Balbinus de Amplificatione ſingularis eſt in exordiis, ut inde quaſi à capite per omnes corporis partes ad calces uſque & clauſulam ſermone decurramus e. g. ſi quis de divinis laudibus dicere inſtituens à Gratitudine exordium ducat, inſtitutique ſimul ſui rationem reddat h. m. Pium & laudes ſummi numinis celebrare, quoniam illi omnia quibus ornatiſſimus dona accepta referenda ſunt; Hoc verò gratitudinis eſt, quæ virtus unumquemque maximè decet. Illa autem ratiocinatio hoc ferè pacto poſſet deduci: Cum omnibus me virtutibus A. ornatum eſſe cupiam, tum id verò præcipuè appeto ut gratus ſim. Hæc enim eſt una non ſolum virtus magna ſed fons quoque & origo maximarum virtutum. Quid enim

pie-

pietas, niſi voluntas grata in parentes? qui ſunt boni cives, niſi qui Magiſtratus in civitatem merita gratamente agnoſcunt? qui optimi Imperatores, niſi qui fortitudinem Dei donum in piorum & patriæ defenſionem conferunt, Deoque ſoli victoriam adſcribunt? qui ſapientum celeberrimi, niſi qui à Deo in rebus cognoſcendis ingenium felix ſe accepiſſe teſtantur? qui diſcipuli denique maxime laudandi, niſi qui Deum rerum bene cæptarum autorem, beneque inſtitutarum Præceptores quoque ſuos venerantur & prædicant? Quis breviter ut dicam mortalium mente valet, qui non intelligat, quicquid ſumus, & quicquid erimus aliquando, eorum omnium bonorum, honorum & felicitatis fontem eſſe Deum, à quo ut cuncta profluunt, ſic in iſtud quoque nullis terminis concluſum mare omnia jure meritoque redire debere &c. Pariter Salluſtius bellum Catilinarium ſcribere ingrediens primum univerſæ illo tempore Reipubl. Romanæ faciem depingit; plurimique alii graviſſimi ſcriptores à generali quadam propoſitione in Commentationibus ſuis initium ducunt, & inde via quaſi declivi & prona ad propoſitum progrediuntur. Non in Exordiis verò ſolum; ſed & in reliquis orationis partibus ad principia ſua ſive ad ipſum genus rem revocare perſluam ſæpe utile eſt; præcipuè ſi verſemur in materia quadam ſterili, de ea enim ut nihilominus graviter & copioſe poſſimus dicere, ſæpe opus eſt ad ipſa rerum capita excurrere indeque rem deducere. Sic Iſocrates duabus laudationibus altera Buſiridis, altera Helenæ ad univerſales quaſdam propoſitio-

ſitiones deflectens Oratoris partes tuetur. In Exordio Sophiſtarum reprehenſionem , nec eam ſanè breviſſimam inſtituit , quod ad Helenam quidem parum pertinere videbatur. Deinde in rebus geſtis Theſæi, qui Helenam rapuerat, exponendis ſat longus eſt. Poſtea cum excuſaſſet Paridem magna viciſſim orationis pars in Pulchritudinis laude conſumitur. Sic & in Buſiride homine extremæ immanitatis, quippe qui non aut admittere hoſpites , aut eos occidere & immolare Diis conſueverat, cum vix laude quicquam dignum inveniret ; Ægyptum ubi condita urbe cognomine ſedem fixerat , ſatis ampliter celebrat , ſaltem ut his laudibus copia orationi accederet ; Inde etiam in Poetis reprehendendis , quæ indignè & turpia quædam de Diis narrarent admodum prolixus eſt. Ipſe quoque Cicero in Orat. pro Sext. Roſcio Amerino à n. 61. uſque ad 70. copioſe probat , vix eſſe credibile, filius quod eripuerit vitam patri, quoniam parricidium facinus quod ipſi naturæ repugnare videatur num. ſc. 63. idque probat præjudicio Terracinenſium n. num. 64. exemplo Poetico Oreſtis , aliiſque fabulis n. 66. Decretis Majorum , præſertim Athenienſium num. 69. Sapientia denique Romanorum, qui graviſſima in parricidas ſupplicia conſtituerint , num. 70. Pariter in Oratione pro Archia ut hunc Poëtam dignum oſtendat , qui juribus Civitatis Romanæ fruatur, in laudes Poëtarum excurrit, quod natura duce rex maximas ſummorum Imperatorum æternitati conſecrarint n. 15. animos ſapientiſſimorum elegantiſſima oratione ſua oblectent, n. 16. Ipſa

ſaxa

ſaxa & bruta animantia cantu poëtarum commota perhibeantur n. 19. Plurimi Imperatores bellici charos Poëtas habuerint n. 23. Ipſeque etiam Cicero amore ſingulari Archiæ afficiatur n. 28. Omne ferè etiam inventionum loci ad hanc ſufficiendam univerſalem naturam in Orationibus ſolent concurrere, primus eniam ad eam aſcenſus à ſingularibus ſive *partibus* eſt, e. g. ſ. d. in adoleſcentibus vix reperiri propoſiti conſtantiam; facilè hoc poteſt diduci per partes, quod modò ament, mopò oderint, jam mirentur aliquid mox id ipſum habeant deſpicatui &c. pronus viciſſim ad ſingularia deſcenſus, quibus univerſale confirmetur e. g. ſ. d. Commendandam præcipue virtutem, quod aleret fætus ſuæ dignitatis ubertimos & præſtantiſſimos. Virtutis enim laudibus ſimul continetur juſtitia, quæ ſuum cuique jus tribuit, quo ipſo regna & civitates cohærent inter ſe atque conſiſtunt: continetur fortitudo, quæ ad res arduas & difficiles ſuſcipiendas nullis deterretur periculis, ſed virtutis confirmatur laudibus: continetur temperantia, quæ animi commotionibus ita dominatur, ut laus decus & gloria conſequantur: continetur & prudentia hæc enim niſi gubernacula tractaret, è virtutis rectis maximeque devinctis vinculis quævis conſtringeret, omnia ad interitum ruerent &c. Illuſtrantur verò etiam univerſales propoſitiones à *Conſequentibus* ſ. effectis e. g. ſ. d. virtutem in rebus humanis eſſe ſummum bonum. Contemta enim virtute, quis locus foret juſtitiæ quis fortitudini, quis modeſtiæ, prudentiæ? His verò ſpretis & conculcatis

vir-

virtutibus, quæ rerum omnium humanarum futura eſt conditio? Nulla profectò reſpublica, nulla civitas quin nec familia ulla aut domus conſiſtet, ſi exilium virtus cogatur ſubire. Actum erit utique de fortunis noſtris, de liberis, de conjugibus & quicquid unquam charum mortales habent: quod ſi enim ingruat hoſtis, nemo res magnas, arduas, periculorumque plenas volet aggredi; ſed omnes domi ſedebunt, trepidi metu ex ſangues & fata ſua præſtolabuntur. Quin homines brutis videbimus deteriores; unusquisque pravæ ſuæ libidinis feretur impetu, nulla legum tenebitur reverentia, ſed furori ſuo morem gerens omne rectæ rationis Imperium excutiet. Item à *Comparatis* l. d. Ut aquilæ licet implumes cordibus tamen paſci debent, antequam quid cor ſit norint; nedum prædari poſſint, cum alis vix inde majoribus gaudeant: ſic quoque ad magna natos ſua ipſorummet indole ad virtutes extimulari, ut ab ortu in quid ſint geniti oſtendant &c. Cavendum verò ne nimis frequens illæ ad univerſalia aſcenſus fiat; quod ſi enim hoc alio quam peculiari ſuo inſtituto in congerendis ſc. Monitis politicis Antonius Gvevara in Horologio Principum feciſſet, habuiſſent utique quod culpari in eo jure potuiſſent obtrectatores illi quorum Balbinus Part. 1. Quæſ. Orat. 20. n. 3. p. 77. init. meminit. Quintilianus certè in Seneca lib. 10. Inſt. Orat. cap. 1. non dubitat hoc reprehendere, quod rerum pondera minutis ſententiis fregerit. Affectare hæc acumina in moralibus Heinricus Mülle-rus quibusdam viſus eſt; Hieronymus verò in Epiſt.

ad

ad Nepotianum de Clericorum vita cap. 9. Ne à me quæras pueriles declamationes, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia & per fines capitulorum ſingulorũ acua quædam, breviterq; concluſa, quæ clamores & plauſus excitant audientium. Subjicio in gratiam ſtudioſæ juventutis his præceptionibus exemplum è Joh. de la Cerda Campis Eloquentiæ, qui cum p. 251. ſeorſim quædam de Laurentij martyrio præmiſiſſet, in genere deinceps in laudem atque gloriam Martyrum, quibus cum eundem confert, ita excurrit. Oſtendi Laurentium ſc. agentem ex hoſte deterrimo triumphum clarum & glorioſum qui cum ex flammis his & cratibus inflammatis Martyris gloriam adepturus, in ſedes Beatarum celſiſſimas evolavit, quam nobis dignitatem, quam inclitam, quam honorificam, quam omnibus ornamentis redundantem oſtendit? Ille purpura fulgenti clariſſimus ſedem habet cum Sebaſtianis, cum ipſo Principe Martyrum celſiſſimo. Qui vero ſunt Chriſti Martyres alii, niſi Heroes Chriſtianæ Religionis, Principes cœleſtis aulæ glorioſi, & ex Magnatibus divinis atque cœleſtibus locum excelſum obtinent, in militante triumphantique Eccleſia? qui ſunt, niſi lumina terræ, cœlique clariſſima, quorum lux ſuppliciorum acerbitatibus magis nitere viſa eſt, & collucere clariſſime? Sic equidem Gedeone, & militibus hydrias in caſtra portantibus, ipſis multo fragore confractis, continuo latens & abditu lux fulgere viſa eſt: quæ luminum clare micantium conſpicua lux, quos alios potiſſimum, niſi Martyres præfert, divinæ claritatis magni-

magnitudine fulgentes. Contemplamini, quæſo, lucem, quam Beatus Stephanus Protomartyr lapidum grandine terrifica, nimboque concrepanti crudeliter appetitus & obrutus lucem clariſſimam diffudit, quid enim in honorifica lapidatione, tum maxime, cum magis ab hoſtibus Fidei per ſummam crudelitatem impeteretur, fecit? quæ verba invicto robore ac magnitudine animi proloqvutus? ô divinam lucem! ô cœleſtem amoris in proximos claritatem: pro ſe preces adhibet, ſtans, pro inimicis, in genua procumbens! Quis non ſeverum, vehementem, & atrocem putaret, animo ferreo & indomito ſanctiſſimum Stephanum id temporis, cum hoſtes Chriſti teterrimos, dura & indomita cervice, animis obſtinatis & pertinacibus auribus occluſis, divini ſpiritus ſanctiſſimis cogitationibus aditum obſtruentes, & tanti numinis ſanctitati reſiſtentes, ſimiles parentum ſuorum, ab omni pietate prorſus abhorrentium, feros & immanes appellavit? Cum parentum diritatem objiceret, cum pertinaciam & feritatem generis opponeret, cum eos ob facta crudelia majorum veſtigiis inſiſtentes repeteret & ingeminaret, nonne durus, inhumanus, ferreus mortalium oculis & judicio videretur? Nec non è Lib. 2. Joh. Micrælij de copia cap. 13. exemplum de Beneficiis Dei in humanum genus collatis quod per pleroſque hos locos deduxit. Sic verò ille pag. 137. *Translatio theſeos ad hypotheſin.* Quid dico de Dei beneficiis toti generi humano exhibitis? magnis quidem & multiplicibus

plicibus, ſed quæ nemo non facile agnoſcere & ſentire poteſt. Si vitæ meæ curriculum intueor, Deique beneficia in eo mihi præſtita, non niſi mihi ſoli cognita, conſidero, non poſſum non facere, quin extra me rapiar, & beneficentiam creatoris mei plenis buccis deprædicem. *Tranſlatio hypotheſeos ad theſin.* Deus quidem beneficiis nos affecit, quæ humana mente non comprehendi, nedum ore efferri poſſunt: ſed ejus beneficentia in nobis ſolum non terminatur. Quæ enim vel minima animalcula ab eo non ſunt pulcerrime exornata? quæ herbula non eſt peculiarem ſortita efficaciam? Si cœleſtia corpora contemplor; ſi elementorum quaternionem omnibus creaturis Deus immenſa videtur exhibuiſſe beneficia.

PUNCTUM II.

DE

LOCO A PARTIBUS.

Genus quodammodo totum, & ſpecies ejus partes; quod ſi verò quodcunque dividit atque dividitur propter communitatem ad inferiora generis; hæc verò ſpecierum aut partium habere rationem exiſtimaveris, connexio hujus loci cum præcedente tanto erit apertior. Cæterum non una eſt partium enumeratio. Aliquando enim fit prorſus *omiſſo univerſo* quod dividendum fuerat e. g. quando Cicero 1. Tuſcul. num. 10. oſtendere cupit, non eſſe cur poſt mortem Inferos metuamus, eam verò propoſitionem prætermittit, & ad partes ſtatim inferos Cerberus

rus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento ſummam aquam attingens ſiti enectus Tantalus? num illud quod Siſyphus verſat Saxum ſudans intendo, neque proficit hilum? Fortaſſe etiam inexorabiles judices Minos & Rhadamanthus, apud quos nec te L. Craſſus defendet, nec M. Antonius, nec quoniam ap. Græcos Judices res agetur, poteris adbibere Demoſthenem. Tibi ipſi pro te erit in maxima corona cauſa dicenda. Hæc fortaſſe metuis, & idcirco mortem cenſes ſempiternum eſſe malum. Interdum *totum præmittitur* e. g. ap. Horat. Lib. 1. Od. 12. cujus propoſitio, In celebrandis Romanorum heroibus præcipuum eſſe Auguſtum, ad quem quaſi dubitando recenſitis eorum plerisque delabitur. Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibi ſummis celebrare Clio, quem Deum? mox: Quid prius dicam ſolitis parentis laudibus? Qui res hominum ac deorum. Qui mare & terras variisque mundum Temperat horis. Unde nil majus generatur ipſo, Nec viget quicquam ſimile aut ſecundum; Proximos illi tamen occupavit Pallas honores. Præliis audax neque te ſilebo Liber: & ſævis inimica virgo Belluis: nec te metuende certa Phœbe ſagitta. Dicam & Alcidem Pueroſque Ledæ &c. Romulum poſt hos prius, an quietum Pompili regnum memorem: an ſuperbos Tarquini faſces, dubito an Catonis nobile letum. Reguſum & ſcauros, animæque magnæ Paradiſum Paullum ſuperante Pæno, Gratus inſigni referam Camæna Fabriciumque. Hunc & incomptis Curium capillis utilem bello tulit & Camillum ſæva

paupertas & avitus apto cum lare fundus. Inde Auguſto Cæſari Poeta Marcellum generum ac nepotem gratulatur: Creſcit occulto velut arbor ævo Fama Marcelli, micat inter omnes Julium ſydus velut inter ignes Luna minores. Sic quoque ap. Senecam in Troad. Act. 3. Sollicitæ Troades quæ capta exciſaque patria in hoſtium poteſtatem devenerant, quo aſportandæ terrarum & ſibi quem quæque exilii atque captivitatis ſuæ larem habitura eſſet, primum indefinitè quærunt: Quæ vocat ſedes habitanda captas? Deinde varias urbes & regiones recenſet: Theſſali montes & opaca Tempe? An viros tellus dare militares Aptior Phtie? Meliorque fœtu Fortis armenti lapidoſa Trachin? An maris vaſti domitrix Jolcos urbibus centum ſpatioſa Creta? Parva Gortyne, ſterilisque Tricce? An freqvens Ruſcis levibus Mothone? Tandem nullum horum locorum deprecantur, modò ne Spartæ (ob Helenam) Argis Mycenisque (ob Agamemnonem) tum apud Neriton Ithacamque (ob Ulyſſem; his enim excidium patriæ imputabat) includi contingat? Quolibet triſtis miſeras procella Mittat & donet cuicunque terræ: Dum luem tantam Trojæ atque Achivis, Quæ tulit, Spartæ, procul abſit: abſit Argos, & ſævi Pelopis Mycenæ, Neritos parva brevior Zacyntho, Et nocens ſaxis Ithace doloſis &c. Nonnunquam recenſitis primum partibus *univerſum* denique *ſubjungitur*: ut ap. Cicer. Philipp. II. Horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſit. Item Claudianus de quarto Conſula-

ſulatu Honorij v. 387. vos impacatus Araxes vos celer Euphrates timeat: ſit Nilus ubique veſter, & emiſſo quicquid ſol imbuit ortu. Denique Horatius & ſingulorum etiam inter præcipuos interitu colligit, omnibus moriendum eſſe; mox verò viciſſim, aliquot vitæ humanæ genera percurrit, & nulli tandem mortem parcere concludit Lib. 1. Od. 28. Prioris membri hæc verba ſunt: Occidit & Pelopis genitor conviva Deorum: Tithonusque remotus in auras, Et Jovis arcanis admiſſus, habentque Tartara Panthoiden iterum orco demiſſum &c. Sed omnes una manet nox & calcanda ſemel via lethi. Poſterioris verò: Dant alios Furiæ torvo ſpectacula Marti. Exitio eſt avidis mare nautis. Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera, nullum ſæva caput Proſerpina fugit. Optima ex his ratio eſt, quando poſitò toto ordine ſuo ſi non omnes præcipuæ tamen partes enumerantur; præcipue quæ ad rem præſentem potiſſimum pertinent, aut eam vel maxime poſſunt illuſtrare. Singula enim cuncta conſectari nimis operoſum, & levicula quoque putidum eſt, præcipuè in graviore argumento. *Deſcenſus* autem ille vel *per affirmationem* fieri poteſt, ut ap. Gregor. Nazianzenum Orat. in Baſilij Magni laudem habita: Quod diſciplinæ genus, in quo ille verſatus non ſit, atque ita eximiè verſatus, quaſi in illo ſolo laboràſſet? ſic nimirùm omnia eſt complexus, ut ne unum quidem quiſquam ſingula, rurſus ita ad ſummum, quaſi nihil præterea aliud didiciſſet. Ad ingenii enim acrimoniam ſtudium accedebat, ex

quibus imperium artibus ſcientiisque comparatur. Qui cum celeritate naturæ propter laborem & contentionem minimè opus haberet; ſic tamen utrumque conjunxerat, ut non ſatis liqueret, utro nomine eſſet admirabilior. Quis in Rhetorica illa inquam vim ignis ſpirante cum eo comparandus, tametſi illius mores à Rhetorum moribus diſſiderent. Quis in Grammatica quæ linguarum ad Græciſmum format, hiſtorias colligit, metris præeſt, carminibus leges præſcribit. Quis in Philoſophia, excelſa procul dubio ſcientia & ſurſum gradiente, ſive eam partem ſpectes quæ in actione & ſpeculatione poſita eſt; ſive eam, quæ in logicis demonſtrationibus, aut appoſitionibus, aut concertationibus verſatur, quam Dialecticam vocant, in qua adeo excelluit, ut iis, qui cum eo diſputabant, facilius eſſet, ſeſe extricare ex Labyrinthis, quam argumentorum ejus laqueos effugere, ſi quando res ita poſtularet. Jam verò Aſtronomiam, Geometriam; Numerorum proportiones hactenus didiciſſe contentus, ut non ab iis qui ejusmodi, rebus eruditi ſunt, exagitaretur; Quicquid ſupererat, ut pietatis cultoribus in frugiferum contemſit: adeo, ut & quod elegit magis admirari & prædicare liceat, quam quod reliquit: vel *per negationem*, quale exemplum legitur ap. Melch. de la Cerda in Camp. eloq. part. I. pag. 113. Nego in latina lingua tam copioſa tam ornata facultate, tot floſculis, tot ornamentis oratoriis abundante, ullam vim Oratoris, ullam exquiſitum dicendi genus & Ciceronianum fuiſſe; nego quicquam ex politioribus literis & Hi-

Hiſtoriarum annalibus depromtum : ullam Ebræicæ aut Græcæ linguæ aut Philoſophiæ etiam cognitionem, quin perceperit: Nec in Matheſi, nec in Arithmetica, nec in Muſicis, nec in Theologia quicquam tam abſtruſum reperietur, quod ſcientiam illius fugiat &c. Pariter ap. Franciſc. Pomey in Progymn. 3. p. 198. ubi deſcribit Adoleſcentem captum & integrum Lectiſſimum hunc Adoleſcentem non ingenita huic ætati levitas, à ſuſcepto vitæ conſilio revocavit; non improborum ſodalium blanditiæ, ad voluptates: non locum in quibus dedit, amoënitas, ad delectationem, non majorum nobilitas, ad ambitionem; non corporis, ingeniique præſtantia, ad arrogantiam; non aliorum impuritas, ad libidinem; non amicorum convictus, ad compotationes intempeſtivas; non denique ſumma rerum omnium affluentia, ad aliquod probrum, infamiamq; detraxit. Vel *utraque forma*, ut ap. eund. pag. ſeq. quando virum depingit omni virtute præditum. Eminet in hoc homine, altitudo animi, in condonandis offenſis, in liberali gratificandi voluntate, in deteſtandis avaritiæ ſordibus, & malorum omnium ſeminario, cupiditate; neglectiſque propriis emolumentis & commodis, totum ſe ad aliorum ſalutem, magnifico, excelſoque animo explicat. Cernitur in capeſſendis rebus arduis, magnitudo mentis; in rimandis negotiorum viis, perveſtigandiſque quam aptiſſimis, mira ſagacitas; in gerendis, acre conſilium; in perſequendis, ſummas inter difficultates, ad extremum uſque conſtantia? Nihilque eſt, quod aut non alio

 que-

quodam agrediatur animo, aut cautiſſimis conſiliis adminiſtret, aut ſtrenuo labore perficiat; vir plane interritus periculis, infractus malis, invictus adverſis, calamitatibus inexpugnabilis; ad labores impiger; ad pericula fortis, ad conſilia prudens, ad caſum fortunamque felix. Ipſas porro quod ſpectat *partes in quas diſtributio fieri ſolet*, plurium eædem generum ſunt e. g. *vel nationes & perſonæ* e. g. quando ap. Melchiorem de la Cerda loc. cit. pag. 249. lugetur mors Johannis ab Auſtria: Lugent Hiſpani; quorum ſedibus patriis natus fuit: lugent Granatenſes, à quorum cervicibus gladios Agarenorum hoſtiles & impios depulit: lugent Itali, cujus fortitudine & felicitate ſuperatam Turcarum claſſem & majore quidem ex parte ſubmerſam & obrutam, urbibus & provinciis propinquioribus imminentem recordantur: lugent Flandri, quo Imperatore impetus hoſtium retardatus, tot victorias reportatas nunquam obliviſcentur: Lugent Heroës & principes Hiſpaniarum, quando decus & lumen Hiſpaniæ tam præter opinionem & ſubito extinctum cogitant &c. vel *cauſæ* ap. eund pag. 106. Nihil illum juventutis flos, nihil bona valetudo, nihil corporis vires, nihil nobilitas generis, nihil opus neque divitiæ, ut vitam prorogaret ad ſenectutem: quid ſenectutem dico? ad pauciſſimos ſolum dies produceret, vel *effecta* ap. eund. p. 103. in laudib. Ciceronis: Hic à principio ſuorum ſtudiorum atque eloquentiæ ab omni ratione ſuorum commodorum mentem ſuam ad Romanum nomen contulit: Hic cum conjuratorum manus evertere

Rem-

Remp, vellet, è civitate eos ejicit, partem quoque in carceres compegit. Extremo denique ſupplicio mulctavit; hic coactas Manlij copias diſſipavit, & eloquentiæ ſuæ fulminibus Catilinam Senatu abire coegit. Teſtantur mœnia, delubra, domus Reſpubl. univerſa, à ferro, flamma & vaſtitate, ſola voce & conſilio Ciceronis liberata &c. vel *adjuncta* ap. eund. pag. 88. ubi in proditorem Judam invehitur: Eſt crimen perfidiæ in Dominum & Doctorem quem hoſtibus tradidit: eſt crimen crudelitatis, quando mitiſſimum agnum belluis iſtis immaniſſimis dilaniandum diſcerpendumq; objecit: eſt crimen impietatis, quoniam ſervus Dominum, & diſcipulus doctorem inimicis prodidit: eſt crimen læſæ majeſtatis, quod Regem Regum Dominum dominantium, non veritus eſt in manus tradere impuriſſimorum judæorũ&c. Iterumq; in gratiam ſtudioſæ juventutis ſubnectimus exemplum hujus loci ſcitè adhibiti ab Edmundo Campiano in Orat. de juvene Academ. pag. 285. Videte (ait) nunc illum à prima pueritia uſque ad hunc diem in virtutibus & literis progredientem, Poëtam, qui amatoria nunquam cecinerat, nunquam legerat, in cæteris, quæ conducibilia fuerunt Majeſtatem Virgilij, feſtivitatem Ovidij, Horatij numeros, Senecæ cothurnos expreſſerat: Oratorem qui pro re & cauſa ornatiſſimè poterat Auditores ſermonis dulcedine titillare, vel diſploſis affectibus percellere, vel amplitudine rerum obſtupefacere, vel ſubtilitate conſtringere: Hiſtoricum, qui Geographiam & Chronologiam Hiſtoriæ duos oculos exactiſſimè tenens, faciem totius orbis terræ ab

origine mundi & omnium Monarchiarum, rerumque publicarum initià, progreſſus, viciſſitudines, tanquam uno intuitu comprehenderat; Græcè doctum, qui ſuavius & ſecurius veterem illam ſapientiam & fontes Atticos epotaverat: Dialecticum, qui pulcherrima & argutiſſima ſenſa, quaſi digitis articulatim ponderans & ſua diſtinguere, & aliena librare, & omnia quæ tracta bantur, illuminare conſueverat. Philoſophum, qui totius naturæ venas intimas & viſcera penetraverat: Mathematicum, cui cælum ac terra, tanqnam libellus patuerat, ingenio valentiſſimum, ſermone vernaculo copioſum, voce geſtuque peregregium. Corpore ſolido & ſucculento, cæteriſque quas antea perſtrinxeram dotibus affluentem; denique quod caput eſt, fide, maturitate, modeſtia, & omni charitatis officio conſtantiſſimum. Addo huic pro inſtituti ratione viciſſim exemplum è Joh. Michælij de copia Lib. 2. cap. 8. pag 210. & ſeq. *diſtributio & enumeratio partium.* Conſideranti mihi beneficia à DEo, ter Opt. max. in genus humanum collata, tanta & tam varia ea eſſe videntur, ut in iis recenſendis oratio deficiat. ſi intueor fabricam noſtri corporis, ſi animi vires, ſi pulchritudinem totius mundi, quem noſtro uſui ſuprema poteſtas deſtinavit: ſuperat gratiæ divinæ magnitudo linguæ facundiam. Quis dedit oculis noſtris vim iſtam, ut tot rerum ſpecies in ſe recipiant, & uno momento vaſtum iſtud ſpatium penetrent, aſtraque remotiſſima intueantur? Quis linguam tot vocum articulos tam ſuaviter pronunciare, eoſque omnes aurem imbibere & judicare do-

docuit ? Quicquid agilitas manuum, quicquid celeritas pedum, quicquid lacertorum robur poteſt, id omne à DEo eſt: ſine quo nec ventriculus tot crudos cibos concoquit, nec hepar tam ſubtilem ſanguinem conficit, nec cor vitæ, cerebrumq; motui tam agiles ſuppeditat ſpiritus. Ille mentem memoria tenaci, judicio ſubtili, ſagacitate divina inſtruit. Ille certo affectuum impetu voluntatem armat,ut mala odiſſe, timere,refugere; bona vero amare, appetere & proſequi poſſit. Ille nos totius mundi theatri Dominos conſtituit, ut nobis coëlum volvatur, aſtra oriantur & occidant, venti ſpirent,nubes pluviam deſtillent, terra germinet,animalia vivant,&omnes creaturæ ſub noſtrum jugum colla quaſi ſubmittant. Magna ſunt hæc Dei beneficia: ſed majora ſunt, quæ per ſpiritum S. in filio unigenito,pro nobis incarnato & crucifixo,miſeris peccatoribus exhibuit, & in vita, quam pii in futuro ſeculo victuri ſunt exhibiturus eſt. *Conglobatio.* Dat nobit ſanitatem, ne vires in officiis obeundis deſint: vita nos beat longæva, ne prius deſinamus,quam coëpimus vivere: opibus variis nos inſtruit ne deſit victus,ne amictus: ut honeſta & utilia quæramus, artibus ſapientiæ nos inſtruit: ut procul omni miſeria ſimus, æternum nos beare conſtituit. *Incrementum.* Ingens eſt gratiæ indicium, hominem qui nihil erat, condere; majus, ejus pedibus omnes creaturas ſubjicere; maximum, lapſum & morti ſubjectum per mortem filii Dei unigeniti redimere: quid dicam ſi è pulvere terræ reſuſcitatus,angelis conformis,in æterna gaudia collocetur, ut immarceſcibi-

li

li corona ornatus, DEi faciem perpetuo intueatur? Ecce immenſa DEi beneficia in homines collata.

PUNCTUM III.

DE

LOCO A CAUSIS.

Cauſarum nomen juxta ad rem ipſam plerique facilius è vulgari hominum loquendi conſuetudine quam Philoſophorum ſollicite deſcripta influendi ratione intelligunt. Uſus verò ejusdem in explicandis iis quæ dicimus adeo frequens, ut vim illius præſtet quam notionis rationem pluribus perſequi. In iis autem adducendis vel *affirmando* progredimur, afferendo ſc. cauſas cur aliquid factum putetur e.g. Cic. in Orat. pro Sext. Roſc. Amer. n. 86. In hac cauſa cum videre (ſc. L. Caſſius) illos ampliſſimam pecuniam poſſidere, hunc in ſumma mendicitate eſſe, illud quidem non quærere, cui bono fuiſſet, ſed eo perſpicuum crimen, & ſuspicionem potius ad prædam adjungeret, quam ad egeſtatem. Quid ſi accedit, eodem ut tenuis ante fueris? (Titum Roſcium Capitonem alloquitur) quid ſi ut avarus? quid ſi ut audax? quid ſi ut illius, qui occiſus eſt, inimiciſſimus? num quærenda cauſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit. Quid ergo horum negari poteſt! Tenuitas hominis ejuſmodi eſt, ut diſſimulari non queat; atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. Avaritiam præfers, qui ſocietatem inieris de municipis cognatique bonis, cum alieniſſimo, Quam

ſis

ſis audax (ut alia obliviſcar hinc omnes intelligere potuerunt; quod ex tota ſocietate h. e. ex tot ſicariis ſolus tu inventus es, qui cum accuſatoribus ſederes; atque os tuum non modò oſtenderes, ſed etiam offerres: Inimicitias tibi fuiſſe cum Sext. Roſcio, & magnas rei familiaris controverſias concedas neceſſe eſt &c. vel *negando*, cujus formæ duplex in eadem Oratione exemplum occurrit. Unum quidem, quando cauſæ afferuntur, quæ niſi adfuiſſe probentur, vix credibile facinus videatur nim. num, 68. Hæc magnitudo maleficii facit, ut niſi pene manifeſtum parricidium proferatur, credibile non ſit; niſi turpis adoleſcentia, niſi omnibus flagitiis vita inquinata, niſi ſumtus effuſi cum probro atque dedecore niſi prorupta audacia, niſi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab inſania. Accedat huc oportet odium parentis, animadverſionis paternæ metus, amici improbi, ſervi conſcij, tempus idoneum, locus opportune aptus ad rem penè dicam reſperſas manus ſanguine paterno judices videant oportet; ſi tantum facinus, tam immane tam acerbum credituri ſint &c. Alterum vero n. 37. ubi oſtendit, nihil horum omnium in Sext. Roſcium conferri poſſe: Patrem occidit Sext. Roſcius. Qui homo? Adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? Annos natus magis quadraginta. Vetus ſc. ſicarius, homo audax, & ſæpe in cæde verſatus. At hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimirum & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc ſce-

ſcelus impulerunt ? de Luxuria purgavit Eerucias, cum dixit hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuiſſe. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro quæ poſſunt eſſe in eo, qui (ut ipſe accuſator objecit) ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit. Vel denique per *oppoſitionem* eas ſc. afferendo cauſas, quibus effectus debeat tribui, & removendo contra illas, quæ nihil ad rem contulerint, e g. Plin. in Paneg. ad Traj, cap. 5. init. Talem eſſe oportuit Principem, quem non bella civilia, nec armis oppreſſa Reſpublica: ſed pax et adoptio, & tandem exerata terris numina dediſſent. Latinius quoque Pacatus de Theodoſio cap, 12. Solus igitur Auguſte, ſolus inquam omnium, qui adhuc imperarunt, ut Princeps [verus atque legitimus] eſſes, præſtitiſti. Alios enim legionum ſuffragia, alios vacans aula, alios affinitas Regia impoſuere Reipublicæ. Te nec ambitus, nec occaſio nec propinquitas Principem creaverunt. Nam & eras à familia imperatoris alienus, & adſciſcebaris tertius & cogebaris invitus. Sic & Virgil. lib. 1. Æn. v. 530. præoccupans illa quæ à Didone objici poterant: Parce pio generi, & propius res aſpice noſtras. Non nos aut ferro Libycos populare penates venimus, aut raptas ad littora vertere prædas, Non ea vis animo; nec tanta ſuperbia victis. Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt &c. Huc curſus fiat viciſſim ap. eund. 2. Æn. v. 601. Venus ad Æneam: Non tibi Tyndaridis facies inviſa Lacænæ culpatusve Paris: verum in clementia Divum Has evertit opes, ſternitque à culmine Trojam. Denique &

& Horatius lib. 1. Epiſt. 8 quæ eſt ad Celſum Albinovanum, ægritudinis ſuæ cauſam circa initium ex poſiturus, primo removet non genuinas: ſi quærat quid agam, dic multa ac pulchra minantem vivere nec redè, nec ſuaviter; haud quia grando contuderit vites, oleamque momorderit æſtus: Nec quia longinquis, armentum ægrotat in arvis [ſubjicit deinde veras] ſed quia mente minus validus, quam corpore toto Nil audire velim, nil diſcere quod levet ægrum Fidis offendar Medicis &c. Etſi vero exempla effingi, vel produci etiam aliorum in medium poſſunt, quibus *omnia quatuor cauſarum genera* contineantur quale illud eſt Buchneri in laudem artificioſæ cujuſdam picturæ: O manum argutam. O divinum ingenium artificis? Quemquamne induſtriâ ſtûdioque eò proficere poſſe credibile eſt, ut capta tabula, eaque non magna, paucis coloribus ſcite temperatis ac miſtis, vel univerſam naturâ provocare audeat, & experiri, utrũ ne illa creando formas varias: an imitando ipſe defatigari citius queat? Alibi homines alibi beſtias cernimus; atq; has quidem, ut formidemus quodam modo; illos autem, ut vocem propemodum atque ſermonem ab iis expectemus. Quid cælum, quid cana fluctibus maria memorem? quid fontes & ſylvas, & cælo minantia culmina, heic conſita vitibus, illic frondoſis arboribus conveſtita, vel ſoli aperta? Quotusquiſque hæc intuetur & ſpectat, qui non hîc artem magis quam ipſam naturam admiretur, atque in ſimulato plus voluptatis, quàm vero ipſo inveniat? &c. Potiſſimum tamen orator efficientes, maximè vero omnium

um finales adhibere ſolet. *Efficientem* quidem *cum forma* quadantenus junxit in prædicandis cujusdam laudibus Melchior de la Cerda in Campis port. 1.pag. 69. cum parentum tuorum præſtantiam cum illorum in rebus gerendis conſilium & prudentiam ſingularem & tantam ſui nominis in hac civitate memoriam relictam recordor, perſpicio id, quod omnes jure optimo dabunt, te ad veram parentis ſimilitudinem expreſſum, ut qui te noverit, te viderit, parentes tuos non deſideret. Ita in oculis, in ore tuo, in gravitate, in ſtatu & inceſſu, in omni motu corporis, cum appoſita ad rempublicam gubernandam dignitate, & quod caput eſt, in actionibus vitæ præclariſſimis, in conſervanda tuendaque republica, in omni procuratione muneris publici, cum integritate maxima ſine fuco ullo, vel pigmentis vanæ ſimulationis, parentum vivam effigiem ante oculos civium viſendam ſpectandamque propoſuiſti. Sic tibi honorificum eſt, parentibus natum fuiſſe clariſſimis, & cunctorum ſermonibus laudatiſſimis &c. *Formam* & *finem* ſociavit idem pag. 4. Eſt certe quod omni ſtudio virtutem conſectere, illiusque cauſa plurimos labores, quin & pericula ſubeas. Cum in rem omnium pulchêrrimam præſtantiſſimamque mentis aciem intendas, neque magis egregia forma ac figura præditum cujuscunque pulchritudinis humanæ decus in animo poſſit inſidere; quæ in habitum atque formam cæleſtem immortalitatis ſplendore circumfuſa, reſpiciens in ſeculorum omnium æternitates, trophæis monumentisque, de carne, mundo, Dæmone ſtatutis viſen-

dam ſe ſpectandamque præbeat, omnium cælitum inſignibus decorata clariſſimis &c. Idem pag. præced. *ex uno ſimplici fine* ſub perſona Ciceronis Catilinam admonentis hoc exemplum proponit. Si Senatores in te omnes, ſi populus Romanus, ſi Conſul ipſe, ſi cuncti Magiſtratus, ſi boni omnes in te Catilina excubias & vigilias agunt: ſi parati ſunt pro patria mori, ſi te ex urbe ejicere, ſi ſentinam tuorum ex haurire: quid expectas? Muta iſtam mentem, obliviſcere cædis atque incendiorum; neque enim plus unius improbi & ſociorum ſceleſtiſſimorum conatus, ad patriæ perniciem, quam Conſulum, quam Magiſtratuum, quam bonorum omnium præſidia ad ejusdem ſalutem poterunt, *ex Multiplici* Ibid. ſin Romani ludos gladiatorios ſive ad timorem militibus adimendum, ſive ad feritatem Martis oſtendendam, ſive ad oblectandos ſpectatorum animos, ſive ad vulnera ſanguinemque manantem, atque adeo ad mortem contemnendam, quin & ad nominis ſui memoriam conſecrarunt &c. Subjiciam ex eodem Autore pag. 13. in ſtudioſæ juventutis gratiam brevem quandam ſuaſionem ad eloquentiam: Equidem ad Theologiam artes atque diſciplinas omnes, ad omnem ſermonis elegantiam & Orationis ornatum tantum valere debuit vis ipſa, facultasq; dicendi, ut cum tota id ſpectet, quo plurimarum artium ac diſciplinarum opes atque theſauros reconditos expromere, inque lucem proferre valeamus, in omni publico privatoque negotio doctrinæ principatum obtineamus, unusquisque operam ei navet: Cum verò id quoque præ-

T ſtet,

ſtet, ut jacere in fidei hoſtes fulmina queamus, & auditores undecunque velimus deducere, & quocunque libet, impellere, omnem ſermonem noſtrum luminibus ſententiarum illuſtrare; & dictione ex artis præſcripto quodcunque honeſtum judicaverimus perſuadere, hoc magis ſacrarum literarum ſtudioſi operam ei præcipuam impendent. Et *vituperationem* eorum qui inutiliter opes ſuas profundunt Quod ſi illi reprehendendi, qui pecunias ad ludos ad inanes ſumtus ad libidines ſuas implendas, ad hujuſce ſeculi jactationem ſuperbiſſimam conceſſas ſibi à ſummo numine & relictas à majoribus exiſtimant: neque cogitant, ad familiam alendam, ad virtutis exercitia, ad charitatis obeunda munera illas ſibi à Deo optimo maximo eſſe tributas: hoc magis vituperandi ſunt illi, qui domos ornant aulæis, abacos auro argentoque cælato, lectos periſtromatibus & conopæis bombicinis, equis pulcherrimè ſtratis inſident, mediamque urbem lecticis & quadrijugis fragore horribili concrepantibus percurrunt: nunquam niſi prætereuntium & conſequentium famulorum grege ſtipati prodeunt in publicum, convivia magnificè inſtruunt & ludos præbent apparatiſſimos; neque animadvertunt, hanc inſanam profuſionem opum eò ſpectare, ut breviſſimo tempore patrimonia ſua diſſipent, rem familiarem exhauriant, æs alienum grande contrahant, miſeram tandem & ærumnoſam vitam agant. Denique è Micrælio quoque excerpenda ſunt, quibus propoſitionem de beneficiis Dei humano generi exhibitis ex hoc cauſarum fonte latius diducit cap. 10.

pag.

pag 221. & ſeq. Cum omne bonum ſit ſui quaſi prodigum ſuoque bonitatis fonte multos alios irrigare ſoleat. Deus optimus ſemet ipſum quoque humano generi communicavit; motus quidem noſtra quidem miſeria; imprimis verò immenſa ſua gratia, qua unigenitum filium in carnem miſit, ut pro nobis juſtitiæ divinæ ſatisfaceret, genusque humanum ab æterna morte liberaret.

PUNCTUM IV.
DE
LOCO AB EFFECTIS.

HIc locus, ut ait Cicero in Topicis ſuppeditare ſolet Oratoribus & Poetis ſæpe & Philoſophis, ſed iis præcipuè, qui ornatè & copioſè loqui poſſunt, mirabilē copiā dicendi, cum denunciant, quid ex quaq; re ſit futurum; Tam itaque quæ ab aliqua re ut cauſa proficiſcuntur, quam eandem ut principium ſolummodo aliquod conſeqvuntur, effectuum, nomine intelligit. Illius viciſſim uſus tam in *affirmando* eſt e. g. ap. Cicer. pro Milone n. 37. Itaque quando poſtea ſica illa (ſc. Catilina) quam à Catilina acceperat conquievit? hæc intentata nobis eſt: huic ego vos objici pro me non ſum paſſus; hæc niſi diata Pompejo eſt: hæc iſtam Appiam viam, monumentum ſui nominis, nece Papirij cruentavit: eadem longo intervallo converſa rurſus eſt in me: nuper quidem ut ſcitis, me ad regiam pene confecit &c. Et pro Sextio n. 54. Omitto gratulationes epulas, direptionem ærarij

beneficia, ſpem, promiſſa, prædam, lætitiam paucorum in luctu omnium: vexabatur uxor mea; liberi ad necem quærebantur; gener & Piſo gener à Piſonis Conſulis pedibus ſupplex rejiciebatur, bona diripiebantur, eaque ad conſules deferebantur, domus ardebat, in Palatio conſules epulabantur. Quam *negando* Cic. Catil. 2. num. 1. med. Abiit (ſc. Catilina) exceſſit, evaſit, erupit. Nulla jam pernicies à monſtro illo atque prodigio mænibus ipſis comparabitur &c. non jam inter latera noſtra ſica illa verſabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domeſticos parietes pertimeſcemus &c. Ap. Livium quoque Lib. 26. Vibius Virius ad ſuos Campanos, ne ſe Romanis dedant: Cruciatus, contumeliasque, quas ſperat hoſtis, dum liber, dum mei potens ſum, effugere morte præterquam honeſta, etiam leni poſſum. Non videbo Appium Claudium & Q. Fulvium victoria inſolenti ſubnixos: neque vinctus per urbem Romam, triumphi ſpectaculum trahar, ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, cervicem ſecuri Romanæ ſubjiciam; nec dirui incendique patriam videbo: nec rapi ad ſtuprum matronas Campaniæ, virginesque & ingenuos pueros. Melchior etiam de la Cerda in campis, in laudem Eloquentiæ p. 183. Si hæc ars benedicendi non excolatur, profectò nulla unquam aliarum facultatum doctrinarumque divitiis poteſtas dabitur; non Medicina vigere: non Juriſperitia jactare ſeſe ſuis tribunalibus; non ſacra Theologia contra hoſtes fidei, viribus orationis deſtituta, tela contorque

quebit &c. Eſt verò frequentiſſimus *uſus* hujus loci, cum ad laudes, tum ad vituperia. *Ad laudes* quidem ut ap. Cicer. 1. Tuſcul. Philoſophia verò omnium mater artium, quid eſt aliud, niſi ut Plato ait donum: ut ego, inventum Deorum? Hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate; tum ad modeſtiam magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo, tanquam ab oculis, caliginem depulit, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media videremus &c. Oratione etiam pro Archia num. 16. Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernectant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Etiam in Orat. pro Manilia lege, quæ in laudes Pompei dicta pag. 61. Quid tam novum quàm adoleſcentem privatum difficili Reipubl. tempore exercitum confeciſſe? confecit. Huic præeſſe? præfuit. Rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid verò tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare? At eam quoque rem populus Rom. non modò vidit: ſed & omni ſtudio viſendam putavit &c. Cæſaris quoque Auguſti deſideratiſſimum adventum Horatius mirificè axaggerat atque amplificat ejus laudes Horatius Lib. 4. Od. 5. Divis orte bonis, optime Romulæ Cuſtos gentis, abes jam nimium diu. Maturum reditum pollicitus patrum ſancto concilio redi. Lucem redde tuæ Dux bene patriæ Inſtar veris enim vultus ubi tuus Affulſit populo, gratior id dies, & ſoles me-

lius nitent, &c. Deſideriis ita fidelibus quærit patria Cæſarem. Tutus bos etenim rura perambulat: Nutrit rura Ceres, almaque fauſtitas: Pacatum volitant per mare navitæ: culpare metuit fides &c. Condit quiſque diem collibus in ſuis: Et vitem viduas ducit ad arbores: Hinc ad vina redit lætus & alterius te menſis adhibet Deum. Te multa prece Te proſequitur mero Defuſo pateris & laribus tuum miſcet numen &c. Virgilius ad eundem ferè modum felicia quæ ominatur, deſcribit tempora Ecl. 4. Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas, Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus mutavit merces? omnis feret omnia tellus. Non raſtros patietur humus, non vinea falcem: Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator; Nec varios diſcet mentiri lama colores; Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti Murice jam croceo mutabit vellera luto Sponte ſua ſandix paſcentes veſti & agnos &c. denique Melchior de la Cerda pariter ab effectis amœnitatem veris depingit Lib. 1. Campor. pag. 37. Quid eſt tam amænum, quàm ver ipſum, quo non modo ii quibus natura ſenſum dedit; ſed etiam tecta atque parietes lætari videntur? Quid tam jucundum, quam tempus iſtud, quo non modò homines; ſed bruta ipſa exhilarari atque geſtire videntur quid tam lætum, quàm verni temporis amœnitas? quod ita lætum eſt, ut ſummi medii & infimi homines illud inire magnopere cupiant, ut auram ſalutarem, & viriditates omnes, & veſtitus agrorum & cæteras amænitates habendas captandasque curent? Ad *vituperia* autem Avari & Immiſericordis ſcilicet

pag.

pag. 35. in fin. An tu eras Chriſtianus, cum in platea pauperes clamitabant, non communi morte: ſed intoleranda fame pereuntes te ſedente pro foribus tuis in ſella diductis cruribus? Eo quando in hac urbe major unquam fames fuit, cui divites non ſuccurrerent, horreis præſertim ſuis omnis generis frumento completis? At tu illo ipſo tempore palam omnibus audientibus pauperum miſerias & voces aſpernabaris, atque alteram portam, poſticum ſcilcet, aperueras ad triticum cariſſimo pretio venditum occulte, efferendum. An verò toto illo tempore quiſquam te granum frumenti niſi pecunia grandi vendentem aſpexit? quiſquam dico etiam panem extorſit? quiſquam depoſcens opem tuam famem aliqua ex parte levavit? Nominandus eſt ille annus ad ignominiam tuam. In civitate cum ſumma caritas eſſet & inopia rei frumentariæ, neque frumentum alicunde importaretut, neque in urbe propter inopiam veniret, peribant pauperes fame enecati reperiebantur, neque tu in tanta miſeria opem & auxilium cuiquam tuliſti &c. Atque ibidem in med. diſcipuli petulantis. Non tu nefariis in hoc Gymnaſio ſceleribus admiſſis in perpetuum tibi ad iſtud reditum præcluſeras? Quid tandem erat à te patratum, quamobrem recipiendus in ludum fuiſſes? An abſentia tot dierum? an turbæ datæ in Scholis? an offenſiones ſuſceptæ? an verba contumelioſe facta? an data ſuperbè Præceptori reſponſa? an vis illata plurimus? an querimoniæ de te plurimorum ad Rectorem delatæ animum tibi cujuſquam conciliare potuerunt &c.

viciſſim pag. 184. ad Imitationem Catilinariæ Ciceronis: Quid eſt, quod te in hac Academia delectare poſſit, in qua nemo extra paucos vicinos tuos, qui te non oderit, non horreat? Quæ non deſidiæ macula, ceu languido pecori inuſta fronti tuæ? quod turpitudinis & infamiæ dedecus in te non hæret? quæ ſeditio mota, quæ turba, quam tu non excitaris? cui tu Scholaſtico ad nocturnas peragrationes non facem: aut ad facinus ſuſcipiendum comitem te non præbuiſti? Quid verò illud nuper cum nocte quadam parietes perforare tentaſti, & perfeciſſes niſi apparitor valentiſſimis ſtipatus ſatellitibus te inde abegiſſet? Prætermitto negligentiam in audiendis lectionibus: id tantum dico, quod ad univerſi cætus maculam & labem pertinet; Poteſne tu prodire in publicum & in Optimorum aſpectu verſari? quoties illi amicitiam & congreſſum tuum ut vitare poſſent viarum deflexu, & communi ſemper cum in te inciderent aſpectus declinatione fugiendum duxerunt? Quoties ingreſſus es periſtylium atque in unam atque alteram deflexiſti porticum etſi cuncta repleta erant ſtudioſorum omnis Ordinis multitudine, quis ex tanto te numero in circulum ſuum accerſivit? quis te ſalutavit? Quid? quod tuo etiam adventu circuli ſolvantur, & alius ab alio plerumque diſcedat? &c. Denique ne prætereamus Joh. Micrælium, is thematis de beneficiis humano generi collatis hoc quoque è loco ab effectibus exemplum affert cap. 11. Quod nobis angeli quoque Spiritus miniſtratorij inſerviunt, quod omnes creaturæ juſſa noſtra capeſſunt, quod denique ferociſſimæ
etiam

etiam belluæ ab hominibus ſubjugantur, cui hoc aſſignabimus quæſo, niſi quod omnes creaturæ homini a Deo id eſſe tributum agnoſcant, ut Dominus ſit & vocetur omnium quæ in terra & aquis creata vivunt.

PUNCTUM V.
DE
LOCO AB ADJUNCTIS.

PAtet latiſſimè hic locus & mirificè ad probandum atque amplificandum facit; magis enim commovetur Orator, ſi nonnihil eorum quæ cum de conjunctâ ſunt, eidem adjunxeris, quod majorem eam minoremve oſtendat, quam ſi ſimpliciter ſolum & absque omni hoc ornatu eam eloquaris e. g. cum Cic. 2. Cătil. init. ſic ordiri potuiſſet: Abiit jam Cives Catilina, nec quicquam porro eſt, quod ab eo metuatis: Multò gravius eam rem his verbis protulit: Tandem aliquando Quirites L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emiſſimus vel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Nulla jam pernicies à monſtro illo atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Atque hunc quidem unum hujus belli domeſtici Ducem ſine controverſia vîcimus; non enim jam inter latera noſtra ſica illa verſabitur, non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domeſticos parietes pertimeſcemus &c. Viciſſim, cum O-

 rat.

rat. ſeq. dicere potuiſſet: Vos & univerſam Rempublicam veſtram Quirites multis & maximis periculis liberavi. Multo gravius & uberius id ipſum, his verbis protulit: Rempublicam Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona fortunas conjuges liberosque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi Imperii, fortunatiſſimam pulcherimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium ſummo erga vos amore laboribus, conſiliis periculisque meis, ex flamma atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam & vobis conſervatam atque reſtitutam videtis &c. Ad eundem modum hanc quoque propoſitionem: Iſtam hujus belli cladem atque perniciem tibi potiſſimum autori acceptam referimus, hoc pacto poſſumus illuſtrare: Exhauſtum in bellicos ſumtus ærarium, fractam plurimis laboribus juventutem, proculcatas ſegetes, abacta pecora, incenſos paſſim vicos atque villas, deſertos agros, everſa mænia, compilatas domos, direpta fana, tot orbos ſenes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, tot virgines indignè conſtupratas, tot adoleſcentium Licentia depravatos mores, tot funera, tantos luctus, tot lachrymas; & præterea extinctas artes, oppreſſas leges, obliteratam religionem, confuſa divina humanaque omnia, corruptam civitatis diſciplinam, univerſum inquam hoc malorum agmen, quod ex bello natum eſt, tibi præcipuè, & uni quidem quod autor illius extiteris acceptum referimus. In his verò adjunctis conquirendis congerendis & exaggerandis plurimum juvat eorum præcipuas claſſes pernoſſe. Sunt verò adjuncta vel rerum vel

per.

perſonarum. In *perſona* ſpectari poſſunt, Nomen, natura victus, fortuna, habitus, ſtudia, conſilia, facta, caſus, oratio; Et harum quidem rerum nonnullæ multiplices ſunt; Siquidem ſub natura comprehenduntur: Sexus, natio, patria, cognatio, ætas, ipſiusque naturæ commoda vel incommoda, quæ viciſſim vel in animo ſpectantur vel in corpore. In animo Iterum, Docilitas, ſolertia, & virtutes cum morales tum intellectuales; In corpore pulchritudo, valetudo, agilitas robur. In victu conſiderantur educatores, Pædagogi, Doctores, amici & univerſa vitæ ratio. In fortuna, conditio vitæ, divitiæ, opes, honores dignitates, munera, quæque his ſunt contrariæ; mors denique ipſa. Habitus quoque vel animi ſunt vel corporis, hujus quidem diſpoſitio maxime ſibi conveniens & ſpectabilis: Illius verò paſſiones, ut lætitia, triſtitia, ſpes, metus &c. Facta denique Caſus & Orationes trium præcipue temporum conſideratione expenduntur, prout ſc. quædam præceſſerunt, ſequuntur, vel cum re ipſa conjuncta ſunt. In rebus conſiderantur locus, tempus cauſa, facultates, Inſtrumenta, modus agendi & eventus, quæ omnia Lib. 1. de Invent. Cic. & nos quoq; cũ Parte 1. Comm. de Eloq. cap. 1. p. 113. tum cap 4. ſect. poſt. art. 1. punct. 4. p. 1142. pluribus executi ſumus. In perſona Trajani breviter adjuncta quædam annotavit Plinius in Paneg. cap. 4. circa finem eundem cum reliquis qui fuerant Principibus conferens: Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace alium toga ſed non arma honeſtarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate

capta

captavit: Ille quæſitam domi gloriam in publico hic in publico partam domi perdidit: poſtremo, ad huc nemo extitit, cujus Virtutes nullo confinio vitiorum læderentur: At Principi noſtro, quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omniſque gloriæ contigit? Ut nihil ſeveritati ejus hilari ſimplicitate, nihil majeſtati humanitate detrahitur? Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris, adhoc ætatis indeflexà maturitas, quodam Munere DEum feſtinatis ſenectutis inſignibus, ad augendam Majeſtatem ornata Cæſaries: nonne longè lateque Principem oſtentant? &c. Eumenes quoque de Conſtantino Conſtantij filio. Idem eſt, quod rurſus in te colimus, aſpectus, eadem in fronte gravitas, in oculis & in ore tranquillitas, ſic eſt index fortitudinis robur: ſic teſtis ſermo juſtitiæ. Conf. illas quas ſupra adduximus Art. 2. punct. priori deſcriptiones perſonarum Rerum quoque adjuncta quædam viciſſim Plinius annotavit cap. ſeq. cum mentionem ſcil. feciſſet ſeditionis caſtrenſis, quæ à Prætorianis contra Nervam, à quo Trajanus in firmamentum Principatus & capitis ſui ſecuritatem adoptatus fuit, eamque cap. 6. quam indigna atque impia fuiſſet vellet oſtendere: Magnum quidem illud ſeculo dedecus, magnum Reip. vulnus impreſſum eſt. Imperator & parens generis humani obſeſſus, captus inclusus: ablata mitiſſimo ſeni ſervandorum hominum poteſtas, ereptumque Principi illud in Principatu beatiſſimum, quod nihil cogitur. Si tamen hæc ſola erat ratio, quæ te publicæ ſalutis gubernaculis ad

mo-

moveret : prope eſt ut Exclamem, tanti fuiſſe. Corrupta eſt diſciplina caſtrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres : inductum peſſimum exemplum, ut optimum opponeretur ? poſtremo coactus Princeps quos nolebat occidere, ut daret Principem qui cogi non poſſet &c. Non hic contentus Autor Imperatorem dixiſſe; addit etiam quod magis, dum vocat humani generis parentem : neque adverſus Imperatorem tumultuantem militem tantum ; ſed Imperatorem ipſum obſeſſum, ait, captum incluſum à milite fuiſſe, quod longè utique atrociſſimum. Poſt quando oblatam ei ſervandorum hominum poteſtatem addit, quando id magis, quam ſi ſimpliciter ablatum ei Imperium dixiſſet. Poteſtas porro ſervandi pariter Imperatoris adjunctum eſt ; quemadmodum illud quoque quod mox ſequitur, quod cogi non debeat ; in eo ſiquidem Principis majeſtas poſita eſt. Reliquæ etiam circumſtantiæ, np, quod ſeni, & quidem mitiſſimo ablatum, maximè rei illius indignitatem augent atque exaggerant ; Senibus enim reverentia potius, & mitiſſimo cuique amor debetur. Viciſſim perſonæ deſcriptio elegantiſſima nim. Regis Antiochi legitur apud Ciceronem Oratione 5. in Verr. ante Med. Rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium noſtrorum biennium ferè comitatu Regio atque ornatu fuiſſet, is cum amicus & ſocilis populi Romani eſſet, amiciſſimo patre, avo, majoribus antiquiſſimus & clariſſimis Regibus, opulentiſſimo & maximo regno, præceps è provincia populi Romani exturbatus eſt, quem

quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodum hujus tui facti famam in regna aliorum atque in ultimas terras perveniſſe putaſti, cum audierint à prætore populi Romani in provincia violatum Regem, ſpoliatum hoſpitem, ejectum ſocium populi Romani atque amicum (deinde illius quoque rei ſ. facinoris adjuncta & præcipue conſeqq. Orator exaggerat) Nomen veſtrum populique Romani acerbitati ſcitotê nationibus exteris judices futurum ſi iſtius hæc tanta injuria impunita deſceſſerit, ſic omnes arbitrabuntur, præſertim cum hæc omnino fama de noſtrorum hominum avaritia & cupiditate percrebuerit, non iſtius ſolius hoc eſſe facinus: ſed eorum etiam qui approbarint &c. ſin hoc vos in Rege tam nobili, in re tam eximia, in injuria tam acerba neglexiſſe audierint, non erunt tam amentes, ut operam, curam pecuniam impendant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur. [poſt pauca ſubjicis quoque adjuncta quædam modi ut vocant] vobis autem judices, quid hoc indignius, aut quid minus ferendum videre poteſt? verreſne habuit domi ſuæ candelabrum jovis optimi maximi è gemmis auroque perfectum? cujus fulgore collucere atque illuſtrari jovis optimi maximi templum oportebat; id apud iſtum in ejusmodi conviviis conſtituetur, quæ domeſticis ſtupris flagitiisque flagrabant? in iſtius lenonis turpiſſimi domo ſimul cum cæteris chelidonis hæreditariisque ornamentis capitolij ornamenta ponentur? quid huic ſacri unquam fore, aut quid fuiſſe religioſi putatis, qui nunc tanto ſcelere ſe obſtrictum eſſe

eſſe non ſentiat ? &c. Aliud ejusmodi nec minus elegans amplificationis ab adjunctis perſonæ, rei & modi exemplum legitur in Orat. pro M. Cælio ſub finem exordij; Et perſonæ quidem: Habuit Catilina, ſicut meminiſſe vos arbitror, permulta maximarum non expreſſa ſigna: ſed adumbrata virtutum; utebatur hominibus improbis multis, & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat: erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli ac laboris: flagrabant vitia libidinis apud illum, vigebant etiam ſtudia rei militaris neque ego unquam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diverſisque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibusq; conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribꝰ conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effuſior? (tranſit deinde orator ad adjuncta rerum à Catilina geſtarum) Illa verò judices in illo homine mirabilia fuerunt comprehendere multos amicitia, tueri obſequio cum omnibus communicare quod habebat, ſervire temporibus ſuorum omnium, pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia: verſare ſuam naturam & tegere ad tempus atque huc & illuc torquere & flectere: cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe vivere

(Bre-

ducant, ubi perpetuo ſumus felices futuri; *Hic explicatæ ſunt omnes circumſtantiæ*. Creavit enim, redemit & multis beneficiis affecit nos. 1. *Quis*? DEus benedictus in ſecula. 2. *Cur*? nullius quidem indiget, & tamen à nobis laudari voluit. 3. *Qua occaſione*? miſericordià tactus paterna, cum nos lapſos videret. 4. *Quo inſtrumento & medio*? per ſervatorem mundi, à quo ſummus redemti, perque angelos, â quibus in ſinum Abrahæ deportamur. 5. *Quomodo & quaratione*? Creavit ex nihilo: refecit ex lapſu: ex morte in æterna gaudia deducit. 6. *Ubi*? Et quidem hæc beneficia nobis partim contigere in paradiſo: partim ad huc contingunt in hac miſeriarum valle: partim exſpectantur in ſinu Abrahæ. 7. & 8. *Quando & quoties*? in initio temporis in temporis etiam plenitudine & adhuc quotidie: inque ipſo mortis articulo: 9. *Quo eventu*? ut perpetuo felices ſimus?

PUNCTUM VI.

DE

LOCO A COMPARATIS, PER EXCESSUM, DEFECTUM, VEL PROPORTIONEM.

IN Amplificanda Oratione hic locus præcedenti vix quicquam concedit; Quæ enim ſola & ſeorſim poſita parva & exilia viderentur, ea in collatione ad ad alia multi jam majora & illuſtriora apparebunt; Unde Ariſt. 1. Rhet. cap. 9. ſub fin. hunc locum præcipuè ad genus demonſtrativum ſpectare inquit; & U pli-

Plinius Trajani Optimi Principis laudes per comparationem cum aliis frequenter exequitur. Si quæ verò in medium quoque adducantur, quæ cum cauſa noſtra ſimilitudinem quandam habent, ea adhæc jucundam floridam & amœnam orationem, ſæpe quoq; pro eorum conditione admirabilem & grandem efficient. Etenim Comparata & Similia hoc præcipuè differunt; quod Comparatio quantitatis ſit, ſimilitudo autem qualitatis; indeque in illa elatio & ſubmiſſio, in hac verò paritas ſpectetur. Et comparatio eſt, quando duo vel plura in aliquo tertio inter ſe conferuntur e.g. Si Catoni licuit partes agere Pompei,, Ciceroni quoque idem licebit. Similitudo verò cum ſuum cuique tribuitur e. g. quemadmodum morbo aut ſenſus ſtupore nonnulli cibi ſuavitatem non percipiunt, ſic quoque libidinoſi & avari veræ laudis guſtum non habent. In *Comparatis, prout inter majora verſantur atque minora*, quatuor præcipuè eſſe ſpectanda Cicero in Topicis monuit. Numerum ſc. ſpeciem vim & affectionem. In *Numero* plura paucioribus, diuturna brevibus, longè lateque pervagata anguſtis, honorata contemtis, & iſta viciſſim illis conferuntur. In *ſpecie* per ſe expetenda cum illis quæ propter aliud: innata & inſita aſſumtis atque adventitiis. Integra imperfectis: Honeſta utilibus: Jucunda minus jucundis: Proclivia laborioſis: Neceſſariæ non neceſſariis: Propria alienis: Rara vulgaribus: Deſiderabilia iis quibus facilè poſſumus carere: Rationalia brutis: Voluntaria neceſſariis: Animata inanimatis: Naturalia artificioſis; & hæc ipſa viciſſim arte & ordi ne

dine ac proportione deſtitutis comparantur. In *Vi* Cauſæ efficientis his qui nihil conferunt: quæ poſita ſunt in noſtra poteſtate his, quæ in aliorum; ſtabilia incertis; ſed ipſis contenta egentibus aliorum præferuntur. In *Affectione* Communi a privatis. Illuſtriora vulgaribus: Principum bona his quæ ſubditorum ſunt &c. anteponuntur. *Progredimur* autem *vel à majore ad minus*. e. g. Quid te ab alio amari, coli, obſervari tanquam ab amico, & cui nullo unquam officio defueris, poſſe cenſeas: qui nec parentes quidem, quibus vitam, fortunasque ſuas omnes debet, unquam curare magnopere conſuevit? *vel à minore ad majus*, uti Cicero pro lege Manilia: Majores veſtri ſæpe mercatoribus ac naviculatoribus injurioſius tractatis bella geſſerunt: Vos tot civium Romanorum millibus uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? duo *illuſtria* ejusmodi Comparationum *exempla leguntur* in Orat. Cic. pro C. Rabirio, unum brevi poſt exordium illius: Quamobrem uter noſtrum tandem Labiene popularis eſt, tu ne, qui Civibus Romanis in concione ipſa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere: qui in campo Martio comitiis centuriatis auſpicato in loco crucem ad civium ſupplicium defigi & conſtitui jubes: an ego qui funeſtari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum furorem populi Romani ab illis nefarii ſceleris veſtigiis eſſe dico? qui caſtam concionem, ſanctum campum, inviolatum corpus, omnium civium Romanorum integrum jus libertatis defendo ſervari oportere? (Et paulo poſt)

An pietas tua major quàm Grachi? an animus? an conſilium? an opes? an autoritas? an eloquentia? quæ ſi in illo minima fuiſſent: tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cum verò his rebus omnibus C. Grachus omnes vicerit: quantum intervallum tandem inter te atque illum interjectum putas? ſed moreretur prius acerbiſſima morte Grachus, quam in ejus concione carnifex conſiſteret: quem non modò foro, ſed etiam cælo hoc, ac ſpiritu cenſoriæ leges atque urbis domicilio carere voluerunt. Hic ſe popularem dicere audet, me alienum à commodis veſtris: cum iſte omnes ſuppliciorum & verborum acerbitates, non ex annalium monumentis, atque ex regum commentariis conquiſierit: ego omnibus meis opibus, omnibus conſiliis, omnibus dictis atque factis repugnarim ac reſtiterim crudelitati? Alterum exemplum occurrit circa finem iſtius Orat. C. Decianus cum hominem omnibus inſignem notis turpitudinis P. Furium accuſaret ſummo ſtudio bonorum omnium, quia queri eſt auſus in concione de morte Saturnini, condemnatus eſt: & Sext. Fillus, quod habuit imaginem L. Saturnini domi ſuæ, condemnatus eſt. Statuerunt equites Romani illo judicio improbum civem eſſe, & non retinendum in civitate, qui hominis hoſtilem in modum ſeditioſi imagine aut mortem ejus honeſtaret, aut deſideria imperitorum miſericordia commoveret, aut ſuam ſignificaret imitandæ improbitatis voluntatem; itaque mihi mirum videtur, unde tu hanc Labiene imaginem, quam habes inveneris, nam Sext. Titio damna-

mnato, qui iſtam habere auderet, inventus eſt nemo. Elegantiſſima quoque extat comparatio corporis cum populo & animæ cum Principe ap. Max. Tyrium diſſert. 38. al. 41. ſ. ult. ut oſtendat graviorem eſſe morbum animi quam corporis. Quare (inquit) ut ex collatione utriuſque morbi conſtet de utroque, uter major ſit? hoc modo totam rem decidamus. Homo totus anima & corpus eſt. Illa imperat, hoc paret; ut in urbe interdum Magiſtratus, interdum populus. Non minus autem urbis pars eſt qui paret, quam qui imperat. Utrius verò morbus urbi plus nocet? Laboret in ſtatu populari populus: rectè valeat Pericles. Imperator optimus facilè hunc populi morbum curabit. Laboret Syracuſis morbo Tyrannico Dionyſius; populus tametſi valeat rei conſervandæ par non eſt futurus. Quid ſi igitur populum cum corpore, cum anima conferamus Principem? Hoc fac, & in utroque contemplare ſingula. Major eſt populus, quam Imperator, & corpus quàm anima. Stolidus eſt populus, tale eſt & corpus. Populus eſt multiplex, nec diverſa tantum loquitur; ſed & ſentit. Ex diſſimilibus conſtat populus & variis. Populi ira vehemens, libido violenta; voluptas eſt diſſoluta. Mæret ſine ſpe, inflammatur ſine modo. Invenies eadem in corpore; nam & libidine facilè accenditur, & quidvis petit: nec voluptatem tantum ſequitur, ſed & imperium. Cum Principe viciſſim conferamus animam principem. Princeps imperium ſibi lubenter vindicat, honorem poteſtatem: Princeps natura cogit abundus eſt, & ratione abſtruſa colligit:

git: eodem modo & anima. Quæ cum ita ſint, uter gravior cenſendus morbus, & in urbe, & in homine eſt? Annon pars melior affecta plus confert toti: ſalvo enim magiſtratu æger populus nondum libertatem amiſit. Et ut breviter dicam, anima corpori præfertur ab omnibus; jam quod præfertur bonum majus eſt; quod autem majori bono contrarium eſt, majus eſt malum. Satietas autem animæ corporis ſanitate majus bonum eſt. Morbus ergo animæ morbo corporis majus eſt malum. Et corporis ſanitas artis opus eſt: animæ verò virtutis. Animæ morbus eſt improbitas: corporis externa calamitas. Voluntaria eſt improbitas: invito evenit calamitas; quæ invito eveniunt, miſericordia, quæ à valente fiunt, odio proſequimur. Miſericordiam auxilium: odium verò ſequitur ſupplicium. Jam quæ auxilio digna judicamus, meliora: quæ ſupplicio, pejora ſunt. Rurſus ſanitatem utriuſque in utroque videamus. Altera quidem omnibus eget altera nullo. Altera beatitudini confert omnia: altera infelicitatem ſuſtinet. Altera mali immunis eſt, improbitati verò contingit altera. Alterius perpetua ſanitas; alterius in diem eſt. Alterius ſolida: alterius incerta eſt. Immortalis alterius, mortalis alterius. Vide & morbos viciſſim. Morbus corporis curatur facillimè, malum animæ lege difficulter reſtituitur. Alter dolore ſuo efficit, ut curari æger deſideret: alter eo redigit, ut leges contemnat. Alteri ſubſidium à Diis paratum eſt; alteri odium. Nullius unquam belli cauſa morbos corporis extit, plurimorum animæ. Nemo corporis vitio

ſyco-

ſycophantias ſtruit, aut tumulis mortuorũ,aut viventium inſidiatur bonis, aut atrox aliquod facinus committit. Ægræ tantum modo parti nocet morbos corporis; animæ vicinæ quoque. Hactenus Platonicus ille Philoſophus; nec piget è Melchiores de la Cerda Campis duo adhuc exempla comparatorum in Juventutis gratiam excerpere. Sic vero ille pag. 551. prædicat, qui literarum monumentis patriæ gloriam peperat: Arbores bonæ hortis & ſolo in quo ſatæ ſunt, laudem eximiam afferunt: ingenii acumine præcellentes viri patriæ ſuæ decus & ornamentum inſigne ſunt. Illud ſolum præcipuè commendatur, in quo poma ferunt arbores & fructus præſtantiſſimos; illa celebratur inſignis urbs, qui viros tui ſimilis & literatos & doctos admodum protulit. Illi tandem horti in magno pretio & æſtimatione ſunt, qui variis fructibus abundare videntur ad delicias, & ad hominum victum quotidianum; illa patria magni quoque æſtimatur & habetur, quæ claros & omni literarum laude cumulatos viros ad ſuſtentandam conſervandamque Rempublicam profert. Atque eò magis, quod arbores illæ ad oris ſuavitatem & corporis conſervationem fructus conferunt, Patria viros doctiſſimos, literatiſſimos ad rerum publicarum conſtitutionem obſervationemque moderatores idoneos tribuit. Arbores cùm fructibus ſuis corporibus alendis inſervierunt, amplius nihil emolumenti afferre poſſunt; ſapientes novis in dies incrementis mortalium animos cumulant & ad augent. Quid? fructus harum ſæpe arborum non omnibus æquè hominibus proſunt,

multis ſæpe nocent; Literati verò univerſæ Reipublicæ plurima afferunt emolumenta. Alterum pag. 365. ad verba: Erravi ſicut ovis, quæ periit. Ovis ab ovili diſceſſit, homo à creatore ſuo: Ovis reliquit gregem ſui generis, homo Deum ad cujus ſimilitudinem & imaginem creatus eſt. Ovis in dumeta ſentesque horrificos incidit, homo in foveas & prærupta peccatorum præcipitia. Ovis ſine paſtore, ſine cuſtode, luporum ori ac faucibus præda derelicta eſt: homo Chriſti JEſu gratia deſtitutus, dæmonis execrandi crudelitati expoſitus. Ovis ore ac dentibus lupi diſcerpta periit miſerabiliter, homo rabie hoſtis crudeliſſimi principis inferorum excarnificatus, quas plagas, quæ vulnera lethalia ſæpiſſimè in animo accepit! Ovis per ſylvas per montes vagans & errans balare non deſinit, quando Paſtoris ſibilo audit ſe revocari. Homo quid aliud faciat, niſi ut gemat, lamentetur, & dies noctesque deploret calamitatem ſuam &c. *Comparatio parium* autem nullam ejusmodi vel elationem vel ſubmiſſionem, quamdiu ſc. ut paria ſpectantur admittit. Reperitur ea in illo Ciceronis: Si conſilio juvare cives & auxilio, æquè in lege ponendum eſt: pari gloria debent eſſe ii, qui conſulunt & qui defendunt. Item ſ. d. Tam eſt ob eloquentiam laudandus Cicero, quam unquam Demoſthenis in dicendo vim Græci admirati ſunt. Magnam verò iſta *comparatio cum Similitudine cognationem habet*, & in eam facile poteſt commutari, e. g. ex hac comparatione: Tam feræ partus ſuos amant, quàm nos amare ſolemus liberos, effingi hæc ſimilitudo:

tudo: ut partus ſuos feræ, ſic nos liberos noſtros amare ſolemus. Vix ulla quoque res unde non aliqua *duci ſimilitudo* poſſit v. g *è dictis*: Quemadmodum Cæſar dicebat, domum non modò crimine, verum etiam criminis ſuſpicione carere oportere: ita nobis curandum eſt, ut vitam noſtram ab omni culpa, culpæque ſuſpicione remotam eſſe prædicare poſſimus, *ex factis*: ut Hannibalem juveniliter exultantem Q. Fabius Maximus ſua patientia molliebat: ita nos puerilem impudentiam tolerantia noſtra reprimere debemus, *ex eventu*. Sicut deliciæ Campanæ reddiderunt exercitium Hannibalis effæminatum: ita mollis hæc vita noſtra vires animi corporiſque debilitat & frangit; etiam *ex Fabulis*: ut olim membra, cum adverſus ventriculum conjuraſſe dicebantur ventrem magno ſuo malo recuſarunt alere: ita ſi optimarum artium Doctoribus Reſpublica ſtipendia neget, ſe ipſam quoque brevi perituram ſentiet. *Inſtituitur* itaque *ſimilitudo* tam inter *perſonas*, ſicuti Prudentius Chriſti cum Moſe comparationem adornat in Hymno, de Epiphania, quo primum ita præmiatur: Licetne Chriſtum noſcere Tanti per exemplum viri; Mox ipſam comparationem exorſus de Moſe ita ſubjicit: Dux ille cæſo Ægyptio abſolvit Iſrael jugo. De Chriſto autem ita inquit nos ſubactos jugiter Erroris imperio gravi Dux noſter hoſte ſaucio Mortis tenebris liberat. Hic expiatam fluctibus Plebem marino tranſitu Repurgat undis ducibus columnam præferens. Hic præliante exercitu Panſis in altum brachiis Sublimis Amalech premit Crucis quod inſtar tunc fuit (& cum

Joſuæ & JEſu nomen fere idem & ſoſpitatorem notet h. m. pergit) Hic nempe JEſus verior. Qui longa poſt diſpendia, victor ſuis tribulibus Promiſſa ſolvit jugera. Qui ter quaternas denique Refluentis amnis alveo fundavit & fixit petras Apoſtolorum ſtemmata. Quam inter *actiones*. Cic. pro Muræna: Sed quæſtura utriusque (Muræna ſc. & ſulpitii) propemodum pari momento ſortis fuit. Habuit hic lege Titia provinciam tacitam & quietam: tu illam, cui, cum quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet. Oſtienſem non tam gratioſam & illuſtrem, quam negotioſam & moleſtam. Atque hinc non tantum *affirmando* comparatio inſtitui ſolet: ſed etiam *negando* e. g. Cic. pro Roſc. Amer. ut non frugem neque arborem in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. Et apud Cornificium. Neque equus indomitus, quamvis natura bene compoſitus ſit idoneus eſſe poteſt ad eas utilitates & aptus quæ deſiderantur ab equo: neque homo indoctus, quamvis ingenioſus, ad virtutem poteſt pervenire. Affinitatem cum hac forma habet illud Ovidii 1. Triſt. Eleg. 5. quando ſingularem ſuum uxori amorem teſtatur: Nec tantum Clario Lyde dilecta Poëtæ Nec tantum Coo Battis amata ſuo eſt; Pectoribus noſtris tu quantum uxor inhæres, Digna minus miſero non meliore viro. Præter hæc *ſimilitudo* vel tantum *leviter & breviter indicatur*, uti, ap. Cic. de clar. Orat. Domi teneamus eloquentiam, tueamurque ut adultam, virginem caſte. Salluſt. in Catil. Poſt ubi con-

tagio (Vitiorum) quaſi peſtilentia invaſit, civitas immutata, imperiumque [Romanum] ex juſtiſſimo atque optimo crudele intolerandumque factum. Plin. lib. 6. Epiſt. 33. dedimus vela indignationi, dedimus iræ, dedimus dolori, & in ampliſſima cauſa, quaſi magno mari, pluribus ventis vecti ſumus Petron. in ſatyr. videbitis oppidum tanquam in peſtilentia campos, in quibus nihil aliud eſt, niſi cadavera quæ lacerantur, & corvi, qui lacerant. *Aperta* autem *ſimilitudo* eſt, quando proponitur cui, & *ſubjicitur quod* illi *aſſimilatur* e. g. Virg. in fine 1. Georg. ſquallent abductis arva colonis & curvæ rigidum falces conflantur in enſem. Hinc movet Euphrates illinc Germania bellum, vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes Arma ferunt: ſævit toto Mars impius orbe; Ut cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ Addunt in ſpatia, & fruſtra reti nacula tendens Ferture quis auriga, neque audit currus habenas. Aliquando vero *quod aſſimilatur præponitur* e. g. ſ. d. Ut hyemali tempore propter aſperitatem horrida tellus videtur & deformis neque arborum bonitas internoſci poteſt, quoniam foliis & fructibus deſtituuntur; Vere autem atque autumno veſtitæ eisdem & onuſtæ facile quiſteriles inter atque frugiferas inter ſit: ſic in hoc ſeculo pii permixti ſunt impiis, hypocritæ Chriſtianis veris, in futuro autem univerſali judicio, quo eviſceratæ apparebunt cogitationes & actiones hominum manifeſte oves ab hædis ſeparabuntur, Porro *ſimilitudines* ratione modi, quo illæ tractari ſolent, *trium generum* conſtitui poſſunt ita ſc: ut *quadam prorſus nudè*

& abs-

& abſque omni amplificatione *proponantur* e.g. Ut terra cultu; ſic animus noſter diſciplinis ad uberiores ferendos fructus diſponitur. *quædam mediocri ſtylo temperatæ ſunt*. e.g. Cic. in Orat. poſt redit ad Quirit. Tanquam bona valetudo jucundior eſt iis qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſic omnia deſiderata magis, quam aſſiduè percepta delectant. *Quædam* adeo *copioſa*, ut ſpiritu quaſi Poëtico prolatæ videantur e. g. Cic. pro Muræna: Ut tempeſtates certo aliquo cæli ſigno com moventur; ſæpe improviſo nulla certa ratione; ſed obſcura aliqua ex cauſa concitantur: ſic in Comitiorum tempeſtate populari ſæpe intelligas, quo ſigno commota ſit; ſæpe verò ita obſcura eſt, ut caſu excitata videatur & viciſſim: Quod ſi e portu ſolventibus ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, præcipere ſummo ſtudio ſolent, & tempeſtatum rationem & prædonum & locorum, quæ natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem me animo eſſe oportet, prope jam ex magna jactatione terram (finem ſc. conſulatus) videntem, in hunc, cui video maximas Reipublicæ tempeſtates eſſe ſubeundas. *Denique* in iſtis quæ ſibi aſſimilantur, vel *cum uno conferuntur plura* e. g. Cic. 3. de finib. Ut obſcuratur & offunditur luce ſolis lumen lucernæ; & ut interit magnitudine maris ægli ſtilla Muriæ; & ut in divitiis Cræſi, terruncij acceſſio, & gradus unus in ea via, quæ eſt hinc in Indiam: ſic cum ſit is bonorum finis, quem ſtoici dicunt omnis iſta rerum in corpore ſitarum æſti-

æſtimatio ſplendore virtutis obſcuretur & obruatur, atque intereat neceſſe eſt Pariter ſ. d. Ut à morbo formæ elegantia, ab auſtro floris vernantis decus, ab aſperſis maculis purpuræ ornamentum, à nebulis a tempeſtate ſolis pulchritudo. Ita ab improborum conſortio innocens adoleſcentum vita corrumpitur. Sic quoque noviſſimè Poëta quidam: Diſce creatarum ſpectacula lubrica rerum Quisquis es, ad plauſus eſt tibi ſcena brevis. Hora tibi pennæ, volucris rota volvitur anni. Vitanitor flores gaudia, præda dies. Iterum alius otii pernicioſi inſectator, Quod ſegeti rubigo, novis quod floris auſter; Blatta togæ, ferro luna, teredo rati; Hoc animo tepor eſt, animi tepor improba geſtis Non intellecto vulnera dente facit. *Interdum ſingulis ſimilitudinibꝰ eadem redditio ſed aliis quodammodo verbis reſpondet* e. g. in Orat. pro Muræna. Quemadmodum is, qui rem mancipii vendit periculum judicii præſtare debet, ſi aliquid juris quiſpiam in illas adverſus emtorem prætendere easque repetere velit: ſic ego qui declaravi Murænam conſulem, & beneficium Reipublicæ in ipſum tranſtuli id ei præſtare debeo, ipſique adeſſe contra eos, qui conſulatu deturbare volunt. [& viciſſim] In quibusdam civitatibus conſuetudo eſt, ut conſtituantur Patroni publice quibus dicenda cauſa, ne quis de vi atque injuria queri poſſit. Quod ſi ſimiliter in hac quoque cauſa Patronis Murænæ dandus à Senatu ſit, & nemo illo munere defungi rectius queat, quàm qui autoritate pariter & facultate dicendi præſtet non alii defenſori committi debebat Murænæ negotium,

quàm

An pietas tua major quàm Grachi ? an animus ? an conſilium ? an opes ? an autoritas ? an eloquentia ? quæ ſi in illo minima fuiſſent : tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cum verò his rebus omnibus C. Grachus omnes vicerit : quantum intervallum tandem inter te atque illum interjectum putas ? ſed moreretur prius acerbiſſima morte Grachus , quam in ejus concione carnifex conſiſteret : quem non modò foro , ſed etiam cælo hoc , ac ſpiritu cenſoriæ leges atque urbis domicilio carere voluerunt. Hic ſe popularem dicere audet , me alienum à commodis veſtris : cum iſte omnes ſuppliciorum & verborum acerbitates , non ex annalium monumentis , atque ex regum commentariis conquiſierit : ego omnibus meis opibus , omnibus conſiliis , omnibus dictis atque factis repugnarim ac reſtiterim crudelitati ? Alterum exemplum occurrit circa finem iſtius Orat. C. Decianus cum hominem omnibus inſignem notis turpitudinis P. Furium accuſaret ſummo ſtudio bonorum omnium , quia queri eſt auſus in concione de morte Saturnini , condemnatus eſt : & Sext. Fillus , quod habuit imaginem L. Saturnini domi ſuæ , condemnatus eſt. Statuerunt equites Romani illo judicio improbum civem eſſe , & non retinendum in civitate , qui hominis hoſtilem in modum ſeditioſi imagine aut mortem ejus honeſtaret , aut deſideria imperitorum miſericordia commoveret , aut ſuam ſignificaret imitandæ improbitatis voluntatem; itaque mihi mirum videtur , unde tu hanc Labiene imaginem , quam habes inveneris , nam Sext. Titio damna-

mna-

mnato, qui iſtam habere auderet, inventus eſt nemo. Elegantiſſima quoque extat comparatio corporis cum populo & animæ cum Principe ap. Max. Tyrium diſſert. 38. al. 41. f. ult. ut oſtendat graviorem eſſe morbum animi quam corporis. Quare (inquit) ut ex collatione utriuſque morbi conſtet de utroque, uter major ſit ? hoc modo totam rem decidamus. Homo totus anima & corpus eſt. Illa imperat, hoc paret ; ut in urbe interdum Magiſtratus, interdum populus. Non minus autem urbis pars eſt qui paret, quam qui imperat. Utrius verò morbus urbi plus nocet ? Laboret in ſtatu populari populus: rectè valeat Pericles. Imperator optimus facilè hunc populi morbum curabit. Labores Syracuſis morbo Tyrannico Dionyſius : populus tametſi valeat rei conſervandæ par non eſt futurus. Quid ſi igitur populum cum corpore, cum anima conferamus Principem ? Hoc fac, & in utroque contemplare ſingula. Major eſt populus, quam Imperator, & corpus quàm anima. Stolidus eſt populus, tale eſt & corpus. Populus eſt multiplex, nec diverſa tantum loquitur ; ſed & ſentit. Ex diſſimilibus conſtat populus & variis. Populi ira vehemens, libido violenta ; voluptas eſt diſſoluta. Mæret ſine ſpe, inflammatur ſine modo. Invenies eadem in corpore ; nam & libidine facilè accenditur, & quidvis petit : nec voluptatem tantum ſequitur, ſed & imperium. Cum Principe viciſſim conferamus animam principem. Princeps imperium ſibi lubenter vindicat, honorem poteſtatem : Princeps natura cogit abundus eſt, & ratione abſtruſa colli-

git: eodem modo & anima. Quæ cum ita ſint, uter gravior cenſendus morbus, & in urbe, & in homine eſt? Annon pars melior affecta plus confert toti: ſalvo enim magiſtratu æger populus nondum libertatem amiſit. Et ut breviter dicam, anima corpori præfertur ab omnibus; jam quod præfertur bonum majus eſt: quod autem majori bono contrarium eſt, majus eſt malum. Satietas autem animæ corporis ſanitate majus bonum eſt. Morbus ergo animæ morbo corporis majus eſt malum. Et corporis ſanitas artis opus eſt: animæ verò virtutis. Animæ morbus eſt improbitas: corporis externa calamitas. Voluntaria eſt improbitas; invito evenit calamitas; quæ invito eveniunt, miſericordia, quæ à valente fiunt, odio proſequimur. Miſericordiam auxilium: odium verò ſequitur ſupplicium. Jam quæ auxilio digna judicamus, meliora; quæ ſupplicio, pejora ſunt. Rurſus ſanitatem utriuſque in utroque videamus. Altera quidem omnibus eget altera nullo. Altera beatitudini confert omnia: altera infelicitatem ſuſtinet. Altera mali immunis eſt, improbitati verò contingit altera. Alterius perpetua ſanitas; alterius in diem eſt. Alterius ſolida: alterius incerta eſt. Immortalis alterius, mortalis alterius. Vide & morbos viciſſim. Morbus corporis curatur facillimè, malum animæ lege difficulter reſtituitur. Alter dolore ſuo efficit, ut curari æger deſideret: alter eo redigit, ut leges contemnat. Alteri ſubſidium à Diis paratum eſt; alteri odium. Nullius unquam belli cauſa morbos corporis extit, plurimorum animæ, Nemo corporis vitio

ſyco-

ſycophantias ſtruit, aut tumulis mortuorũ,aut viventium inſidiatur bonis, aut atrox aliquod facinus committit. Ægræ tantum modo parti nocet morbos corporis; animæ vicinæ quoque. Hactenus Platonicus ille Philoſophus; nec piget è Melchiores de la Cerda Campis duo adhuc exempla comparatorum in Juventutis gratiam excerpere. Sic vero ille pag. 551. prædicat, qui literarum monumentis patriæ gloriam peperat: Arbores bonæ hortis & ſolo in quo ſatæ ſunt, laudem eximiam afferunt: ingenii acumine præcellentes viri patriæ ſuæ decus & ornamentum inſigne ſunt. Illud ſolum præcipuè commendatur, in quo poma ferunt arbores & fructus præſtantiſſimos; illa celebratur inſignis urbs, qui viros tui ſimilis & literatos & doctos admodum protulit. Illi tandem horti in magno pretio & æſtimatione ſunt, qui variis fructibus abundare videntur ad delicias, & ad hominum victum quotidianum: illa patria magni quoque æſtimatur & habetur, quæ claros & omni literarum laude cumulatos viros ad ſuſtentandam conſervandamque Rempublicam profert. Atque eò magis, quod arbores illæ ad oris ſuavitatem & corporis conſervationem fructus conferunt, Patria viros doctiſſimos, literatiſſimos ad rerum publicarum conſtitutionem obſervationemque moderatores idoneos tribuit. Arbores cum fructibus ſuis corporibus alendis inſervierunt, amplius nihil emolumenti afferre poſſunt: ſapientes novis in dies incrementis mortalium animos cumulant & ad augent. Quid? fructus harum ſæpe arborum non omnibus æquè hominibus proſunt,

multis ſæpe nocent ; Literati verò univerſæ Reipublicæ plurima afferunt emolumenta. Alterum pag. 365. ad verba : Erravi ſicut ovis, quæ periit. Ovis ab ovili diſceſſit, homo à creatore ſuo : Ovis reliquit gregem ſui generis, homo Deum ad cujus ſimilitudinem & imaginem creatus eſt. Ovis in dumeta ſentesque horrificos incidit ; homo in foveas & prærupta peccatorum præcipitia. Ovis ſine paſtore, ſine cuſtode, luporum ori ac faucibus præda derelicta eſt : homo Chriſti JEſu gratia deſtitutus , dæmonis execrandi crudelitati expoſitus. Ovis ore ac dentibus lupi diſcerpta periit miſerabiliter, homo rabie hoſtis crudeliſſimi principis inferorum excarnificatus, quas plagas, quæ vulnera lethalia ſæpiſſimè in animo accepit! Ovis per ſylvas per montes vagans & errans balare non deſinit, quando Paſtoris ſibilo audit ſe revocari. Homo quid aliud faciat, niſi ut gemat, lamentetur , & dies noctesque deploret calamitatem ſuam &c. *Comparatio parium* autem nullam ejusmodi vel elationem vel ſubmiſſionem , quamdiu ſc. ut paria ſpectantur admittit. Reperitur ea in illo Ciceronis: Si conſilio juvare cives & auxilio , æquè in lege ponendum eſt: pari gloria debent eſſe ii, qui conſulunt & qui defendunt. Item ſ. d. Tam eſt ob eloquentiam laudandus Cicero , quam unquam Demoſthenis in dicendo vim Græci admirati ſunt. Magnam verò iſta *comparatio cum Similitudine cognationem habet*, & in eam facile poteſt commutari, e. g. ex hac comparatione : Tam feræ partus ſuos amant, quàm nos amare ſolemus liberos, effingi hæc ſimilitudo :

tudo: ut partus ſuos feræ, ſic nos liberos noſtros amare ſolemus. Vix ulla quoque res unde non aliqua *duci ſimilitudo* poſſit v. g *è dictis*: Quemadmodum Cæſar dicebat, domum non modò crimine, verum etiam criminis ſuſpicione carere oportere: ita nobis curandum eſt, ut vitam noſtram ab omni culpa, culpæque ſuſpicione remotam eſſe prædicare poſſimus, *ex factis*: ut Hannibalem juveniliter exultantem Q. Fabius Maximus ſua patientia molliebat: ita nos puerilem impudentiam tolerantia noſtra reprimere debemus, *ex eventu*. Sicut deliciæ Campanæ reddiderunt exercitium Hannibalis effæminatum: ita mollis hæc vita noſtra vires animi corporisque debilitat & frangit; etiam *ex Fabulis*: ut olim membra, cum adverſus ventriculum conjuraſſe dicebantur ventrem magno ſuo malo recuſarunt alere: ita ſi optimarum artium Doctoribus Reſpublica ſtipendia neget, ſe ipſam quoque brevi perituram ſentiet. *Inſtituitur* itaque *ſimilitudo* tam inter *perſonas*, ſicuti Prudentius Chriſti cum Moſe comparationem adornat in Hymno, de Epiphania, quo primum ita præmiatur: Licetne Chriſtum noſcere Tanti per exemplum viri; Mox ipſam comparationem exorſus de Moſe ita ſubjicit: Dux ille cæſo Ægyptio abſolvit Iſrael jugo. De Chriſto autem ita inquit nos ſubactos jugiter Erroris imperio gravi Dux noſter hoſte ſaucio Mortis tenebris liberat. Hic expiatam fluctibus Plebem marino tranſitu Repurgat undis ducibus columnam præferens. Hic præliante exercitu Panſis in altum brachiis Sublimis Amalech premit Crucis quod inſtar tunc fuit (& cum

Joſuæ & JEſu nomen fere idem & ſoſpitatorem notet h. m. pergit) Hic nempe JEſus verior. Qui longa poſt diſpendia, victor ſuis tribulibus Promiſſa ſolvit jugera. Qui ter quaternas denique Refluentis amnis alveo fundavit & fixit petras Apoſtolorum ſtemmata. Quam inter *actiones*. Cic. pro Muræna: Sed quæſturà utriusque (Muræna ſc. & ſulpitii) propemodum pari momento ſortis fuit. Habuit hic lege Titia provinciam tacitam & quietam: tu illam, cui, cum quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet. Oſtienſem non tam gratioſam & illuſtrem, quam negotioſam & moleſtam. Atque hinc non tantum *affirmando* compatatio inſtitui ſolet: ſed etiam *negando* e. g. Cic. pro Roſc. Amer. ut non frugem neque arborem in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. Et apud Cornificium. Neque equus indomitus, quamvis natura bene compoſitus ſit idoneus eſſe poteſt ad eas utilitates & aptus quæ deſiderantur ab equo: neque homo indoctus, quamvis ingenioſus, ad virtutem poteſt pervenire. Affinitatem cum hac forma habet illud Ovidii 1. Triſt. Eleg. 5. quando ſingularem ſuum uxori amorem teſtatur: Nec tantum Clario Lyde dilecta Poëtæ Nec tantum Coo Battis amata ſuo eſt; Pectoribus noſtris tu quantum uxor inhæres, Digna minus miſero non meliore viro. Præter hæc *ſimilitudo* vel tantum *leviter & breviter indicatur*, uti, ap. Cic. de clar. Orat. Domi teneamus eloquentiam, tueamurque ut adultam, virginem caſte. Salluſt. in Catil. Poſt ubi contagio

tagio (Vitiorum) quaſi peſtilentia invaſit, civitas immutata, imperiumque[Romanum] ex juſtiſſimo atque optimo crudele intolerandumque factum. Plin. lib. 6. Epiſt. 33. dedimus vela indignationi, dedimus iræ, dedimus dolori, & in ampliſſima cauſa, quaſi magno mari, pluribus ventis vecti ſumus Petron. in ſatyr. videbitis oppidum tanquam in peſtilentia campos, in quibus nihil aliud eſt, niſi cadavera quæ lacerantur, & corvi, qui lacerant. *Aperta* autem *ſimilitudo* eſt, quando proponitur cui, & *ſubjicitur quod* illi *aſſimilatur* e. g. Virg. in fine 1. Georg. ſquallent abductis arva colonis & curvæ rigidum falces conflantur in enſem. Hinc movet Euphrates illinc Germania bellum, vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes Arma ferunt; ſævit toto Mars impius orbe; Ut cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ Addunt in ſpatia, & fruſtra reti nacula tendens Ferture quis auriga, neque audit currus habenas. Aliquando vero *quod aſſimilatur præponitur* e. g. ſ. d. Ut hyemali tempore propter aſperitatem horrida tellus videtur & deformis neque arborum bonitas internoſci poteſt, quoniam foliis & fructibus deſtituuntur; Vere autem atque autumno veſtitæ eisdem & onuſtæ facile quiſteriles inter atque frugiferas inter ſit: ſic in hoc ſeculo pii permixti ſunt impiis, hypocritæ Chriſtianis veris, in futuro autem univerſali judicio, quo eviſceratæ apparebunt cogitationes & actiones hominum manifeſte oves ab hædis ſeparabuntur, Porro *ſimilitudines* ratione modi, quo illæ tractari ſolent, *trium generum* conſtitui poſſunt ita ſc: ut *quædam prorſus nudè*

& abſ-

æſtimatio ſplendore virtutis obſcuretur & obruatur, atque intereat neceſſe eſt Pariter ſ. d. Ut à morbo formæ elegantia, ab auſtro floris vernantis decus, ab aſperſis maculis purpuræ ornamentum, à nebulis a tempeſtate ſolis pulchritudo. Ita ab improborum conſortio innocens adoleſcentum vita corrumpitur. Sic quoque noviſſimè Poëta quidam: Diſce creatarum ſpectacula lubrica rerum Quisquis es, ad plauſus eſt tibi ſcena brevis. Hora tibi pennæ, volucris rota volvitur anni. Vitanitor flores gaudia, præda dies. Iterum alius otii perniciofi inſectator, Quod ſegeti rubigo, novis quod floris auſter; Blatta togæ, ferro luna, teredo rati; Hoc animo tepor eſt, animi tepor improba geſtis Non intellecto vulnera dente facit. *Interdum ſingulis ſimilitudinib9 eadem redditio ſed aliis quodammodo verbis reſpondet* e. g. in Orat. pro Muræna. Quemadmodum is, qui rem mancipii vendit periculum judicii præſtare debet, ſi aliquid juris quispiam in illas adverſus emtorem prætendere easque repetere velit: ſic ego qui declaravi Murænam conſulem, & beneficium Reipublicæ in ipſum tranſtuli id ei præſtare debeo, ipſique adeſſe contra eos, qui conſulatu deturbare volunt. [& viciſſim] In quibusdam civitatibus conſuetudo eſt, ut conſtituantur Patroni publice quibus dicenda cauſa, nequis de vi atque injuria queri poſſit. Quod ſi ſimiliter in hac quoque cauſa Patronis Murænæ dandus à Senatu ſit, & nemo illo munere defungi rectius queat, quàm qui autoritate pariter & facultate dicendi præſtet non alii defenſori committi debebat Murænæ negotium,

quàm

quàm Ciceroni, quippe in quo neutrum deſideretur &c. Addit deinde eandem in rem tertium ſimile de ſolventibus è portu, quod in præcidentib. jam attulimus. Vel *ſingula conferuntur ſingulis*; Idque viciſſim vel *in toto* ſ. integro e. g. iterum pro Muræna: Ut ajunt, in Græcis arti ficibus, eos aulædos eſſe, qui citharædi fieri non potuerint: ſic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerint, eos ad ſtudium juris devenire. Etiam pro Roſc. Amer. n. 131. excuſaturus Syllam: Nemo eſt qui neſciat propter magnitudinem rerum multa multos partim conniveṅte, partim imprudente Sylla commiſiſſe &c. Et enim ſi juppiter optimus maximus, cuius nutu & arbitrio cælum terra mariaque reguntur, ſæpe ventis vehementioribus aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit fruges perdidit; quorum nihil perniciei cauſa, divino conſilio; ſed vi ipſa & magnitudine rerum factum putamus: at contra, commoda quibus utimur, lucemq; qua fruimur, ſpiritumq; quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus: Quid miramur L. Syllam, cum ſolus rempubl. regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majeſtatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuiſſe? niſi hoc mirum eſt, quod vis divina aſſequi non poſſit, ſi id mens humana adepta non ſit. *Vel in partibus*; atque in his *vel propoſitio quædam generalis præmittitur*, ut in illo vulgato ap. Cic. Mihi cum vita hominum, quaſi cum teſſerarum luſu comparatum videtur. Quemadmodum

dum enim ſæpe ea cadunt, quæ minimæ omnium expetas: ita in vita humana longe plura nobis contra voluntatē noſtram accidunt. Solent autem peritiores luſores, ſi non ceciderit, quod opus fuerat id quod fortè cecidit, arte corrigere, & ſua cavere ſolertia, ne perdant manum. Similiter enitendum hominibus, ut ſiquæ inciderit calamitas, eam ſolerti quadam & prudenti ratione ita temperent, ne tam nocere poſſit, quam ſolet, cum in ſtultos & imperitos inciderit. *vel omittitur illa* e. g. ap. Cerd. pag. 550. Ut vitis humilis ſerpens multiplici lapſu & erraticè, cum adminiculis fulcitur ſuſtentaturque aut ad ulmum adhæret egregios & præſtantes fructus ſuos ferre videbitur, maturos & opportunos: ſic equidem divites, cum divitiis abundent, & omnibus bonorum copiis affluant, ſi ad inopum & egentū miſerias ſublevandas applicuerint ſeſe, fructꝰ ferent digniſſimos, nec jacebunt terræ ſordibus ac cæno demerſi; Dives adhærens ad adminicula ſuſtinet ſeſe, & uvas fert, non ſolum abundantes, ſed vinum maximè neceſſarium ad humanæ vitæ uſus: dives ſi locupletari magis & augere divitias quas habet, concupierit, egentibus ſtipem corrogantibus opem ferat. Vitis creſcit in mirandam altitudinem ulmi ſuffulta præſidio: dives cumulabitur & augebitur magis atque magis divini numinis liberalitate, quoniam in calamitoſos & egentes munificus & liberalis fuit. *Aliquando nota comparationis ſaltem conſequenti additur* e. g. in Orat. pro Roſc. Amer. extr. Solent hoc boni Imperatores facere cum prælium committunt, ut in eo loco quo fugam ho-

hoſtium fore arbitrantur, milites collocent ; In quos, ſi qui ex acie fugerint, de improviſo incidant : nimirum ſimiliter arbitrantur iſti bonorum emtores, vos heîc tales viros ſedere, qui excipiatis eos, qui de ſuis manibus effugerint. Sic quoque particulæ talis & qualis quamvis relativæ ſint, non ſemper tamen in comparationibus apud Poëtas ſe excipiunt e. g. ap. Virgil. 4. Æn. v. 143. hæc protaſis eſt: Qualis ubi hybernam lyciam Xanthique fluenta Deſerit ac Delum maternam immiſit Apollo. In apodoſi autem non ſequitur vox talis, ſed æquipollens alia: Haut illo ſegnior ibat Æneas. Et lib. 5. Æn. v. 213. Qualis ſpelunca ſubito commota columba &c. Sic Mneſthæus. *Quandoque nullo prorſus comparationis membro iſtæ ſimilitudinis particulæ apparent*. e. g. ſ. d. Multi in mari ſcopuli ſunt, ſaxaque latentia, quæ ſumma circumſpectione vitari debent. Non pauciora in humana quoque vita ſe offerunt, quæ in exitium abripiant, & penitus perdant, nî ſingularem prudentiam in cavendis iis adhibeas. *Ut autem comparatio commodè inſtituatur, requiritur* à Quintiliano, *ut* 1. *antecedens verum ſit*, indeque reprehendit iſtam: Magnorum fluminum navigabiles fontes ſunt & generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt. Etſi ergo plane etiam ab Hiſtoria velut ab exemplo comparatio peti poteſt, ut ſ. d. ſicut Campaniæ deliciæ debilitarunt Hannibalem, eumq; qui hactenus invictus fuerat, ejecerunt Italia; ita frangunt atque effæminant præclaros ſæpe animos Voluptatum ſtudia, & intercipiunt gloriam, quam ante virtute ſua conſecuti erant.

erant. Non tamen impedit quo minus à vulgata quadam Fabula comparatio ducantur, quod licet verum illa non exponet, eo tamen quod proponit verum ſignificet, quemadmodum ad præf. Phædri lib. 1. lit. l. et m. p. 4. notavimus e. g. ſ. d. Quemadmodum Jaſon Theſſalus multa acerba duraque perpeſſus eſt, priuſquam veniret Colchos, & aureo potiretur vellere: ita multo ſudore laboreque exantlando opus eſt, priusquam non vulgare doctrinæ genus nobis comparamus. Item: Sicut Lernea hydra innumerabilia geſtaſſe capita fingitur, quorum uno ſucciſo mox repullularit alterum; ita fæcunda quoque vitia ſunt, ut ſi unum deviceris, ſtatim naſcatur aliud, quo cum tibi poſt hac ſit congrediendum. Monet etiam 2. idem Fabius lib. 8. cap. 3. *Ut quod illuſtrandæ alterius rei gratia aſſumitur clarius eo ſit, quod illuminatur*; Eamque ob cauſam reprehendunt nonnulli in Auguſtino, quod libris de Trinitate imagines illius myſterii ab ejusmodi rebus ſumſerit quæ nec vulgo, nec inter eruditos confeſſæ, ipſæque adeo luce potius indigerent quam ut eam huic myſterio affundere poſſent; quocirca & Hilarius lib. 8. idem tractans argumentum ſcripſit: Omnis comparatio ad intelligentiæ formam præſumitur, ut id de quo agitur, ſecundum propoſitum exemplum exequamur. *Ultimo proportionatum quoque ipſi rei id eſſe convenit, quod cum illa comparatur*. Ita Orator quidem in Orat. pro Roſc. Amer. L. Syllam ſummum imperatorem cum Jove qui univerſo huic præeſſe credebatur, contulit; Virgilius autem facetè Ecl. 1. v. 19. Paſtoris perſo-

nam ſibi ſumens h. m. Urbem quam dicunt Romam, Melibæe putavi ſtultus ego huic noſtræ (ſc. Mantuæ) ſimilem quò ſæpe ſolemus Paſtores ovium teneros depellere fætus. Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos Noram: ſic parvis componere magna ſolebam. Scaliger itaque lib. 6. de arte Poet. qui Hypercriticus cap. 4. Hieronymum vidam hoc nomine caſtigavit ſcribens: Nollem JEſum Eridano comparare ut ille fecit, auctum aliorum fluminum acceſſione. De Comitatu verum eſt, de Chriſto impium. Et mox: vix hæc ſine labe tractata ſunt ab iſtis [Pontificiis ſcriptoribus] omnibus; dum enim ſplendorem rebus a ſuis Muſis addere cupiunt, adimunt illis cæleſtem lucem. Antequam verò hinc diſcedamus pro inſtituti ratione etiam hujus loci exemplum de beneficiis Dei erga genus humanum adducemus è Micrælii lib. 2. de Copia cap. 4. p. 190. Inſtituit veri ibidem 1. comparationem à *minori* h. m. ſi gallina cibum quærit pullis, num DEus nos deſertos fame interire patietur; quos ardentiori affectu complectitur, quam qui in animalculum iſtud cadere poſſit, 2. *à majori.* ſi pater inſomnes pro filio noctes ducit, ſalutemque ejus & vocis & ipſo educationis atque inſtitutionis opere procurat, ſuique ducit eſſe officij ut æris quicquam in eum liberaliter eroget, quo ſuſtentare vitam commodè & veſtiri queat, qui Deus qui vitam dedit, & æternam nobis ſalutem ab æterno præparavit, non ea nobis adjiceret, quæ ad vitæ naturalis ſuſtentationem neceſſitas requirit, 3. à *pari* Deus angelos in ſummo felicitatis gradu collocatus ineffabili dignatur

tur gaudio. Quo verò illi gradu nobis præferendi? Nam ſi intellectu præditi ſunt, nos rationis uſu deſtituimur? Num, quid illis conceſſum, quod nobis negatum? Qui ergo naturæ præſtantia non cedimus angelis, cum iiſdem quoque non æternis frueremur gaudiis, 4. à *ſimili.* Ut gallina pullos ſuos, quos diu fovendo in auram produxit, ſub alas congregat, tegit, cibat, tuetur: ita Deus nos ex utero matris, in quo nos fovit & vita donavit, extractos ad ſe vocat, egenos cibat, nudos veſtit, periclitantes defendit, 5. à *diſſimili.* Neque tamen ut gallina pullos adultos, prorſus obliviſcens eorum, deſerit, ſic quos condidit & à pueritia adoleſcentiam enutrivit, variiſque beneficiis affecit, inde relinquit: ſed quo magis hæc beneficia illius agnoſcimus hoc pluribus nos beneficiis cumulat, ab omnibus malis nos defendit, & ad beatam æternitatem nos perducere ſerio cupit.

PUNCTUM VII.

DE
LOCO A DISSIMILIBUS ET OPPOSITIS.

D*iſſimilitudo* eſt quorundam in uno tertio convenientium in alio differentia; quemadmodum Catullus Carm. 5. Soles occidere & redire poſſunt. Nobis cum ſemel occidit brevis lux Nox eſt perpetuò una dormienda, *ducitur* autem pariter *diſſimilitudo* vel à *dictis* e.g. Alexander M. tanti fecit

Homerum, ut cum in Sigæo ad Achillis tumulum aſtitiſſet, dixerit: O fortunate adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem habuiſti: Plato verò illum & omnes Poëtas è Republica ejiciendos eſſe docuit, vel à *factis*. Junius Brutus occidit filios ſeditionem molientes: L. Manlius autem virtutem filii morte mulctavit, vel ab *eventu* e. g. Milo Crotoniata viribus confiſus interit: iisdem verò præditus Hercules multis fuit auxilio, denique & à *Fabulis*. Formicæ tota æſtate grana tritici in horrea congerunt; Cicadæ verò idem tempus cantando transmittunt. Illæ igitur repoſitis alimentis famem in hyeme depellunt: has vero eſurire oportet & ab iſtis victum petere. *Plurimum verò disſimilia quoque conferunt ad rem* cum *explicandam* tum *amplificandam* e. g. Cic. Act. 5. in Verr. Nemo ferè veſtrum eſt, quin quemadmodum captæ ſint à M. Marcello Syracuſæ, ſæpe audierit, non nunquam etiam annalibus legerit. Confertè hanc pacem cum illo bello, hujus prætoris adventum cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto, hujus libidines cum illius continentia: ab illo qui cepit, conditas: ab hoc qui conſtitutas accepit captas dicetis Syracuſas. Ac jã illa omitto, quæ diſperſè à me multis locis dicentur ac dicta ſunt; forum Syracuſanorum, quod introitu Marcelli purum à cæde ſervatum eſt, id adventu verris ſiculorum innocentium ſanguine redundaſſe: portum Syracuſanorum, qui tum & noſtris claſſibus & Carthaginenſium clauſus fuiſſet, cum iſto prætore Cilicum myoparoni prædonibusque paruiſſe; mitto adhi-

adhibitam vim ingenuis, matres familias violatas, quæ tum urbe capta commiſſa non ſunt &c. Eumenes etiam pro reſtaurandis Scholis Mænianis. Neque enim tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, ut neſciam quanta ſit inter hanc aciem fori, & noſtra illa ſecreta ſtudiorum exercitia diverſitas. Ibi armantur ingenia, heic præliantur. Ibi præluſio, hîc pugna committitur: heic plerumque velut ſudibus & ſaxis, illic telis ſplendentibus dimicatur: Heic ſudore & quaſi pulvere ſordidus, illic inſignis ornatu laudatur Orator; Ut ſi uterque experiundi cauſa officia commutent, alium quidem tubarum ſonus & ſtrepitus armorum, alium triumphi cupido deterreat. Claudian Lib. I. de Laudib. Stiliconis extr. An quisquam Tigranem armaque pondi vel Pyrrhum Antiochique jugum, vel vincla Jugurthæ Conferat aut Perſen debellatumque Philippum? Hi propagandi ruerant pro limite regni; Heic ſtabat Romana ſalus: ibi tempora tuto Traxerunt dilata moras; heic vincere tarde vinci pene fuit. *Disjunguntur* autem h. m. *vel plura ſimul à pluribus* e. g. Cic. pro Muræna quando diſſimilia Servii Sulpitii in jure dicundo & Murænæ in bello gerendo ſtudia commemorat. Reliqui temporis ſpatium in contentionem vocatur. ab utroque diſſimillima ratione tractatum eſt. Servius hîc nobiſcum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cavendi, plenam ſollicitudinis & ſtomachi ſecutus eſt: Jus civile didicit, multum vigilavit, laboravit, præſto multis fuit: multorum ſtultitiam perpeſſus eſt, arrogantiam pertulit, difficultatem exſorbuit: vixit

xit ad aliorum arbitrium non ad ſuum Magna laus, & grata hominibus, unum hominem elaborare in ea ſcientia quæ ſit multis profutura. (Atque his ſtudiis opponit jam ſtudia Murænæ) Quid Muræna interea? Fortiſſimo & ſapientiſſimo Viro, ſummo Imperatori, Legatus L. Lucullo fuit: qua in Legatione duxit exercitum, ſigna contulit, manum conſeruit, magnas copias hoſtium fudit, urbes partim vi, partim obſidione cepit. Aſiam iſtam refertam & eandem delicatam ſic obiit, ut in ea neque avaritiæ, neque luxuriæ veſtigium reliquerit. Maximo in bello ſic eſt verſatus, ut hic multas res & magnas ſine Imperatore geſſerit, nullam ſine hoc Imperator &c. Idem pro Rabir. Quamobrem uter noſtrum tandem Labiene popularis eſt, tunc qui civibus Romanis in concione ipſa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere, qui in Campo Martio comitiis centuriatis, auſpicato in loco crucem ad civium ſupplicium defigi & conſtitui jubes; an ego, qui funeſtari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum populi Rom. ab illis nefarii ſceleris veſtigiis eſſe dico? qui caſtam concionem ſanctum campum inviolatum corpus, omnium civium Romanorum jus libertatis defendo ſervari oportere &c. Et act. 5. in Verr. circa fin. Nunc ad Marcellum revertar, ne hæc à me cauſa commemorata eſſe videantur; qui cum tam præclaram urbem, vi copiisque cœpiſſet, non putavit ad laudem populi Rom. pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præſertim nihil periculi oſtenderetur, delere & extinguere, itaque ædificiis omni-

omnibus publicis & privatis ſacris & profanis ſic pepercit, quaſi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda veniſſet. In ornatu urbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis. Victoriæ putabat eſſe, multa Romam deportare, quæ ornamento urbi eſſe poſſent: humanitatis, non plane ſpoliare urbem, præſertim quam conſervare voluiſſet. In hac partitione ornatus, non plus victoria Marcelli populo Rom. appetivit, quam humanitas Syracuſanis reſervavit &c. (Tranſit deinde ad facinora verris) Conferte, ait, Verrem; non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro fiat injuria, ſed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum & juriſdictionem cum ferro & armis, adventum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis. Ædes Minervæ eſt inſula, quam Marcellus non attigit, quam plenam, quam ornatam reliquit; quæ ab iſto ſic ſpoliata atque direpta eſt, ut non ab hoſte aliquo, qui tamen in bello religionem & conſvetudinis jura retineret: ſed ut à barbaris prædonibus vexata eſſe videatur &c. Et Marcellus, qui ſi Syracuſas cepiſſet, duo templa Romæ ſe dedicaturum voverat, quod erat ædificaturus, iis rebus ornare, quas ceperat, noluit: Verres qui non honori neque virtuti, ut ille, ſed veneri & cupidini vota deberet, is Minervæ templum ſpoliare conatus eſt. Ille Deos Deorum ſpoliis ornare noluit. Hic ornamenta Minervæ Virginis in meretriciam domum transtulit, vel *disjunguntur etiam ſingula à ſingulis*. Cic. iterum pro Muræna paulò poſt: Sed ut ad ſtudiorumque artium contentionem revertamur, qui po-

partibus ab adulatore amicus differat, ſic inter cætera: Ex propoſito, uſuque & inſtituto animi ab amico adulator diſtinguitur. Sicut uterque & qui virtutis ſtudio, & qui mercedis cauſa militat, armis utitur, nec tamen de operibus eorum ab externa quiſpiam actione judicat; cum pro inſtituti ratione uſum utriuſque potius diſtinguat. Alter ſervare amicum ſolet, quia eſt amicus, alter ſe mercede cuilibet addicit: Alter in eo quod agit, ſuæ ſpontis eſt, alter venalis: Alter iis fidem ſervat, cum quibus fœdus contraxit, alter ne iis quidem, cum quibus amicitiam. Eodem adulatorem ab amico differre puta: Ambobus enim accidit, ut eodem modo agant, eodem modo cum amicis vivant, cum tamen alter ab altero, vel ex uſu, vel ex fine, vel ex animi propoſito ſit diſcernendus: Amicus enim id, quod bonum putat, ſive id dolorem poſtea ſive voluptatem afferat, cum amico communicat, & ex æquo fruitur: Adulator ex præſcripto libidinis ſuæ quicquid cum amico agit, ad lucrum ſuum dirigit. Amicus æqualitatem, proprium bonum ſpectat adulator. Alter æqualitatem in virtute, alter lucrum in voluptate. Alter paritatem in congreſſu, alter humilitatem in cultu. Alter veritatem in familiaritate, alter fraudem. Alter emolumentum in poſterum, alter in præſens delectationem. Alterius beneficia memorari gaudent, alterius fraus ſepeliri poſtulat. Alter quæ amici ſunt, ut communia curat, alter ut aliena conſumit. Amici & in ſecundis rebus familiaritas gratiſſima eſt, & in adverſis ſortem ex æquo fert; adulator neque ſecundis rebus ex-

pleri poteſt, neque in adverſis unquam apparet. Amicitia laude, vituperio digna eſt adulatio. Amicitia par pari rependit utrinque, adulatio claudicat; qui enim egeſtate adductus, ut id conſequatur, quod deeſſe ſibi videt, alterum colit, inæqualem ſe fateatur neceſſe eſt, quatenus non viciſſim ab illo colitur. Amicus ſi ignoretur, adulator niſi ignoretur miſer eſt: Amicitia ſi exploretur confirmatur adulatio ſi exploretur perit. Amicitia tempore creſcit, adulationem tempus conficit. Amicitia nullius unquam eget, alicujus ſemper adulatio. *Oppoſita* autem h. l. duæ naturæ appellantur ſibi invicem adverſæ; neque enim adhanc operam illa quam Logici tradunt oppoſitorum diſtinctio vel genera tantum conferunt, ut ea ſeorſim exequi operæ pretium eſſe queat. Hæc verò *contraria maximam vim habent ad ornandum & amplificandum*; Quæ enim caſus habent in exitu ſimiles, ut Cic. lib. de Orat. ait, ſive paribus paria reddun-tur ſive opponuntur contraria, ſuapte natura numeroſa ſunt, etiamſi nihil ſit factum de induſtria, e. g. in Orat. pro Roſc. Com. venit ad Claudium: quem hominem? levem? imo graviſſimum? mobilem? imò conſtantiſſimum? familiarem? imo alieniſſimum. Et viciſſim paulò ante: Fuit illa pecunia immanis, hæc parvula: illa honeſta, hæc ſordida: illa propria, hæc in cauſa & in judicio collocata. *Opponuntur* autem pari fere modo *contraria* aliquando *ſingula ſingulis* e. g. Cic. 2. in Catil. n. 24. Inſtruite nunc Quirites contra has tam præclaras (Catilinæ) copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus, & primum gladiato-

ri

ri illi confecto & ſaucio Conſules Imperatoresque veſtros opponite; deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italiæ ac robur educite. Jam verò urbes Coloniarum ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſylveſtribus, viciſſim num. ſeq. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia illinc libido &c. Plinius quoque in Paneg. Traj cap. 4. Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace: alium toga, ſed non & arma cohoneſtarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit. Cerdà quoque Volum. 2. Campor. pag. 569. fin. Hic fuit humili genere natus, ille claris ortus parentibus: ille inops & egens rerum, hic locuples & copioſus: ille obſcurus & humilis, hic clarus & illuſtris: Ille nullo nomine, nullis literis inſtructus: ille deformitate oris & corporis pravitate, hic dignitate oris, & omnibus corporis partibus decenter ornatis: ille horridus & incultus barbarus & agreſtis, hic omni cultu & humanitate politiſſimus denique homo ille ſordidus, hic honeſtus & liberalis &c. *Interdum* verò *plurima ſimul plurimis*. Cic. Orat. cit. in Catil. n. 24. Neque verò cæteras copias ornamenta præſidia veſtra cum illius latronis inopia atque egeſtate debeo conferre. Sed ſi, omiſſis his rebus omnibus, quibus nos ſuperamus, eget ille Sena-

natu, equitibus Romanis, populo urbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus exteris nationibus; ſi inquam his rebus omiſſis, ipſas cauſas, quæ inter ſe confligunt contendere velimus ex eo ipſo, quam valde illi jaceant, intelligere poſſumus, viciſſim n. ſeq. Denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus &c. Et pro Quinct. n. 92. Ea res nunc in diſcrimine verſatur: Utrumne poſſit ſe contra luxuriam & licentiam ruſticana illa atque inculta parſimonia defendere: an deformata atque ornamentis omnibus ſpoliata, nuda, cupiditati petulantiæque addicatur? Non comparat ſe tecum gratia P. Quinctius Sext. Nævi non facultate contendit, omnes tuas artes, quibus tu magnus es tibi concedit; Fatetur ſe non belle dicere, non ad voluptatem loqui poſſe, non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare, non profuſis ſumtibus vivere, non ornare magnificè ſplendideque convivivium; non habere domum caluſam pudori & ſanctimoniæ: patentem atque adeo expoſitam cupiditati, & voluptatibus: contra ſibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino ſemper horridam atque aridam cordi fuiſſe.

PUNCTUM VIII.
DE
LOCO AB AUTORITATE.

Optimorum autorum ſuffragiis ſuam *firmare ſententen-*

tentiam, ait Cicero 1. Tuſc. n. 11. in omnibus cauſis, & debet & ſolet valere plurimum; Inde 2. de Offic. cap. 7. nihil alienius eſſe oſtenſurus ad opes tuendas & ſtabiliendam potentiam, Enniana idem ſententia confirmat: Quem metuunt oderunt; & quem quiſque metuit, periiſſe expetit; & pro Archia Poetas docens divino afflatu agitari, ejusdem viciſſim teſtimonio id confirmat, dicens: Quare ſuo jure noſter Ennius ſanctos appellat Poetas, quod quaſi Deorum aliquo dono ac munere commendati nobis eſſe videantur. Non tantum verò ad fidem: ſed *ad Ornamentum* quoque teſtimonia præcipuè Poetarum valent, judice Quintil. lib. 1. cap. 8. ubi exemplis confirmat, ſummos Oratores veterum Poemata cum ad fidem cauſarum, tum ad ornamentum, eloquentiæ aſſumere, idque non eruditionis modò gratia, ſed etiam jucunditatis, quod Poeticis voluptatibus aures à forenſi aſperitate reſpirent. Sic idem viciſſim Cicero de optimo genere Oratorum: A mea autem ut cum maximis minima conferam, gladiatorum par nobiliſſimum inducitur Æſchines tanquam Æſerninus ut ait Lucilius: non ſpurcus homo; ſed doctus & acer cum Pacidiano hic componitur optimum longè poſt homines natos. Et 4. Acad. Quæſt. Ego vero ipſe ſum magnus opinator; Non enim ſum ſapiens & meas cogitationes ſic dirigo, non ad illam parvulam Cynoſuram: Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto (ut ait Aratus) eoque directius gubernant, quod eam tenent Quæ curſu interiore brevi convertitur orbe: Sed ad Helicen & clariſſimos Septentriones id eſt

ratio.

rationes has lætiore ſpecie, non ad tenue elimatos, viciſſim 5. de finibus: Neque enim ſi nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos aut alia exitia quærunt; aut ut ille apud Terentium, qui decrevit tantisper ſe minus injuriæ ſuo gnato facere, ut ait, ipſe dum fiat miſer. Iterum 1. Tuſc. n. 5. Dic quæſo, num te illa terrent, triceps ap. inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acheruntis, mento ſummatem aquam attingens Tantalus. Num illud quod Siſyphu verſat, Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum? Seneca quoque de otio Sapientis cap. 1. Nos (Stoici puta) qui nullis annis vocationem damus, & quod ait ille vir diſſertiſſimus: Canitiem galea premimus. Quin, & ipſi *Poetæ*, quamvis rarius, Poetarum carmina citant. Pindarus e. g. quoddam Cyreneorum Canticum Pyth. Ode 5. Ep. 1. & Plautus Curcul. Act. 5. ſc. 1. princip. Poetæ veteris de Mulieribus dictum laudat, immo *in Exordiu*, adeoque antequam quicquam rationibus firmatum, Poetarum adhiberi non quam teſtimonia obſervamus. Cic. 1. Acad. Quæſt. Ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult fodere aut arare, aut aliquid ferre denique; Non enim illum ab induſtria, ſed ab illiberali labore deterret: ſic iſti curioſi &c. Eleganter quoque Petr. Joh. Perpinianus omnium fere judicio ad Ciceronem proximè accedens Orationem ſextam de Arte Rhetorica diſcenda, cum jam ſenior optimi Oratoris de Oratore libros explicare juberetur, Horatiano dicto Lib. 1. Ep. 1. ſermonem orditur. Spectatum ſatis & donatum jam rude Mæcenas iterum antiquo

quo me includere ludo Non eadem eſt ætas. Sic & inter *Poetas* Sophocles Trachinias ſuas Solonis dicto, quo neminem felicem prædicandum ante obitum ſtatuit, auſpicatur, & Seneca in Herculeo & Act. 3. Orphei dicto Tragicum carmen ita orditur: verum eſt, quod cecinit ſacer Threſſæ ſub Rhodopes jugis, Tangens Threiciam chelyn Orpheus Calliopes genus æternum fieri nihil &c. Cæterum quò hoc magis fides dicto conſtet, cum *autorem* laudare ſolent Oratores, e. g. Cic. in Bruto cap. 15. Cornelii Cethegi prædicans facundiam, Ennii teſtimonium ab omni adulationis ſuſpicione liberat; Quem verò extet, & de quo ſit memoriæ proditum, eloquentem fuiſſe, & ita eſſe habitum primus eſt M. Cornelius Cethegus; cujus eloquentiæ eſt autor & idoneus quidem mea ſententia, Quintus Ennius, præſertim cum & ipſe audiverit, & ſcribat de mortuo: ex quo nulla ſuſpicio eſt, amicitiæ cauſa eſſe mentitum; Eſt igitur ſic ap. illum in nono ut opinor Annali ſcriptum: Additur Orator Cornelius ſuave loquenti Ore Cethegus Marcu Tuditano Collega Marci filius. Et Oratorem vocat & ſuaviloquentiam tribuit; quæ nunc quidem non tam eſt in plerisque: latrant enim nonnulli non loqvuntur. Tum dictum. Sic idem ibid. Sed eſt ea laus eloquentiæ maxima (mox aliam illius Carminis partem producens pergit) is dictus ollis popularibus olim Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant Flos delibatus populi (ad cujus dicti commendationem ſubjicit) Probè verò. Ut enim hominis decus ingenium: ſic ingenii ipſius lumen eſt

eſt eloquentia, qua virum excellentem præclarè tum illi homines florem populi eſſe dixerunt. Pariter Seneca lib. de tranquillitate animi cap. 14. producturus eam in rem autoritatem Julii Cani, primò eum laudat: Canus Julius, vir imprimis magnus, cujus admirationi ne hoc quidem obſtat, quod noſtro ſeculo natus eſt, cum Cajo etiam altercatus, poſtquam abeunti Phalaris ille dixit: Ne forte inepta ſpe tibi blandiaris, duci te juſſi; Gratias inquit ago, optime Princeps &c. (mox cum dubitationem quandam interſerens, reſponſi ſenſum indicaſſet, ſubjicit) Ecce in media tempeſtate tranquillitas: ecce animus æternitate dignus, qui fatum ſuum in argumentum veri vocat: qui in ultimo illo gradu poſitus exeuntem animam percontatur: neque uſque ad mortem tantum, ſed aliquid etiam ex ipſa morte diſcit (mox redit ad Cani laudes) ſed non raptim relinquetur magnus vir, & cum cura dicendus. Dabimus te in omnem memoriam clariſſimum caput Cajanæ cladis magna portio. In citandis verò graviſſimorum virorum teſtimoniis Oratores non eam curam adhibent, quam Hiſtoriographi qui potiſſimum in facti quæſtione verſantur: ſed quoniam plus roboris in adductis à ſe rationibus poſitum videri cupiunt, levi brachio illa teſtimonia tractant, & quaſi tranſeunt. *Non* principio *inhærent idiomati Originario*, quo illa verba ab autore profecta, *ſed ſua vernacula lingua* ea *proferunt*. Sic 1. Tuſc. n. 8. Cicero: Dicam ſi potero latinè; ſcis enim me Græce loqui in latino ſermone non plus ſolere quam in Græco latinè e-

tiam

tiam inter Poëtas Horatius 1. Serm. Sat 10. v. 20. Lucilium hoc nomine perſtringit, quod verbis Græca Latinis miſcuerit, & provocat ibidem ad conſuetudinem Oratorum ſuo tempore celebrium Pedii ſc. atque Meſſalæ qui nunquam Patriis intermiſcere petita verba foris fuerint ſoliti. *Neque* porro *ipſa verba ſed ſenſum ſaltem eorum* plerumque in medium *adducunt*. Seneca Epiſt. 33. Viro captare floſculos turpe eſt, Et fulcire ſe notiſſimis & pauciſſimis vocibus atque memoriæ ſtare; quin neque Chriſtus neque Apoſtoli loca veteris Inſtrumenti citantes, eadem ſecundum verba quæ in textu originario habentur ſemper proferunt: ſed vel interpretationem ſeptuaginta tum in Judæa familiarem ſeqvuntur, vel ſenſum modo verborum referunt aut non integra. Sed *prima tantum verborum capita* afferunt e. g. Cic. de Senect. cap. 6. Quo vobis mentes rectè quæſtare ſolebant. Antehac dementi ſeſe flexere ruina? cætera graviſſimè. Notum enim nobis carmen eſt, (Ennij ſcil.) Plinius quoque Lib. 3. Epiſt 9. Erat in conſilio Sertorianum illud exemplum, qui robuſtiſſimum & infirmiſſimum militum juſſit equi caudam reliqua noſti. Conf. verba Orat. pro Plancio mox adducenda. Nonnunquam *neque Autoris* hoc minus autem *libri meminerunt*. Sic Cic. Orat. pro Sext. Eſt labor non nego, pericula magna fateor. Multæ inſidiæ ſunt bonis veriſſimè dictum. Et pro Plancio n. 24 Hæc illi ſoleo præcipere, quæ ille à Jove ortus ſuis præcepit filiis: Vigilandum eſt ſemper, multæ inſidiæ ſunt bonis, Noſti cætera; Non rarò etiam *memoriæ ſuæ ſe diffidere ſimu-*

 lant

lant. Cic. in Bruto cap. 15. Eſt igitur ſic apud illum (Ennium ſc.) in nono ut opinor Annali ſcriptum, Et de Amicitia cap. 23. verum igitur illud eſt, quod à Tarentino Archita, ut opinor dici ſolitum, noſtros ſenes commemorare audivi. Similiter Gellius Lib. 1. Noct. Att. cap. 3. Ea diſputatio ſcripta eſt, ſi rectè memini in libro ejus (ſc. Theophraſti, cujus modo meminerat) de amicitia primo. Denique *Cicero* ſi quando cauſa poſtulat, ejus generis teſtimonia afferre, *in Orationibus* plerumque [in Philoſophicis enim libris illarum tractatio rerum libentius illa admittit] *excuſatione* quadam *utitur.* Sic in Orationis pro Archia exordio ſtatim veniam petit, quod genere dicendi utendum ſit, cum à conſuetudine judiciorum tum à ſermone forenſi non nihil remoto; & in fine viciſſim h. m. inter cætera: Quæ non fori, neque judiciali conſuetudine, & communiter de ipſius [ſc. Archiæ poetæ] ſtudiis locutus ſum, ea Judices à nobis ſpero in bonam partem accepta: ab eo qui judicium exercet, certè ſcio. Ita quoque in Orat. pro Sextio n. 55. cum ex veteri quadam Comædia nonnulla adduxiſſet, mox ſubjicit: Quæſo h. l. Judices, ne qua me levitate ductum, ad inſolitum genus dicendi labi putetis, ſi de Poetis, de hiſtrionibus, de ludis in Judicio loquar. Non ſum tam ignarus judices cauſarum, non tam inſolens in dicendo, ut omni ex genere Orationem aucuper, & omnes undique floſculos carpam atque delibem. Scio quid gravitas veſtra, quid hæc advocatio, quid illi conventus, quid dignitas Publii Sextii, quid periculi magnitudo, quid

ætas,

ætas, quid honor meus poſtulet. Viciſſim in Piſo-niana n, 28. cum Epicuræi cujusdam dogmatis feciſſet mentionē, de veritate ejus ibi inquirere alienum pronunciat: Rectè an ſecus [dicens] illi [ſc. Epicuræi] nihil ad nos, aut ſi ad nos nihil ad hoc tempus. Et paulo poſt, cum eadem in Oratione Philodemi Græci cujusdam hominis mentionem injeciſſet, qui carminibus affectaſſet Lucium Patronum, multa ſe dicit ex iis poſſe recitare niſi vereretur, ne hoc ipſum Orationis genus ab ejus loci more abhorreret. Non gravabor his ſubjungere, quæ optimus hujus ſeculi Orator Auguſtus Buchnerus lib. de commutata dicendi ratione cap. 19. pag. 613. in declamatoribus quibusdam obſervarat; ſic enim ibidem: Profectò movit mihi riſum ſæpius, non rarò & bilem, enormis iſte citationum apparatus, cum indubitata maximè & nota omnibus, ac divulgata prorſus, multis teſtimoniis fulciuntur, & propè religioni eſt, vel verbum ſine autore ponere; quod profeſtò aut humilis aut parvi hominis eſt, aut inanis ac vani. Nam vel diffidunt Lectoribus citatores iſti, & metuunt ut ſibi adhibeantur fides, quo nihil abjectius: aut multa legiſſe videri volunt; quod etſi præclarum atque eximium eſt, id oſtentare tamen jactanter puerile & vanum. Quamquam & ſæpius accidit, ut citatores iſti, ne ſextam eorum librorum partem, quos laudant, vel inſpexerint ſaltem leviter, ne dum legerint. Et tamen videri velle, noviſſe omnia hæc atque legiſſe, quantam levitatē habet? Itaq; cum nihil de ſuis theſauris proferant, & abs ſe inopes, ſola aliorum induſtria nitantur,

tur, non eſt quod ferocire magnopere, & caudam jactare ſuperbius velint. Mihi verò eorum ratio vehementer placet qui non oſtendant eruditionem, ſed præſtant; nec tam de alieno magnifici eſſe, quam propriis opibus nitere volunt, & ipſi magis proferre egregia ac pulchra, & quæ juvare poſteros poſſint, quam nunquam, niſi aliorum beneficio ſapere. Hoc viros, hoc doctos decet: hoc utilitatem pariter & admirationem habet. Hactenus graviter nobiliſſimus Autor. Finirem hîc, niſi genus quoddam hominum ſingularem & amplificandæ & exornandæ Orationis rationem in ſpergendis ſcil. paſſim Principum aliorumque emblematis hinc inde compilatis ſe inveniſſe arbitraretur; Inſtitutionumque adeo Oratoriarum maximam partem his ipſis farciret. Illa verò non incommode ad teſtimonia ſive Autoritatem prudentum revocari atque reduci poſſe exiſtimo; Eſt etenim *emblema* finiente Aloyſio Balbino part. 2. de Amplif. §. 4, p. 58 non niſi ſententia pictura quadam expreſſa ad mores translata & vitam. Fons illius ſimilitudo cujus una pars *protaſis* res ſc. unde illa petita: altera *apodoſis* ſ. applicatio e. g. Cifræ ſolius cum lemmate; unum neceſſarium, hic ſenſus eſt: ſicuti cifra ſola nihil prorſus, at ſi vel unitatis ſignum, ei præfigatur plurimum valet; ita hæc mundana nihil; ſcopus autem amoris divini huic præfixus plurimum ei valoris addit. Viciſſim, aquila proxime ad ſolem accedens, cui ad ardorem illius plumæ decidant, cum lemmate: cadant plumæ, modò ut videam, id ſibi vult: quemadmodum aquila adeo inſpectione ſolis dele-

delectatur, ut ad decidentes à corpore plumas non reſpiciat: ſic & fidelis anima ſpernit has corporis exuvias, & Oculos in Deo irretortos unice defigit; ejus generis bene multa congeſſerunt Sylveſter Petra ſancta, Scipio Bargalius, Savedra, Emanuel Theſaurus, Pincinellus & Engelgrav; nec non alii, ſed in quibus ſunt mala mixta bonis, & bona mixta malis, Pulcherrima ſunt, quæ petuntur é rebus communiter obviis, in quibus tamen acrimonia quædam & admiratio: Præcipui præter ſimilitudinem *fontes* ſunt. *Alluſio* e. g. ſectus anguis, cum lemmate: dum ſpiro ſpero; item Horologium cum inſcriptione: Tempus tacendi, tempus loquendi. Et *Oppoſitio* e. g. Chartaceus Draco, cum lemmate: præſtant adverſa ſecundis; item aves muſcis undique dependentibus telam aranearu m rumpentes, cum inſcriptione: Lex exlex. *Lemmata* brevia, arguta & aperta ſunt optima; quaſdam quoque figuras admittunt, e. g. *Reticentiam*, ut quando Romani à Julio Cæſare oppreſſi ad Bruti ſtatuam, pileum & pugionem ſcripſerunt: Utinam viveres. *Proſopopœiam* quando ſc. res picta loquitur e. g. Sclopus cum lemmate: ſi tangar Nymphæa quoque quæ noctu ſe immergit, de die verò emergit ad Solem: Per te mergor & emergo. *Antitheſin* quoque e. g. Lapis quadratus in terra jacens, quoniam ſuperiori facie cœlum, inferiori terram reſpicit, cum inſcriptione: Suſpiciendo deſpicio, deſpiciendo ſuſpicio; item Cancer cum lemmate: Retrocedens accedo. Plura hujus rei præcepta dederunt Jacobus Maſenius primum in Arte argutiarum;

præcipuè verò deinceps in Speculo Imaginum veritatatis occultæ pag. 6. & ſeq. nec non Quirinus Pegæus ſive Philippus Harsdorfferus in Arte Apothegmatica bipartita in principio cujusque operis.

PUNCTUM IX.

DE

LOCO AB EXEMPLIS.

EXempla non raro ad amplificationem, præcipuè autem *ad fidem valent*; Homines enim ut plurimum plebeij narrationibus quoniam ſenſui propiores ſunt ducuntur magis, quam rationibus ſive enthymematis, ut non diffitetur Ariſtot. Problem. 18. ſect. 10. & denique adſtipulatur Cicero in Orat. n. 34. Commemoratio (dicens) antiquitatis, exemplorumque prolatio ſumma cum delectatione & autoritatem Orationi affert & fidem. Calculum quoque his addit Macrobius 5. Saturnal. cap. 4. Plebeja Ingenia (inquiens) magis exemplis quam rationibus. Cum autem exempli gratia, non tantum hiſtoriæ afferri ſoleant ſed & fabulæ, ut quando Cic. pro Cælio inducit Terentiani illius parentis verba: Fores effregit, reſtituentur: diſcidit veſtem, reſarcietur; etiam efficta illa plurimum fidei veritati conciliant, quod & agnoſcit Fab. Quintilianus lib. 5. Inſtit. Orat. cap. 2. Illæ quoque Fabulæ (ſcribens) ducere, animos ſolent præcipuè ruſticorum & imperitorum, qui & ſimplicius quæ ficta ſunt, audiunt, & capti voluptate, facilè iis quibus delectantur, conſentiunt; Idque con-

conſtat ex oratione Menenii Agrippæ ap. Liv. lib. 2. cap. 32. qui recitata fabula de membris humanis adverſus ventrem conſpirantibus, illico multitudinem concitatæ plebis compeſcuit, patribus reconciliavit. Quoniam autem *exempla* vel *domeſtica* ſunt vel *extranea*, itemque vel *antiquiora* vel *recentiora*; Habet quidem ut ait Cic. de Orat. n. 50. ut in ætatibus autoritatem ſenectus ſic in exemplis etiam antiquitas: recentia tamen non minus vis ſua gratiaque commendat: & Autor Dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ cap. 8. lubentius ait ſe novis & recentibus, quàm remotis & obliteratis uti: Nec non Seneca Epiſt. 83. Inſtruenda eſt vita exemplis illuſtribus; non ſemper confugiamus ad vetera. Cæterum domeſtica quoque magis, quam aliena & peregrina movent; quare & Cicero in Oratore num. 34. cum de cognoſcenda Oratori Hiſtoria præcepiſſet: Cognoſcat (inquit) rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem, maximè ſc. noſtræ civitatis. Etſi verò ante ingreſſum ad cauſam in aliis libris Cicero exempla nonnunquam præmittit, in Orationibus tamen ab iisdem vix unquam exordium capit, ibidemque Oratorem præſtaret iis abſtinere; neque ſita ea & longius ducta exiſtimentur, tædium ſtatim ab initio auditoribus creent. *Exemplis* autem potiſſimum ad *confirmandum ob cauſæ ſimilitudinem* utimur: quemadmodum ad refutandum oſtendendo ea quæ afferuntur eſſe diſſimilia e. g. 1. Catilin. n. 12. ſi ſummi viri & clariſſimi cives, Saturnini & Grachorum & Flacci & ſuperiorum complurium ſanguine non modò ſe non con-

taminarunt, ſed etiam honeſtarunt: certè verendum mihi non erit, nequid, hoc parricida civium interfecto invidiæ mihi inpoſteritatem redundaret. Sæpiſſimè autem quando *majorum minorumque inter ſe collationem* inſtituimus. e. g. l. cit. n. 1. An vir ampliſſimus P. Scipio Pontifex maximus Tiberium Grachum mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicæ privatus interfecit: Catilinam verò orbem terræ cæde atque incendiis vaſtare cupientem nos Conſules perferemus? Sic & in Orat. pro Milone n. 3. Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui hominem occiſum fateatur. In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit Marci Horatii fortiſſimi Viri; qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam fateretur viciſſim in ead. Orat. paulo poſt Impunè Miloni palam clamare atque mentiri glorioſè liceret: Occidi, occidi, non ſpurium Melium, qui annona levanda jacturiſque rei familiaris, quia minus amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi: non Tiberium Grachum qui Collegæ Magiſtratum per ſeditionem abrogavit; quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis ſui gloria: ſed eum (auderet enim dicere, cum patriam periculo ſuo liberaſſet) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus ſanctiſſimæ fæminæ comprehenderunt, eum cujus ſupplicio Senatus ſolennes religiones expiandas ſæpe cenſuit. Pariter in Oratione Galbæ apud Tacitum Lib. 1. Hiſtor. cap. 15. Piſonem adoptaturi exem-

plo

plo Auguſti docetur, potiori jure ab illo Imperatore Piſonem quam ab hoc Marcellum fuiſſe adoptatum; Verba ita habent. Nunc me Deorum hominumque conſenſu ad imperium vocatum præclara indoles tua & amor patriæ impulit, ut principatum, de quo majores noſtri armis certabant, bello adeptus, quieſcenti offeram, exemplo divi Auguſti, qui ſororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes ſuos, poſtremo Tiberium Neronem privignum, in proximo ſibi faſtigio collocavit: Sed Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſivit: ego in Republica. Non quia propinquos aut ſocios belli non habeam: ſed neque ipſe imperii ambitione accepi; & judicii mei documentum ſint non meæ tantum neceſſitudines, quas tibi poſtpoſui: ſed & tuæ &c. denique in vituperando *contraria* ſibi invicem *exempla* ſolent opponi, e. g. Cic. 4. in *Verr.* cap. 52. Confer hanc pacem (Verris ſc.) cum ille bello (Marcelli) hujus prætoris adventum cum illius Imperatoris victoria: hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto: hujus libidines cum illius continentia; ab illo qui cepit conditás; ab hoc qui conſtitutas accepit captas dicetis Syracuſas. Ita quoque ap. Virgilium Priamus Pyrrho Achillis filio indolem à paterna alienam objicit, quod filium ſuum Politen in ipſo Parentum ſinu trucidaverit: cum pater Achilles contra facilem ſibi dederit veniam, rogatus ut corpus Hectoris ſui interfecti aufferre & ſepelire liceret, 2. Æn. v. 540. At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles Talis hoſte fuit Priamo; ſed jura fidemque Supplicis e-

 rubuit:

rubuit: corpuſq; ex ſangue ſepulchro Reddidit. Hectoreum, meque in mea regna remiſit. In *adducendis* autem *exemplis* id monendum præcipuè, ſi *graviora adſint ea quæ minoris ſunt autoritatis prorſus ſolere prætermitti*: *aliquando* tantum *ſignificari*, ſi ſc. ſatis alias nota atque pervulgata; quoniam ſi in iis diutius immoretur Orator tædium auditoribus crearet e. g. Cic. Philipp. 2. circa init. Tu ne Verbo quidem, ut audacior quàm Catilina, furioſior quàm P. Clodius, viderere ultro maledictis me laceſſiſti. Idem quoque fieri ſolet, quando plura exempla conſtipantur Cic. Catil. 1. n. 4. Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius Conſul videret, nequid Reſpublica detrimenti caperet; Nox nulla interceſſit: interfectus eſt propter quasdam ſeditionum ſuſpiciones C. Grachus, clariſſimo patre natus, avis majoribus: occiſus eſt cum liberis M. Fulvius Conſularis. Simili Senatus conſulto C. Mario & L. Valerio Coſſ. permiſſa eſt reſpublica: num unum diem poſtea L. Saturninum tribunum plebis & C Servilium mors à Reip. pœna remorata eſt? At nos viceſimum jam diem patimur habeſcere aciem horum autoritatis. In *Motibus* autem animorum *concitandis latius exempla diducuntur*, *prætermittendo* ſc. quasdam *laudes Perſonarum* e. g. Cic. pro Cluent. n. 18. Non mihi exemplum ſummi & clariſſimi viri, Publii Africani prætereundum videtur, qui cum eſſet cenſor, & in equitum cenſu C. Licinius ſacerdos prodiiſſet, clara voce, ut omnis concio audire poſſet, dixit: ſe ſcire, illum verbis conceptis peieraſſe; ſi quis contradicere vellet, uſu-

uſurum eſſe eum ſuo teſtimonio, vel easdem *narrationi ſubnectendo*, ut in Gratiarum actione Auſonii ad Gratiarum Imperatorem pro Conſulatu; cum enim dixiſſet; Alexandri Macedonis hoc fertur, cum legiſſet illos Homericos verſus, quibus Nectore provocante è novem Ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret ſortis eventu, trepida ubi conceptione votorum Jovem Opt. max. totus precatur exercitus, ut Ajacem vel Tydei filium, aut ipſum Regem ditium Mycenarum ſortiri patiatur Agamemnonem. Occiderem inquit Illum, qui me tertium nominaſſet (mox ſubjicit) O magnanimitatem fortiſſimi viri, qui nominari inter novem tertius recuſabat, ubi certe pluribus antecelleret, & quàm ſubeſſet. Sic quoque Cic. Lib. 2. Offic. ſub finem, cum de Arato Sicyoni commemoraſſet, qua ratione ille oppreſſam tyrannide patriam liberaſſet ſexcentosque exules reſtituiſſet, mox ſubdit: O virum magnum, dignumque qui in noſtra civitate natus eſſet. Interdum verò & *præcedit* commendatio *rei* & *ſequitur*, Cic. 1. Offic. cap. 12. Pyrrhi de captivis reddendis, illa præclara eſt ſententia (cumque hanc verbis Ennij recitaſſet, mox ſubjungit: Realis ſanè & digna Æacitarum gente ſententia &c. Vel denique *narrationi ſubjicit Epiphonema* e. g. Cic. pro Milone juſtè cum primis & neceſſario occidi hominem, cum vis ab eo illata fuerit exemplo declaraturus, ſic ait: Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu Caij Marii propinquus ejus Imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim inferebat. [mox verò ſubjicit epiphonema]

ma] Facere enim probus adoleſcens periculosè quàm perpeti turpiter maluit. [Tum verò ſubnecti conſequens] Atque hunc illi vir ſummus ſcelere ſolutum periculo liberavit [& ſubjungit tandem applicationem] inſidiatori verò & latroni] quæ poteſt afferri injuſta nex? Sæpe etiam *quædam inter* ponuntur ad concitandos affectus e. g. ibid, Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui Tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? Quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus inſtitui viris? quos cantus? quæ carmina? Prope ad immortalitatem & religionem & memoriam conſecrantur. Vos tanti conſervatorem populi, tanti ſceleris ultorem, non modò honoribus nullis afficietis: Sed ad ſupplicium rapi patiemini. *Fictis* denique *exemplis* tum uti licet, cum ea, quæ opinatur vulgus & in communi vita fere quotidie eveniunt, declarare volumus. Sic Cic. pro Roſc. Amer. n 16. Quid tandem tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, Senex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum filium ruſticum, quam illum alterum Chæreſtratum, nam ut oppinor hoc nomine eſt, alterum honoris ſecum cauſa habere, alterum rus ſupplicii cauſa relegaſſe? &c. Mox addit: Et certe cum ad rem nihil interſit, utrum hunc ego Comicum adoleſcentem, an aliquem ex agro vejente nominem. Etenim hæc conficta arbitror à Poetis eſſe, ut effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtræ quotidianæ vitæ videremus. Atque iſta jam de Amplificatione è locis Dialecticis ſufficiant. Appendicis autem loco exempla adhuc quædam, qualia

lia jam in Comment. de Eloq. Eccleſ. & civili Part. 1. cap. 1. Sect. poſter. art. 2. dedimus, ſubjiciemus. Sit itaque

ARTICULUS IV.

DE PRAXI AMPLIFICATIONIS E LOCIS DIALECTICIS.

Nolui hoc loco Benevole Lector vel laudibus ſuis privare etiam inſtituti hujus mei adverſariũ qui cum Sereniſſ. in hæc atq; modo citata ejusd. generis Progymnaſmata: nec non eas quæ ibidem c. 2. Sect. poſter. Art. 2. punct. 1. p. 727. leguntur, Diſpoſitiones Oratorias, impenſas, faceret, conatus ille hos meos intervertit: vel publicò invidere ſi quæ in uſum Scholarum commoda hinc promanere queant. Tuum itaque & univerſæ poſteritatis judicium eſt: Utrum, ſi mihi in hoc inſtituto licuiſſet pergere, ex uſu ſtudioſæ juventutis id futurum fuiſſet: nec ne? Non nullis certè Scholarum quoque Illuſtrium Rectoribus clariſſimis adeo hæc probabantur, ut Inſpectorum emunctioris naſi judicio ſuis pariter diſcipulis hæc prolixius diducenda atque elaboranda dederint; ego autem labore, quem ſponte ſuſceperam, ſuperſedere facile potui, unde ad me invidiæ plurimum, nihil vero emolumenti redibat. Quod ſi ergo cum rudioribus Præceptor qualem tantum qualem amplificandi rationem, eam tamen quæ ad hanc noſtram proxi-

mè

me accedere, & viam quaſi ſternere videatur, tentare cupiant, in adjunctis conquirendis & concinno ſermone adhibendis exercere eos poterit; ita ut nota *quis* cauſam deſignet efficientem principalem: *quid* materialem ſ: objectum *ubi* ? adjunctum loci. *Quibus auxiliis* ? cauſas inſtrumentales *cur* ? finalem. *Quomodo* formalem: *quando*, adjunctum temporis. Ejus inſtituti jam exemplum dedimus in Comm. de Eloq. pag. 149. & ſeq. ſed ſi adhuc quis rudiora petat, tria illa ex Adami Miri Elegantiis Part. poſt. cap. 2. memb. 7. ſubjiciemus, è quibus iſta ratio ſatis cognoſci poterit Exempl. 1. quis? nempe filius Nicomachi, 2. quibus auxiliis? ſc. Platonis & Ingenii boni adjumento: de prædicato itidem tuo 1. quid? laudem ſibi conciliat 2. ubi? omnibus in locis. Hinc Periodus: Quemadmodum divino ingenio fuiſſe dicitur Ariſtoteles, Nicomachi Medici filius, ita Platonis dexteritate ſucceſſu temporis & progreſſus eſt; ut quæ ſive docendo præſentibus inculcavit, ſive ſcriptis abſentibus commendavit, nominis gloriam ſempiternam omnibus in locis ipſi conciliaverint. (2) *Juvenes ſunt imbuendi linguis*. Ubi de ſubjecto quæri poſſunt viciſſim duo, 1. l. quando? dum in flore ſc. annorum verſantur, 2. ubi? np. in Scholis, de Prædicato autem tria 1. quibus auxiliis? Præceptorum, 2. quomodo? per regulas & exempla? 3. Cur? Ut inſtrumentis inſtructi videantur debitis. Hinc Periodus: Quando juvenes in florida ætate ſunt conſtituti, atque reliquis poſtpoſitis Scholas florentes eum in finem adiverint, ut bonis artibus & ſcientiis animum imbuant:

hoc

hoc officium fidelium Magiſtrorum eſt, ut in linguis quas vocant Cardinales, docendo, examinando, repetendo aliisque adminiculis, eos exerceant, atque ſucceſſu temporis eò perducant, ut ad ſuperiora ſtudia ſuſtinenda debitis inſtrumentis videantur inſtructi. (3) *Deus amat homines*. Ubi de ſubjecto tantum quæritur: Cur? nam eos creavit, redemit: de prædicato autem 1. quomodo? ardenter ſc. ut omnia bona ſuppeditet 2. quando? dum vivunt. Hinc periodus: Deus æternus & præpotens, qui ex immenſa bonitate & clementia homines creavit, & pretioſo ſanguine fraude diaboli averſos redemit, eos tanto amore complectitur ut quamdiu in his terris vivunt, cumulatiſſimè ſingulis ſuppeditet, quæ tam ad animæ, quam corporis neceſſitatem pertinere videntur. His præmiſſis ſecundum ordinem locorum, quem in iis explicandis ſecuti ſumus, noſtra quoque exempla ſubjungemus:

I. *Principum dimidium totius.* *Ex. à gen.* Omnia unde nata fuere reſpiciunt, indeque ſuam accipiunt menſuram, quando ſc. contendimus ut exitus principiis probè reſpondeant; quamobrem principia in omni negotio maximè ſunt ardua Tract. [1.] *per part*. Debet enim quicunque ad agendum ſe accingit animo prius conſtituere, unde? quomodo? quibus mediis opibusve, tandem & cui bono, ſi quod in ſtudiis literarum, negotiis domeſticis, aut ad univerſam civitatem ſpectantibus opus moliatur, [2] *à cauſ.* Principium ſiquidem cujusque rei maximum quomodo

do enim aliquis rectè ullum opus incipiet, aut negotium rite obibit, qui ſummam ante illius non fuerit animo complexus? [3] *effect.* Fragile enim quid & imbelle, ſi principium; ejus quoque generis fuit, quod conſequitur: ſi vero fixum hoc & conſtans, ejus quoque illud reputandum quod inde pendat; ſi quid enim prudenter aggreſſus, conſtanter quoque in eo progreſſus fueris, quis de felici deſperet exitu? Negotii enim cujusque ut judicabat Sophocles ap. Plut. de ſtud. poet. p. 16. ſi bene coeperis & finem item fore bonum probabile eſt. [4] *adj. modi* Ea præterea eſt primorum in quacunque re conditio, ut ſine illis poſtrema neque fieri, neque etſi maxima evadant, poſſint conſiſtere; quo enim quid pacto in tantum potuiſſet procedere, niſi à primis initiis exordium cepiſſet? *loci* fundamentum ergo rerum omnium niſi benè jeceris, quicquid ſuperſtruxeris corruet; etſi enim imo loco poſita ſubjacent omnibus tamen inde vel maximam dignitatem accipiunt, quod omnia ad ſupremum uſque ſuſtineant. *Temp.* Cæterum hæc ipſa fundamenta prius ponere convenit, & neutiquam naturalem rerum ordinem invertere, primumque cum poſtremo commutare. [5] *Comp. per proport.* Stirpe ſublata non poſſunt creſcere aliqua; caput ſi deforme, non poteſt corpus placere; morbido autem illo, neque membra officium facient. *exc. & def.* Quod ſi ea quoque in rebus peſſimis principiorum ratio eſt, ut niſi maturè obſtes, facile ea vires acquirant, parvaque ſcintilla quod dici ſolet, neglecta maximum ſæpè excitavit incendium; quidni è contrario magna

vis

vis in rebus optimis principiorum fuerit, præcipuè ſi benè rebus cœptis alacriter aliquis inſiſtat ? *oppoſ.* Qui verò rerum ſuarum ſummam in extremo demum colliget, primaque adeo cum ultimis ante non compoſuerit, ut ſcire queat, quomodo quasque ob cauſas ad illa extrema contendendum ſit aut pervenerit: is admiſſo in principio uno ſaltem inconvenienti ſub exitum deprehendet plurima; etenim vix poterunt peragi feliciter, quæ temerè ſunt inchoata. (6) *Autor teſt.* Horat. 1. Ep. 2. Dimidium facti qui benè cœpit habet. Auſon. Epigr. 80. Incipe dimidium facti cœpiſſe, ſuperſit Dimidium, rurſum hoc incipe, & efficies. *Exemp.* Diſcipuli qui magna contentione animi ſtudia ſua aggrediuntur, hi deinceps præ cæteris initio languidioribus progreſſus facere deprehenduntur, ut hos facile ſuperent, longoque poſt ſe intervallo relinquant. *Concl.* Quare cum principia etſi initio difficilia: ſucceſſu tamen temporis ſint validiſſima, agite, alacriter operi manus admovete, certiſſimè perſvaſi, omnia quæ poſſunt fieri incipere, eadem quoque poſſe abſolvi.

II. *Conſtant cuncta labore.* *Exord. à gen.* Omnia in hoc univerſo corpora ſunt in motu, Cœlum, aer, aqua, terra, plantæ, ſiquidem creſcunt: & animalia motu deſtituta vivere deſiiſſe putantur. Tr. [1] *per part.* Non tantum ergo ruſticis in agro, aut opificibus in officina labore incumbit: ſed artium præcipue liberalium ſtudioſis; quò enim qui magis doctrina pollent, hoc quoque magis eos laborare videmus; Quin quo magis dignitate & opibus alii alios

præcellunt, hoc quoque plura illos circumſtare ſolent negotia [2] *a cauſ.* Natura ipſa procedente ætate corpora ad laborem firmat, viresque tum demum viciſſim deficiunt, quando maxime animo valemus & conſiliis juniores juvare poſſumus. Illa verò ſapientia ſenum ſi absque magno labore acquireretur, quis magni eam æſtimaret, cum facile unusquisque ea præditus eſſe queat. (3) *Effect.* Labor parit opes, minuit curas, reddit nos vegetos & ſanos, ſenectuti proſpicit, eique placidam parat quietem, honorem denique & gloriam [4] *adj. modi* Ipſe labor callum obducit, etſi qua in eo moleſtia ea conſuetudine mollitur, ut magnum hæc quoque laborem non ſentiat. *loci* Laboribus hinc ſe exercet non tantum ruri agricola, in civitate opifex, in ludo literario diſcipulus & præceptor, in curia patronus & judex; ſed in aula quoque cum Senatoribus ſupremus Magiſtratus. *temp.* Et quanquam dies tributus legitur laboribus, noctem tamen etiam laboribus impendere, eandemque conceſſa fraudare quiete, neutiquam vitio: ſed laudi potius ducitur; denique nec Sabbathum omnino laboribus exemtum: ſed tantum ſecularibus, moleſtis, quæſtuoſis; vacare enim convenit meditationibus ſacris & pietatis exercitiis. [5] *comp. per proport.* Quemadmodum avis natus ad volandum: ſic homo ad laborem. Qui nucleum eſſe vult, nucem frangat oportet: qui opes & gloriam adipiſci, hunc oportet laborare. *per exc. & def.* Quod ſi decrepiti ſenes à laboribus ſe non abſtinent, ſed quo magis à juventute iis aſſueti, hoc minus in otio vitam tranſigere poſſunt,

ſunt, potiori jure adoleſcentes corpore vegeti continuo labore ſe exercere debent, ut parent, quibus in ſenectute frui poſſunt. *Oppoſ.* Qui non laborat, indignus eſt qui manducet, imo qui vivat. (6) *Autor teſt*, Pindari Od. 12. Quod ſi qua felicitas inter homines eſt, non ſine labore exiſtit, & Scalig. 2. Epidorp. præc. 18. Ignavia putris otio fert famelicoſa. Ex. Lycurgus pueros puberes non in forum; ſed in agrum deduci præcepit, ut primos annos in opere & laboribus exigerent. Nihil eis ſomni cauſa ſubſternere & vitam ſine pulmento degere edixit; neque prius in urbem redire quam viri eſſent facti. *Concl.* Nulla itaque dies non tantum ſine linea, ſed neque ſine labore, ſine opere abeat.

III. *Conſvetudinis magna vis.* *Ex. à gen.* Cujuscunque rei primi conatus difficiliores; ſæpius autem repetiti actus majorem ſucceſſu temporis facilitatem inducunt. Tr. (1.) *per part.* Multum enim cogitando, legendo, ſcribendo, dicendo, agendo: cogitare ordinatius, legere rectius, ſcribere citius, dicere elegantius, agere expeditius diſcimus. (2) *cauſ.* Poſterior enim actio perficit priorem, & ſicubi in præcedente aberratum, conſequens emendat; quoque ſæpius laboramus, hoc quotidie ad laborandum reddimur aptiores. (3) *effect.* Hinc quoque crebrius operi agendo accingimur, hoc operabimur felicius & opus fiet rectius, hoc minore quoque labore rem perficiemus, majoribusque viribus laborandi conſuetudine acquiſitis ipſum laborem ſuſtinebimus, etiam ultima ætate imbecilliore. (4) *adj. modi.* Et animi

enim & corporis vires magis magisque operi adſueſcunt, ut hæc agenda quaſi nati, nullo negotio eadem exequamur & perficiamus. *loci.* Quemadmodum hoc conſpicitur non tantum in ſtudiis artium liberalium, quæ animi : ſed etiam quibuscunque operibus manuariis, quæ corporis quoque vires requirunt. *temp.* A prima autem ætate vel ſtudiis iſtis liberalibus, vel operi adſveſcere multum eſt; hoc ſiquidem pacto etiam poſtrema ætas ad illa opera ſufficiet, ad quæ prima etiam juventus exhorreſcit. (5) *Comp. per proport.* Nonne ambulare, porro currere: loqui, & ſermonem inde connectere expeditius aliaque, à teneris conſvetudine ſola diſcimus ? Omnis utique labor ad opus nos firmiores reddit. *exc. & def.* Quid ſi verò in his, quæ uſum in vita humana præſtant maximum, tantum poteſt tenerrima ætas, cujus adhuc vires ſunt imbelles : quid non in reliquis etiam negotiis præſtare poterint homines ætate jam firmata? *Oppoſ.* Qui verò non à juventute labori ſe applicuerit, ejus non tantum vires ſucceſſu temporis enervantur, & minus minusque tandem ad bene agendum à prima ætate ſequis non accinxerit, ad malè potius agendum erit proclivior, faciliusque id errorem ſcelera & viam peſſimam deflectet. [6] *Autor. teſt.* Aut. Paneg. Maxim. & Conſtant. dicti: Magnum laborem conſvetudo non ſentit: intermiſſa autem deſiderant novas vires. Et Cicer. Aſſiduus uſus uni rei deditus ingenium & artem ſæpe vincit. *Exemplis* ſuis hoc oſtendunt opifices viri docti, duces militiæ : ſiquidem in officinis, muſæo, caſtris, nonniſi conſuetudo animum

mum corpuſque ad labores ferendos ſolidat. *Concl.* Laboremus itaque aſſiduè ut laboremus expeditius, imo ab agendo nunquam ceſſabimus, quam in Senectute ſecurius quieſcere poſſimus.

IV. *Occaſio major viribus. Exer. 1. à gen.* Vetuſtiſſima Cicerone 3. de fine teſte præcepta ſunt ſequi Deum, ſe noſſe, nihil nimis, & tempori ſervire; hoc verò maxime tempeſtivum dici ſolet occaſio. Tr. [1] *per part.* Illa ergo operienda in negotiis ferè plerisq; etenim in exercendo corpore adoleſcentia maxime utendum, qua ſc. illud facile in partem flecti poſſit, antequam membra plenum robur & firmitatem accipiant: in artibus liberalibus aurora primaque hominum ætas obſervanda, qua ſtudiorum amarities, minori ſenſu devoratur: In rerum emtione & venditione obſervata occaſio pretium auget, neglecta minuit: In bello adminiſtrando eadem occaſio ſæpe præſtat, ut inertiſſimi expertiſſimos rerum militarium duces, ignaviſſimi fortiſſimos ſuperent. [2] *cauſ.* Tempus enim in omnibus rebus dominatur maxime, nec quodvis in quibusvis opportunitatem habet, perinde ut nec quemvis quodvis velle decebit; hinc enim eſt quod optimè ſæpe cogitata, ſed importunitate plena peſſimè cadant, & crimen potius quam laudem mereantur. [3] *effect.* Occaſio itaque oblata nobis ſi vigili mente obſervetur, huic quod ſuſcepimus negotio feliter adſpirat, leni levique aura illud promovet, rei bene geſtæ laudem nobis conciliat, quorum ipſa præcipua cauſa fuit, facultatibus

ea noſtris attribuit, easdemque adeo commendat. [4] *adj. modi* Prævertit verò etiam occaſio non rarò conſilium, brevem moram ſe uſuris indulget, provide arrepta vota etiam noſtra perſæpè vincit; hinc prendere eam non tantum præſentis: ſed quoque vigilantis eſt *locorum* verò eſſe commoditatem ſingularem, quæque in re plurimum valeat, quis negaverit? quando quidem ipſa commoditatis vox loci quædam affectio eſt; Loca certè quædam eſſe fatalia, Mulberga Saxones, lapideſque poſiti Anglos pariter & Gallos docuere. *Temporum* quoque fata natalium ſæpè & emortualium [ut vocant] dierum Harmonia, anni Climacterici, plurimaque alia ſigna rerum de quib. Bechin. in Lin. Mor. cap. 8. n. 3. ſeq. teſtantur. [5] *comp. per proport.* Quemadmodum autem fortuna ſic & occaſio rebus humanis divinitus indulta videtur; utraque non expectantibus ſæpe ſe nobis offert, & felicitatem probè obſervatat promittit: neglecta exitium minatur. Egregie illam delineavit Alceat. Emblem. 108. pinnis ſtantem, quod levis eam aura rapiat? in fronte comatam ut prendatur: in occipitio calvam, quod amiſſa vix iteram captari poſſit *Exc. & def.* Quodſi vero in promtu arripiatur occaſio, eam in actionibus humanis vim habet, ut longo tempore expenſa dijudicataque conſilia ſuperet: in tempore quoque res parvula nixuſque puſillus potiora parit commoda momentaque plura, quam præpoſtera, vaſta licet ſupellex auxiliorum: quis ſtudio potius & labori intentus optimam Dei benigniſſimam quæque ſponte ſe offert occaſionem negligeret? *Op-*

poſ.

poſ. Id verò ſi fiat, contemtum utique ſui illa graviter ulciſcetur, vix unquam redibit, omnia retro cedere, in perniciem vergere, rerumque deſperationem ſubſequi videbimus, [6] *Autor. teſt.* Plauti in Aſin. Act. II. ſc. 2. Si huic occaſioni tempus ſeſe ſubduxerit; Nunquam ædepol quadrigis albis indipiſcet poſtea. Herum in obſidione linquet, inimicum animos auxerint. Et Cic. ap. Dion. Caſſ. Lib. XLV. Orat. arta fin. Plura negotia opportunitate occaſionem, quam viribus ſunt confecta. *Exempl.* Miltiades pontis cuſtodes hortatus eſt, ne datam à fortuna occaſionem liberandæ Græciæ amitterent. Scipio quoque tempore ſuo utens Numantiam delevit: Summus bello & pace conſulto, quia mirabilis occaſionum inventor & captator dexterrimus celebratur Albertus pius ap. Jov. in Elog. Doct. Bajazethes I. ſolers admodum in provocandis, patiens non minus in expectandis occaſionibus extitit, in iisdem verò commodè utendis tantam celeritatem adhibuit, ut cœli fulgur ſit dictus. *Concl.* Quamobrem divinitus data non negligenda aut deferenda, ſed alacriter captata in rebus gerendis occaſio.

V. *Vulgi judicium temerarium.* *Ex. à gen.* Quæ ſana vera firmia ſunt, mens ſana ſpectat: terræ filii ad nutum cujusque ſe componere docti, dubitare, hæſitare malunt; in quamvis enim partem eſſe verſatilem, hanc præcipuam exiſtimant ſapientiam. Tract. [1] *per part.* Præcipuè autem vulgus tantum externa ſpectat & cortici adhæret, non ad intima penetrat eaque ſcrutatur, circumſtantias non expendit,

non ad conſilia ſed eventus reſpicit, ſplendore rerum capitur, atque is ſicubi abeſt, nullius eas ducit pretii. (2) *cauſ.* Neque enim recta rerum cognitione neque longa experientia, neque firmo judicio pollet: à Sapientium conſuetudine abhorret, diſciplinam negligit & aſpernatur, lubidini indulget. (3) *effect.* Hinc ſtudio nimio atque prætermeritum aut invidet aut favet: non delectu ad judicandum ducitur, ſed impetu fertur: modò audita pro jam campertis habet: non diligentiam, non diſcrimen adhibet: qvovis præcinente ad fraudem delabitur: Invidis oculis alienam felicitatem intuetur: pravoque in certamine ſtudio deteriori & infirmiori favet. (4) *adj. modi.* Natura, ætate, fortunis cupiditatibus in diverſa abripitur; neque enim ratione utitur, neque conſilium admittit; opinionibus tantum regitur: vacillantibus articulis inſiſtet, vaneſcit. *loci* Nunc in ſublime extollitur & altiora ſe quærit: nunc terræ adhæret, glandibuſque veſcitur; nempe aut ſuperbe dominatur aut humiliter ſervit: effrenis tandam in præcipitia devolvitur, aut in ſcopulos cæco impingit impetu. *temp.* Nunc nova captat, nunc obſolæta miratur; præſentia ſpernit, præterita laudat, à futuris pendet; ad quemvis verò ſtrepitum expaveſcit. (5) *Comp. per prop.* ut fluctus maris ur arborum folia huc illucve levi impetu feruntur: ita vulgus prout quiſque inflärit tibias ſequitur, atque ad leves motus facilè concitatur; vota itaque ejus & faſtidia non alio loco quam pecudum atque brutorum habenda. *per exc. & def.* Furenti autem pelago & procellis cum nemo prudens na-

vem

vem commiſerit ; quis niſi qui ad exitium cum contumelia feſtinare cupiat, populi plauſam favoremque captat? *Oppoſ.* Uni ſapientum placere præſtat, quam univerſo populo. Vulgi convitia ride [Paling in fin. Zod.] judicium vulgi inſulſum imbecillaque mens eſt. Stulta placent ſtultis, obſonia quisque palato Digna ſuo quærit. [6] *Autor teſt.* Cleanth. ap. Clement lib. 2. Judicium ſapiens & juſtum non habet ullum Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit. Et Nicetas in Alexio §. 5. Eſt morbus hic omnium civitatum; ut plebs ſit temeraria & magna impetu feratur. *Exempl.* Furium Camillum ejectum, inde revocatum Plutarchus: Polemonem lapidibus petitum lachrymis expetitum Curtius commemorant. *Concl* Adeo tam pronum in miſericordiam vulgus, quam immodicum in ſævitiam eſſe ſolet.

VI. *Educatio poteſt plurimum.* *Ex. à gen.* Illa diu durant animiſque tenaciter hærent, quibus à primis quod dicunt unguiculis fuerimus aſſueti; ſuccedenti enim ætate his ipſis quaſi nobiſcum genitis vires creſcunt & augentur. Tract. (1.) *per part.* Hinc enim ad opificia videmus non juvenes robore jam firmos: ſed adoleſcentes & eo jam tempore quæri, quo primum ferre laborem queant, optimi quoque illi milites & Imperatores aliquando, qui à pueritiæ in caſtris ætatem egerunt, vigiliis laboribuſque tolerandis, tractandis armis, periculiſque ſubeundis exercitati ſunt: nec non ad artes liberales commodiſſime pueri ad primam illarum amaritudinem de guſtandam

vocantur; ad eloquentiam pariter hoc tempore vox & geſtus facillimè formantur; ad Hiſtoriam denique diſcendam prima imprimis memoria viget. (2) *cauſ.* Natura enim eorum quæ primis accepimus annis ſumus cupidiſſimi, quæque illo tempore familiaria facta ſunt nobis, maximè placent; quia tamen ſenſu prius quam ratione utimur, quæ illi blandiantur gratiſſima ſunt: reliqua verò ætas dura & intractabilis eſt; tenera ſiquidem facile finguntur: rigida verò difficulter flecti poſſunt & domari. (3) *effect.* Hinc queis puer aſſuetus fuerit moribus: iiſdem vivet adultus; ſi corruptus prima ætate fuerit, vitiis delectabitur, virtutiſque diſciplinam fugiet; Mollis enim illa educatio nervos omnes & mentis & corporis incidit, vigetque deinceps vitiorum vivida radix; Quæ ſemel ut fixa eſt naturæ creſcit ab imbre. Et fruticat fructuſque malo dat ſemine dignos. (4) *adj. modi* Huic contra ſi ſoboles committatur, coram quo nec dicere fas eſt, quod turpe dictu: neque facere quod in honeſtum factu videatur, provida hac diſciplina ſemper proficiendo ad optimam tandem deducetur virtutem; vitium verò in prima ætate ſi acceperit, & illud ipſum incrementa ac multò quidem majora acquiret. *loci* Neque verò tantum è Scholis aut à ſolis Præceptoribus expectanda eſt hæc puerorum ſollicita educatio: ſed vel maximè domi à parentibus ſedulo id cavendum, ne pravis exemplis etiam ab his, qui ſerviunt, aut à pueris quibus cum in platea ludunt, aut à vicinis pravis moribus liberi coinquinentur; hoc ſiquidem morbo facilius & pueros inficei, quam alio-

rum

rum ſanitate eoſdem emendari. *temp.* Priuſquam ergo in Scholam mittantur liberi, ita domi morum honeſtate firmati eſſe debent, ut ſponte à pravo ſodalitio abhorreant; Schola quoque digreſſi à ludo inhoneſto, à conſuetudine cum cujuſcunque ſortis pueris arceantur: tota die ſit quod agant; idque licet non ſemper ſerium; tamen quod cum jucunditate honeſtatem quoque conjunctam habeat. (5) *Comp. per prop.* Haud vites utilem fructum pertulerint niſi ſint bene cultæ, nec unquam pulchri fient equorum pulli educatione neglecta; Sapor, quo nova imbuuntur, durat; neque lanarum ille color, quo ſimplex candor primum tinctus, facilè immutatur. *Exc. & deſ.* At verò neglecto vitium cultu, & equorum educatione res tantum domeſtica damnum ſentis: juvenum verò Reſpublica; præter hæc efficaciora ſunt mala exempla ad corrumpendos etiam bonos, quam bona ad corrigendos malos: facilius enim paucis inſuris guttis aceti totum vini dolium hoc ſapore inficies, quam edulcaveris modicum etiam aceti, infuſa licet magna vini copia. *Oppoſ.* Quantum ergo voluptatis ex bona: tantum imo plus mœroris è prava educatione parentes capiunt; quod ſi enim pueritia adſuerit voluptati, libidini, laſciviæ, licentiæ, ſocordiæ, paulatim impudentia per ſe irrepet, & ſui tandem alienique contemtus. [6] *Autor. teſt.* Platon. in Alcib. 1. Bene natos, ſi bene etiam educantur, ita demum ad virtutem pervenire neceſſe eſt; & Ariſt. 2. Eth. Non parii refert, ſic ne, an ſic ſtatim ab adoleſcentia conſueſcat aliquis: ſed quam plurimum; imo totum in

eo

[3] *effect.* Hinc eſt quod crebris admonitionibus à vitiorum veterno excitandus, acri correptione ſurculi eorum amputandi, ſalutaribus adverſus illa præceptis mens inſtruenda conſiliiſque fulcienda eſt. Viri namque boni & gravis ſermo confirmat labantem, vel ne rerum temporumque difficultatibus territus utiliſſimos conatus deſerat, vel ſicubi à via deflectit, in illam reducit. Sæpè ſic quoque amicus languentem amici fidem erexit: quin & uxor uberrantem à ſe maritum blanda oratione reduxit. (4) *adj. modi* Quodſi propterea à viro gravi profecta ſit admonitio, rationumque momentis firmata, conſtans neque verbis facta fidem derogent, à præceptis nempe incipiat, & in exempla deſinat, plurimum utique poteſt. Quemadmodum autem blanda nihil nimis efficit ita aſpera nimis offendit; quamobrem ſine convitio quoque ſit, ut in memoriam rediiſſe amicus, non reduci in viam exiſtimet: miſcenda charitate libertas; & vituperium amore temperandum, acerrimis denique laudum ſtimulis mens generoſa incitanda. *loci.* Adhibenda verò & loco eſt adhortatio; publicè enim ſi amicum mox coarguerimus, pudore ille ſuffuſus non tantum iraſcetur nobis, bene monita aſpernabitur: ſed recalcitrabit quoque, omninò omnem excutiet pudorem: privatim verò & remotis arbitris admonitus, libentius errores agnoſcet, & procedente tempore vitam emendabit. Etenim ut morbi turpis: ſic erroris quoque curam occultam eſſe convenit. *temp.* Neque verò minus temporis ratio habenda eſt. Reverentiam principio erga ſeniores majorem habent pueri

pueri, atque his facilè obſequuntur: in ipſis etiam conatibus, cum inſtigationes tum dehortationes plurimum valent: in progreſſu autem rerum & ætate provectiori correptiones plerumque ſusque deque habentur. Etenim ut commodè Ovid. 3. de ponto el. 6. Corripis ut decet ſtulti peccata ſodalis & mala ne meritis ferre minora doles. Vera facis: ſed ſera meæ convitia culpæ Aſpera confeſſo verba remitte reo. Cum poteram recto tranſire Ceraunia velo ut fera vitarem ſaxa monendus eram. Nunc mihi naufragio quid prodeſt dicere facto qua mea debuerit currere cimba via? Crudelis denique in rebus adverſis objurgatio eſt; iram enim dolori addit, atque animum ægrum exaſperat, (5) *Comp. per prop.* Neque enim nutrices querulis cadentibus occurrunt, ut maledictis eos inceſſant; ſed erigunt, abluunt, ſedant: poſtea tandem objurgant & caſtigant. Ut corporis mel vulnera & ulcera pungit: ita communiter oratio, niſi blandâ ſit, mordet ac ſtimulat afflictos. Eſt admonitio quædam medicina animæ, ſed quæ tantum purgat vulnus, eique bene emplaſtrum ſuperinducit: non præter meritum ſecat aut dividit; Sæpe animus exaſperatus in pejora ruit: obſequitur autem admonitioni prudenti, & placido vento ad metam contendit. Aſt in conatibus optimis Acer & ad palmæ per ſe curſurus honores; Si tamen horteris ibit eqvus. Ovid. 2. pont. *exc. & def.* Quod ſi verò illi imprimis laudandi ſunt, qui ſua ſponte ad virtutem excitantur: hi certè infimo erunt loco habendi, qui nec rationum momentis, nec optimorum exemplis, nec admo-

admonitionum ſtimulis ad virtutem excitantur. Solo Muſicæ artis ſono ad lætitiam aut triſtitiam flecti ſolere animos hominum conſtat: indignum quosdam ad ſaluberrima conſilia aures obturare. *Oppoſ.* Hoc ſanè pacto ſibimet ipſis ad virtutem vitæque felicitatem viam obſtruunt, in præcipitia ruunt, amicis conſultoribusque obſtruunt, in præcipitia ruunt, amicis conſultoribusque deſtituuntur, omnique privati auxilio, nullum prorſus habent qui opem ferat; ſibi verò ſolis vix probè conſulent aut ſufficient. (6) *Autor. teſt.* Sen. 3. de Ira cap. 37. Admoneri bonus gaudet: peſſimus quisque correptorem aſperrimè patitur. Ovid. 1. Rem. Amor. Impatiens animus nec adhuc tractabilis arte Reſpuit atque odio verba momentis habet. *Exempl.* Hortæ Deæ templum apud Romanos ſemper Apertum fuiſſe Antiſtes Labeo tradidit, vel quod hæc Dea cuncta obſervaret, vel quod ſalutares admonitiones ad omnes pertineant. In ludis quoque Gymnicis ſpectatores ignavos objurgabant: victoriæ verò proximis etiam acclamabant. Pariter qui monet, ut facicis quod jam facis, ille monendo Laudat & hortatu comprobat acta ſuo. Ov. 2. Triſt. *Concl.* Quamobrem adhortationibus non facilem tantum præbebimus aurem, ſed & promte iisdem obſequamur.

VIII. *Ingenii habenda ratio.* *Ex. à gen.* Corpore quidem homo multis modis ab omni brutorum genere diſtinguitur: animo autem maxime; atque eodem viciſſim proxime aſſimilatur Deo, à quo etiam

etiam ſolo Spiritus ille nobis contigit & ſervatur: ſolus ille reconditiſſimas ejus rimatur actiones, acutius quam ipſi nos perſpicit, atque à longe etiam cognoſcit. *Tract.* (1) *per part.* Hic pro ſua cum infinita ſapientia tum liberrimo beneplacito facultates ingeniorum diverſimode inter homines diſtribuit. Quidam egregiam ſortiti indolem, ut primum honeſta auribus accepere eadem amore amplectuntur: quibusdam etiam rapacia ſunt ingenia & ex ſe fertilia: aliis verò hebetibus & obtuſis multo labore rubujo animorum effricanda & detergenda eſt: alii viciſſim quo fœcundiore ſunt ingenio, hoc minus judicio pollent; nonnulli denique, ſed rariſſimi ex utraque parte valent, (2) *cauſ.* Diverſum autem corporis quoque humani temperamentum non omninò nihil hanc in rem confert. Phlegma offundit nebulas: triſtis natura rebus velut moroſe adhæreſcit, & quod primo intuitu perſecare nequit, ſtudio & aſſiduitate vincit: Cholera acumen largitur, ſed in varias partes opus verſat, non uni negotio vixque diu immoratur; Sanguinei denique ex omnibus optimi, facili memoria eaque firma: acri ſimul & celeri judicio præditi eſſe ſolent, [3] *effect.* Ingenia itaque exilia, nihil unquam magnum vel privatim vel publice efficiunt, tenues admodum fruges proferunt, neque ullis ad copiam fœcundi ceſpitis, culminibus ingraveſcunt: dociles quoque memores & acuti raro ad ſolidam virtutem robur accepere, ut moderate & prudenter vitam inſtituant; ad modum enim debile acumen illud & ad magni momenti opera vix conſiſtit: contra in bello

intre-

intrepidi atque ad pericula firmi, tardiores ad diſciplinas eſſe ſolent, imò prorſus hebetes, ad res autem gerendas robuſtiſſimi. (4) *adj. modi.* Etiam politica ut ſic loquar ingenia, judicio nempe prædita, ſingularibus potius quam univerſalibus, actioni magis quàm contemplationi adſveta, negotiis perficiendis, quàm hujus univerſi naturæ ſcrutandæ ſe adhiberi malunt. Acutuli diſputant, non definiunt: ad refutandum ſunt alacres, ad confirmandum ſegnes & imbelles, cenſores plerumque agunt: rarò autem quid ipſi in rem communem conferunt: conſultant communiter, vix unquam decidunt; quæ hodiè inſtituerunt, cras mutant, corrigunt; fortaſſe ne effœtum videatur ingenium: complures è difficultatibus eluctandi modos afferunt, ſed pericula cumulant. *loci,* Pro diverſitate climatum ut corporum habitudines quis animorum facultates differre neſciat? Etenim Hiſpani firmi in conſiliis atque graves: Itali acuti & perſpicaces: Galli acres ſimul & alacres; Germani conſtantes & fideles; inque his Moguntini religioſi: Trevirenſes exquiſiti: Colonienſes cauti: Argentoratenſes providi: Auguſtani elegantes: Norimbergenſes ingenioſi: Helvetii fortes: Svevi benigni: Franci aperti: Saxones prudentes: Miſnenſes blandi: Lipſienſes ſvaves: Holſati ſplendidi: Weſtphali laborioſi: Pomerani ſtrenui: Belgæ feſtivi; reliquas inter nationes Bohemi officioſi: Hungari lauti: Dani moderati: Sveci circumſpecti: Poloni magnifici &c. *temp.* Olim Aſiæ populi fortes, nunc leves: Græci ſapientes, acutuli Athenienſes, judicioſi Spartani:

aut ſomno virtutem jungat inerti ? *Exempl.* Attici Hicadis filii ingenium adeo erat ad artes difficile, ut viginti quatuor puerorum nominibus primas literas meditare eum oportuerit. Alvius Flavus ingenium principio ad res peſſimas applicabat, carminibusque pangendis enervabat vigorem tamen ſuum recepit. Tiberii autem Grachi filii ingeniis male uri triſtem tandem vitæ mortisque exitum ſortiti ſunt. *Concl.* Utendum ergò commode vita, ætate, ingenii viribus & hac brevis uſura lucis utiliter rebus publicis atque privatis impendenda.

IX. *Rara cara.* *Ex. à gen.* Adeo cohærent rem admirari, & magni eam æſtimare, ut etſi in animo noſtro illa differant: conſvetudine tamen loquendi, una ferè eademque horum ſit ſignificatio; communiter autem ea admiramur magis quæ rariſſimè obſervantur, quam quæ frequentia ſunt; unde non excellentia rerum, quam earundem raritas pretium iis videtur conſtituere. *Tract.* (1) *per part.* Sic majoris prètii aurum præ ferro, gemma Saxo, ſericum linteo, flos gramine, Caryophillum urtica, roſa carduo, Cedrus quercu, Luſcinia paſſere, Pſitticus corvo, Phaſianus gallo gallinaceo, Mulus aſino, Helena virgine vulgaris formæ, doctus ruſtico, & excellenter ſapiens illo, qui communia tantum ſtudia tractavit. (2) *cauſ.* Quod ſi verò è labore quo res parantur & præſtantia quoque earum pretium iis accedit, utique pro aliqua majori labore & diligentia cura, quoque & dexteritate ſingulari confecta aut acquiſita ſunt, hoc majus iis debetur pretium;

ſed arte ingenioſiſſimè elaborata, aut quæ natura genuit forma & virtute præſtantiſſima, eadem & minus frequentia ſunt. (3) *effect.* Hæc ergo, quæ inſolita omni ex parte animo & oculis verſamur, artis aut naturæ vim in iisdem ſollicita inquiſitione rimamur admiramur, utriusque ſolertiam veneramur, celebramus, aliisque illorum præſtantiam prædicamus, commendamus, omnique laudum genere extollimus, ipſi poſſeſſione harum rerum ſuperbimus, aut invidemus aliis ſicubi illis minore pretio aut labore contigerint. (4) *adj. modi.* Principio ergo nobis quando aliquid ſe offert inſolitum quaſi attoniti ſtupemus, & meditabundi obſtupeſcimus, oculos manusque extollimus, omnemque ejus rationem exploramus. *loci* Quæque non ubique locorum offendimus, ea nec quovis loco aut neglectim habenda ducimus; ſed quæ præcipuè ab exteris longeque diſſitis locis ad nos perferuntur, ea ſtudioſè aſſervamus. *temp.* Si quæ verò non ex loco, tempore nihilominus inſueto nimirùm præmaturæ gratiam ſibi apud nos conciliant, eadem ipſa & majori pretio digna æſtimari, primi hortorum fructus docent. (5) *Comp. per prop.* Quod vero homines idem & natura declarat, quæ enim mediocria, eo magno numero producit: quæ verò eximia, raritate ſua commendat; hinc articæ cardui, niſi eradicentur, major in hortis minorique labore copia ſurgit, quam roſarum, caryophillorum. *exc. & def.* Quin nos homines ita ſumus compoſiti, ut quæ admiratione etiam ob præſtantiam ſuam digna ſunt, ſi ea quotidiana ſint, facilè trans-

transmittamus; minimarum viciſſim rerum, ſi rariſſime occurrant, aut in lucem prodierint, ſpectaculum dulce fiat; ſic non ita obſervamns Lunam ſplendentem atque laborantem, ſolem radiis corruſcum ac quando deficit. *oppoſ.* Mala etiam quæ rarò accidunt magis horret animus, & maxima ex inſolito formido eſt: quæ verò frequentiora ſunt, ea quaſi familiaria minus timemus, (6) *Autor. teſt.* Cic. 2. fin. cap. 52. In omni arte vel ſtudio vel quavis ſcientia vel ipſa virtute optimum quidque rariſſimum eſt. Plutarch. Quæſt. nat. penult. Videtur natura admirationem rebus raris attribuiſſe, ut quæratur, quo pacto fiat, quod rarò fit. *Exempl.* Rari ſunt boni, numero vix totidem quot (ut ait Juven. Sat. 13.) Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili. Quis de pyramidibus eſſet ſermo; niſi procul hinc in Ægypto poſitæ? quis de lapide Memnonis apud Æthiopes, niſi à nobis remotiſſimus eſſet? Himerius Sophiſta apud Photium p. 2031. *Concl.* Quare qui literis operam navant in id præcipuè incumbant, ut ſingulari & non vulgari eruditione ſe apud Patronos commendare poſſint.

X. *Æmulatio excitat.* *Ex. à gen.* Pleraque ex contentione oriuntur & conſervantur; quod ſi enim cœleſtia corpora conſiſterent, neque Sol & Luna & reliqui inter ſe Planetæ curſu contenderent, neque hyemis & æſtatis, neque veris & autumni, neque dierum & noctium vices eſſent. Quibus quod frigoris inclementia marceſcit, caloris benignitate reſurgeret. Contendunt quoque inter ſe ad conſtitu-

tionem corporum elementa, in viventibus qualitates eorum calor nempe & frigus humiditas& ſiccitas, usque dum in hujus illiusve generis temperamentum conſpirent. *Tract.* (1) *per part.* Sicut verò hæc in natura fieri videmus: ita in civili vita nihil tam vulgare eſt aut vile, quod malignos æmulationum ſtimulos non ſentiat. Figulum quidem in proverbium abiit invidere figulo: ſed aliorum quoque opificum vix eſt, qui pariter alteri non detrectet. Quid? mendicus mendico obulum, panem acceptum invidet; Turpiſſima denique ex nequitia Euclionum, furum, latronum, ſcortatorum æmulos, ut ſic loquar, invenit. Cæterum inter eos, qui honeſtè vitam agunt, hi qui inferioris conditionis ſunt, non rarò ſuperioribus bellum movent: quidni ex utraque parte pares paribus Tragædos cum Comico, Muſici inter ſe & Mercatores, gladiatores, miles cum milite, aulicus cum aulico, cum ſapiente ſapiens; imo & puer cum puero ad virtutis conſequendam laudem & gloriam in arenam deſcerent? (2) *cauſ.* Quemadmodum & porro in natura ordo rerum, quo unum alio præſtàntius, ſuperiori itaque aut inferiori loco poſitum eſt: Ita viciſſim in rebus humanis Eccleſiaſticæ pariter & politicæ conſtitutiones ordinem requirunt, ad cujus apicem virtutum certamine ac operum præſtantia contendendum ſit; In ludis ſiquidem Olympicis, non quo habitu corporis pulcherrimo aut robuſtiſſimo erant præditi, vel qui ſummo loco nati; ſed qui legitimè & fortiter certarant, corona ornabantur, majoraque certamina ſplendidiora conſequeban-

bantur præmia, (3) *effect.* Cæterum non quantam cupimus victoriam ſtatim licet obtinere; ut tamen imbellem oppugnare & ſuperare vix palma dignum ita ab ignobili & inferiore vinci turpiſſimum; magna contra affert gloriam potentia & dignitate ſuperiorem ſibi ſubjicere, manumque victricem ſupra verticem habere hoſtium. Sola enim Victoria pax conſtans paratur, & quo illa glorioſior, eo quoque hæc firmatur ſolidius. Victoria applauſum vicinorum parit, autoritatem apud omnes nobis conciliat, ſociosque jungit. Quæ verò horum omnium ratio eſt in republica, eadem quoque obtinet in Schola; certamen enim & æmulatio inertes ad laborem: ſolertes ad gloriam excitat: partaque ſemel victoria ad pergendum in curſu ſtimulum admovet, quo uſque ad ſumma aſſiduè contendentes, hæc quoque tandem feliciter conſequamur. (3) *adj. modi.* Ita enim homo natus eſt, ut quæ conflictu perfici debent, eadem omni nervorum contentione agenda ſuſcipiat, quæ verò haud difficilia & abſque æmulo conficiuntur, eadem negligenter tractet: ſine certamine enim parta gloria tergiverſantibus ſc. aut cedentibus adverſariis, victoriæ tituli ac ornamentis haud quaquam digna eſt. *loci.* In caſtris verò verſari, ſtare in acie, cum hoſte pugnare: non autem in palatio aut tecto deliteſcere eum decet, qui victoriam ab hoſte ſe reportaſſe gloriari velit, non ſedere aut manus in ſinum demittere; verum in arenam deſcendere; In Gymnaſiis cathedram conſcendere & coram cum adverſario congredi oportet, ſi quis laurea ex merito ornatus

videri cupiat. *temp.* Ut verò iſta certamina hoc felicius ineantur, jam puerum ſcholis, adoleſcentem Gymnaſiis, Juvenem caſtris interfuiſſe, continuis laboribus eſſe aſſuetum, vigiliis ſæpè noctem tranſegiſſe, iisdemque redeuntem antevertiſſe ſolem opus eſt. Amat ſiquidem victoria curam, quæ occaſiones, & hæc quæ tempora obſervet. (5) *Comp. per prop.* In Gymnicis certaminibus non iis victoria adſcribebatur, qui primi ad ea nomen profeſſi fuerant, verum qui ad quod illud dederant, hoc optimè factis comprobabant; rariſſimè deteriorem caſus præferebat; quin quibus virium cura erat, hi cum fortiſſimis ſolebant confligere, & exigere ab his, ut quibuscunque pollebant viribus, iisdem adverſus ſe uterentur; quod ſi non inveniebant pares, plures quoque qui ſibi objiciebantur ſuſtinebant. *Exc. & def.* Neque tamen dedecus omnino putabant vinci à Domeſticis, Dorienſem puta à Dorienſi, aut Chalcedonenſem à ſuo gentili ſuperari: neque nefas ducebant ſe huic ſubmitti, quem virtus & fortuna ſuper omnes extuliſſent; imo victis non nihil afferebat honoris excellentia illorum à quibus erant victi, quibus tamen & fortitudinem ſuam probaverant. *Oppoſ.* Aſt cum homine vinci parato pudebat eos congredi, atque cum hoc ſe componi ignominiam exiſtimabant; etenim ſine gloria victus ille jacebat, qui vinci poterat ſine periculo. (6) *Autor teſt.* Accii fab. XIIX. v. 9. Si vincat minimum ſummus laus vincere non eſt: Atque decus minimo fiet ab hoſte minus. De pretio victi pendet victoria; Victor Tantus erit, victi glo-

ria quanta fuit. *Exempl.* Cyro illa præcipuè placebant certamina, quæ cum contentione maxima ſuſcipiebantur eósque præ cæteris diligebat, qui eadem alacrius inirent. Clariſſimum omnium Græcis ludicrum videbatur certamen Olympiorum, quia ad exercendas corporis animique vires aptiſſimum. Philippus autem Macedô cum Alexandrum ſuum hortaretur, ut quia agilis erat & celer pedibus, in his ipſe etiam ludis ſtadium curreret; & facturum ſe quidem dixit: aſt ſi cum Regibus ſibi curſu certandum eſſet; inique enim comparatum illud certamen exiſtimabat, quo vel victor privatos tantũ eſſet victurus, vel victus palmam ceſſurus privatis. *Concl.* Virtus igitur non tantum libenter admittit: ſed ſibi etiam quærit æmulos; quoniam horum comparatione redditur alacrior: ſine his verò marceſſit.

XI. *Adoleſcentia lubrica.* *Ex. àgen.* Vix antequam ad maturitatem pervenerint, quæ incrementa accipiunt, molem rerum ſibi impoſitam ex æquo ſuſtinent; ſed vacillant quandoque, nutant, labaſcunt; quemadmodum in floribus, arboribus, animantibus, hominibus denique quotidiè experimur. *Tract.* (1.) *per part.* Adoleſcentes enim videmus in judicando aliorum modô veſtigia ſequi, in conſiliis eſſe præcipites, magis externa & ſibi blandiente rerum ſpecie capi, quam ut indolem earum & circumſtantias expendant, ſenſibus indulgere, jucunda ſectari, affectibus facilè & cæco quidem impetu abripi, honeſta negligere, ad ludendum, cantandum, ſaltandum, jocandum, omnem corporis mollitiem

proclives eſſe, (2) *cauſ.* Sanguine ſiquidem præcalido fervet adoleſcentia atque abundat, inutilibus & tantum ſuavibus rebus immerſa, ſeria deteſtatur, rerum experientia deſtituitur nondum ſæpè decepta dolis haud difficulter capitur, credula adulatoribus obſequitur, & quia mala nondum ſenſit, optima ſperat, ſibi clauditur, & ſuis quæ ſibi fingit ſimulacris exultat. (3) *effect.* Hinc eos plerumque videas torpentes ad virtutem, ad laborem ſegnes, ad malitiam celeres, audentes, ambitioſos, improvidos, imprudentes, loquaces, temerarios, tumidos, feroces, ad iram pronos, vindictæ cupidos, animo leves, varios, inque omnem partem verſatiles, rebus gerendis planè impares, de utilibus & neceſſariis parum ſollicitos, ludicris & vanis deditos, præfidentes, omnia ſibi ſpondentes, faſtu turgentes: faciles ut in fidem ſic viciſſim in odium: incautos in periculis futurorum ignaros, præteritorum immemores, præſentium amantes: nuſquam certò figentes cogitationes ſuas: amicitiarum æque ac inimicitiarum prodigos. (4) *adj. modi.* Moribus magis ſociorum quam dictamine vivunt rationis, quæ vehementer concupiſcunt, mox faſtidiunt: multa ſibi agenda præſtituunt, pauca exeqvuntur: multa incipiunt, pauca abſolvunt: formæ dignitatem jactant & pompa præfulgere ſtudent aliis: ſola ſpe lactantur. Illa ſuperbiunt, levium rerum gloria efferuntur, quin imo exultant: plura de ſemetipſis ſibi promittunt audaculi, quam ferre ætas nedum proferre poſſit: ſcire ſe putant omnia, cum poſſe contendere, ſapientiæ jam contigiſſe cacumina: vix ætati, vix autoritati

ce,

cedunt: neminem verentur, imitantur neminem, ſibi ſemetipſis exemplar conſtituunt: nimium confidunt ſecundis, nec paupertatem, nec caſum, nec morbum, nec mortem metuunt: ceu neſcia falcis Sylva comas tollit fructumque exſpirat in umbras, *loci.* Hinc eſt quod frequentiores in platea, nonnulles videas atque in Schola; deambulantes in pratis, Sylvis, ad ripas fluminum, quam aſſidentes libris: ludentes in hortis, quam perluſtrantes ſcripta Doctorum; proh pudor! quod cauponas nonnulli aliaque inhoneſta loca ament. *temp.* Nonne fabros ſolem vigiliis antevertere præſtat, quam ſtertere uſque ad jentacula: ſtatuto tempore didiciſſe quæ præpoſita fuere, quam diſcendo ſubſequi alios: inſiſtere operi donec perfectum fuerit, quam modo hæc modô illa tentare: non ante laxare animum à ſtudiis, quam penſum planè fuerit abſolutum; atque feſſum demum à ludo ad ſtudia tractanda accingi? (5) *Comp. per proport.* Adoleſcentia flos ætatis humanæ: quid mirum, ſi ut tempeſtatis injuria floribus folia decidunt: ita temporum hæc injuria ſpe quam promittebat, excidat, vel ipſa eam malitia ſua perdat. Sæpe enim ver fructuum ubertatem lætiſſimam pollicetur, quorum expectationem vel nocturnum frigus, vel aëris intemperies vel inſecta &c. intercipiunt: quid mirum ſi ſpes, quam de pueris concipiebamus adoleſcentibus, in æſtate poſtea atque autumno, juvenili ſc. ac virili ætate ſæpè decollet? tenerrimi flores leviter hærent: facillimè omnium adoleſcentes in morbos incidunt, gravius ægrotant, ægrè curantur:

tur: facillimè quoque pravo ſodalitio inquinantur, ærei in vitium flecti, effreni atque aſperi ad monita prudentum. *Ext. & def*, Sicuti verò adoleſcens vitis facilè palo alligatur & falcem admittit: arborum quoque ſtipites & rami, dum hortulani cura reſecari ſe & regi patiuntur, rectius ſurgunt, fortiusque conſiſtunt: hoc quoque minus teneriorætas dum commoda educatione ad artes, ad virtutem aſſuefieri poteſt, præcepturum ductus atque conſilia aſpernari: ſed robur quod accepit ad ſtudia impendere debet. *Oppoſ* Sunt utique, qui, cum totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, qui emerſerint aliquando, ſeque ad bonam frugem receperint. Libidini L. Sylla etiam adhuc quæſtor deditus erat: perruptis verò tandem & qs. disjectis nequitiæ clauſtris, catenas Iugurthæ injecit, Mithridatem compeſcuit, ſocialis belli fluctus repreſſit, Cinnæ dominationem fregit. Quo Catuli Juveniles luxus deliciæque non prohibuerunt, quo minus Patriæ Princeps in Capitolino faſtigio fulgeret. Cimon ex luſtris & vinolentia malè principio audivit: poſtea tamen nec prudentia Themiſtocli, nec fortitudine Miltiadi quicquam conceſſit. At verò rariora hæc ſunt, quam ut in exemplum trahi poſſint, aut adoleſcentiæ indulgeri debeat. (6) *Autor teſt*. Frequentiores illi ſunt, de quibus Seneca pater l. Controv. in præf. med. Somnus languorque, ac ſomno & langvore turpior malarum rerum induſtria adoleſcentum invaſit animos. Cantandi ſaltandique nunc ob ſcæna ſtudia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad mulie-

liebres blanditias vocem extenuare, mollitiæ corporis certare, cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt. Horat. qq. de arte poët. v. 163. Imberbis Juvenis tandem cuſtodè remoto &c. Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper, Utilium tardus proviſor prodigus æris, Sublimis cupidusque & amata relinquere pernix. *Exempl.* Mos inde fuit ubique ferè locorum non junioribus ſed ſenioribus reipubl. curam demandare; Solon Athenienſis ap. Stob. ſerm. 114. lege ſanxit, nequis admodum Juvenis ad Magiſtratum aut conſultationes admitteretur, ut ut videretur prudentiſſimus. Romani ap. Halicarnaſſæum 8. Antiq. in judicio quod contra Marcium agebatur, ad dicendam ſententiam primum ſurgere jubebant, qui inter conſulares ætate alios antecellerent, deinde his proximos: poſtremo juniores, non hos verò ut aliquid dicerent: ſed ut in Conſularium ſententias diſcederent. Scripſit quoque Darius Alexandro apud Curtium IV. 32. Vereri ſe non avium modo, quas naturalis levitas ageret ad ſydera inani ex puerili mentis affectu ſe afferret; eo quod nihil difficilius ſit, quam in illa ætate tantam capere fortunam. *Concl.* Quos ergo ætate tenera facillimè adhuc inſtitutio fingit, & quorum adhuc ætas propter humilitatem in hominum adhuc ignoratione verſatur, quibusque ſicubi ceſpitarint haud ægrè ignoſcitur: illos ubi Juvenes eſſe cæperunt magna jam ſpectare, & ad illa rectis ſtudiis jam contendere decet, ut nulla porrò in illis cupiditas ſine delectu, improbitas, libido, luxuries nulla

repe-

reperiatur, ſed quod facturi id ſapientes excogitent; audacter verò dein perficiant, quicquid excogitaverint- &c.

XII. *Ingenium artibus excolendum.* *Ex. à gen.* Nihil eſt viventium, quod alimento & cultura non indigeat. Plantas illud terra: hanc ſæpiſſime hortulanus & agricola: animantibus plantæ & non rarò homines; his utraque & communiter docti præſtant; quod enim corpori cibus atque cultus, hoc artes animo, ut corpori deſiderium reſcendi: ita diſcendi & ſciendi natura indidit. *Tr.* (1.) *per part.* Sed artium nomine quæ veniunt, non omnes excolunt ingenium. Quædam enim ſunt manuariæ opificum ad vitam civilem utiles: quædam etiam ludicræ, quæ ad oculorum & aurium voluptatem pertinent, & corporeis adeo inſtrumentis efficiuntur: quædam ad animi ſenſa ritè commode & ornate exprimenda valent: quædam mentis cogitationes, quædam voluntatis conſilia & actiones dirigunt ad vitæ honeſtatem & reipublicæ commodum; & præſtantiores quidem ſunt artes, quæ ſolam animam perficiunt; ſed inter hos viciſſim quæ intellectum excellentiores; quæ utilitatem utiliores (2) *cauſ.* Artes illas omnes à Deo humano generi attributas etiam gentium Sapientiſſimi perſpexerunt, hinc Mercurium & Minervam venerati, qui naturæ imbecillitati & cauſarum perveſtigandarum deſiderio his ipſis conſulere conſtituerint. Turpe verò rem à ſummo Numine profectam neglectim habere, & de cæteris ſolum rebus, quæ corpus ſpectant, acram ſuſcipere, animi autem nulla

nulla cura tangi. Vitæ quoque præſidiū in artibus; nulla ſiquidem natio tam barbara, quæ iis carere potuerit, nulla felix Reſpubl. quæ artes neglexerit aut ſapientes habuerit deſpicatui. (3) *effect.* Artes naturam imitantur, & perficiunt menti lumen affundunt, ejusdemque lippitudinem diſcutiunt, ut ad nobiliorem contemplationem audacior aſſurgat artibus ſæpè ſuperare licet eos à quibus natura vincimur: iisdem pectora molleſcunt, aſperitasque fugit. Ov. 1. Pont. 7. plurimi denique his ipſis ſummam conſecuti ſunt dignitatem opum abundantiam, poteſtates in Republ. maximas, famam ampliſſimam & gloriam ap. poſteros immortalem. (4) *adj. modi.* Invita autem Minerva & niſi Præceptoris fides accedat, fruſtra in his diſcipuli labor fuerit: at verò ubi ingenium valet, artes illud limant, potiunt, firmant, & ſupplent in eo, quod naturæ deeſſe videbatur; cum vero vix aliqua ſit diſciplinæ, in qua non peccando diſcatur, uſum & experientiam in artibus dominari quis neget? experientia autem exercitatione continua acquiritur, creſcit exercitio habitus: perditur negligentia & deſidia; denique & patronus accedat oportet, quia vix eluceſcit ingenium, niſi occaſio emergendi & promotor acceſſerint: præmia & gloria his omnibus calcar addunt. *loci.* Utut verò in unaquaque terra ingenia ad quasvis artes diſcendas pariter apta exiſtimantur, & illuſtriora äere puriore: hebetiora in paluſtribus loci reperiri ſolent, quemadmodum Athenienſes ſapientiſſimos & eloquentiſſimos: ſtupidos verò Thebanos fuiſſet Scriptorum haud pauci judicant

dicant : ubicunque tamen locorum artes patronos inveniunt, qui foveant eas & nutriant; Studia Tullio teſte delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur pro Roſc. Com. *temp.* Finit. quidem vetus ſapientia rudis; ſucceſſu temporis tamen & cum ipſo ſapientum numero crevit, quemadmodum inventa pleraque magis magisque in ſpeciebus, ſingularibus, partibusque, tandem omnibus magis atque magis ſubtilius ſubtiliusque elaborantur; induſtria enim ad induſtriam accedens, & ingenium ingenio ſuperveniens longiores in dies progreſſus facit; Succedente denique ætate etſi vires corporis decedunt, ingenii tamen acrimonia non hebetatur, nec unquam artes vitam Sapientum deſtituunt, adoleſcentiam, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium præbent, uti loc. cit. Cicero. *(5) Comp. per proport.* Neque verò eſt quod quisquam obſtrepat, pleraque eorum quæ in juventute addiſcuntur, maturiore ætate paulatim dediſſi, extrema verò vix ullum uſum præſtare; Anſæ etenim vaſorum liquorem non continent, uſui tamen ſunt ad fundendum; veſtibula ſunt quarundam domuum quam illa ipſe Dominus non inhabitet, neque operæ præcipuæ in iis peragantur: Sua ſunt urbibus ſuburbia; ecquis verò curiam in illis & forum quærat præcipuum? In hortis obſervare licet flores olera, fruges; non copiam & fœcunditatem ſoli ſolo; ſed aëri etiam cœli ſolisque temperiei accepta referre: haud aliter artium quoque hæc vel prima ſemina, vel ſapientiæ prudentiæque ima fundamen-

damenta, ut quæ iis in ædificantur, ad ſumma aſſurgere & excreſcere queant principum virorum benigniorem auram & fortunæ afflatum expectant. *exc. & def.* Sunt fateor qui nobilitatem in hoc ſtatuunt, ut corpus exerceatur armis, venationibus, & equeſtribus ludis: anne verò præſtat nobiliorem ſui partem iis rebus inſtrui & exerceri, quibus ſolis optime & poſt hanc quoque vitam vivitur? Quod ſi verò qui rudis more plebeculæ uſu omnia metiuntur? ingenii tamen & facultatum ejus uſu, quæcunque in rebus humanis utilitatis nomine vincunt, longiſſimè ſuperari oportet largiantur? vires autem ille perficiuntur artibus. *Oppoſ.* Illi ergo prorſus beſtiarum vitam agunt, qui voluptatibus dediti, eas animi operationibus anteponunt, & ſenſibus potius indulgent, quam vitam ex recta ratione inſtituant; nonnulli quidem operibus quoque artium delectantur; artifices verò contemnunt: amant ſapientiam, rident ſapientes; quemadmodum unguentis aliqui ſuperbiunt & purpura; textores verò & unguentarios deſpiciunt; Hi ſanè id ſponte videntur agere, quod Mytylenſes ſociis pœnæ loco irrogarunt, ut ſc. nec ipſos nec eorum liberos artes liberales quiſquam doceret, eò quod ſorvorum hanc putarent conditionem artibus liberalibus imbutum non eſſe. (6) *ab Autor. teſt.* Laert. Lib. 5. Cum quoque è Syracuſanis quidam Cyrenem Ariſtippi patriam navigare conſtituiſſent, & ex eo quærerent, numquid familiæ ſuæ mandare vellet? Præcipite, inquit meis, ut eas res ſibi curent parandas, quæ

cum poſſeſſore in naufragio perdi nequirent. *Exempl.* ſic ap. eundem Diog. Lib. 2. Demetrius Antigoni filius, quum cepiſſet Megara, domum Stilponi reſervari, cunctamque direptam ſubſtantiam reſtitui curavit; ubi verò cum ea quæ amiſiſſet, ut ſcriptis ſibi traderet, admoneret; nihil ille ſuum ſe perdidiſſe reſpondit: doctrinam quippe & eruditionem ſibi ademiſſe neminem. Sic Biantis patriam Prienem cum cepiſſet hoſtis, cæterique ita fugerent, ut multa de ſuis rebus aſportarent, admonitus ille à quodam, idem ut ipſe faceret: Ego verò inquit, facio, nam omnia mea porto mecum. *Concl.* Illas ergò ſibi divitias & poſſeſſiones parare, tutiſſimum eſt, qvas nec vis ulla nobis eripere, nec hoſtis expugnare, nec ætas perdere, nec ulla unquam injuria eripere nobis poſſit &c.

LIBER QVARTUS
DE
CONTRACTIONE PERIODI.

AMplificationi Contradictio reſpondet, eſt verò non minus hæc ipſa Orationis ornamentum in eo poſitum, quod paucioribus efferantur, quæ prolata erant pluribus, aut proferri poterant. Quemadmodum autem Amplificatio vel verborum erat vel Rerum; ita & Contractio; Sed quando hæc in verbis inſtituitur, vel voces tantum, vel dicendi modos, vel ipſam denique ſententententiam afficit.

Vo-

Vocum viciſſim *contractio* tribus modis fieri poteſt, ſi *ſc.* paucioribus conſtantes ſyllabis pro iis aſſumantur, quæ pluribus e. g. ſta, pro: ſubſiſte, ſic reor, pro: ita exiſtimo. *Vel* ſi generale quoddam nomen aut verbum ponatur pro pluribus minus communibus, quæ tamen ſub illo contineantur e. g Animalia, pro: avibus, piſcibus, jumentis &c. *vel* denique rejectis omnibus, illis quibus res ipſa plenè & commodè intelligi poſſit, ſynonymis ſc. epithetis, aliquando & antithetis aliisque e g. ſ. d. Deus, pro: omnipotens omnium creator. In aliquibus *dicendi rationibus* longè pluribus modis *contractio* fieri poteſt, *nimirum complexum* è pluribus vocibus *revocando ad unam* e.g. novale, pro: novus ager. Sudum, pro, cæli facies ſerena. Hebdomas pro: ſeptem dies. Luſtrum pro: quinque anni; Roma, pro: urbs Roma. Cicero, pro: Marcus Tullius Cicero. *Vel omittendo ſubſtantivum* e. g dextra, pro manus dextra, Primates, pro: Viri primates. Vel *adjectivum* e g. vir eſto, pro: vir fortis eſto. Item, homo ſum, pro: fragilis homo ſum. Nos omnes, pro: nos ſocii omnes. Vel *nominativus caſus* intellectus *ſub Genitivo* e. g. Hector Priami, pro: filius Priami. Vel *verbo finito* e. g. ajunt, pro: homines ajunt. Pluit, pro: cælum pluit. Vel *verbum* viciſſim ſub *nomine* e. g. Ecce nuncius ſc. venit. Rari quippe boni ſc. ſunt. Porro vel *omittitur Dativus* perſonæ e. g. oſtendit ſc. mihi. item: conducit, ſc. humano generi. vel *Accuſativus* patiens e. g. doce ſc. me. Recita ſc. lectionem. vel *infinitivus* in verbis ap. ſcire, velle, conari, & ſimilibus. e. g. Scit fidibus ſc.

videri cupiat. *temp.* Ut verò iſta certamina hoc feli-cius ineantur, jam puerum ſcholis, adoleſcentem Gymnaſiis, Juvenem caſtris interfuiſſe, continuis laboribus eſſe aſſuetum, vigiliis ſæpè noctem tranſegiſſe, iiſdemque redeuntem antevertiſſe ſolem opus eſt. Amat ſiquidem victoria curam, quæ occaſiones, & hæc quæ tempora obſervet. (5) *Comp. per prop.* In Gymnicis certaminibus non iis victoria adſcribebatur, qui primi ad ea nomen profeſſi fuerant, verum qui ad quod illud dederant, hoc optimè factis comprobabant; rariſſimè deteriorem caſus præferebat; quin quibus virium cura erat, hi cum fortiſſimis ſolebant confligere, & exigere ab his, ut quibuscunque pollebant viribus; iiſdem adverſus ſe uterentur; quod ſi non inveniebant pares, plures quoque qui ſibi objiciebantur ſuſtinebant. *Exc. & def.* Neque tamen dedecus omnino putabant vinci à Domeſticis, Dorienſem puta à Dorienſi, aut Chalcedonenſem à ſuo gentili ſuperari: neque nefas ducebant ſe huic ſubmitti, quem virtus & fortuna ſuper omnes extuliſſent; imo victis non nihil afferebat honoris excellentia illorum à quibus erant victi, quibus tamen & fortitudinem ſuam probaverant. *Oppoſ.* Aſt cum homine vinci parato pudebat eos congredi, atque cum hoc ſe componi ignominiam exiſtimabant; etenim ſine gloria victus ille jacebat, qui vinci poterat ſine periculo. (6) *Autor teſt.* Accii fab. XIIX. v. 9. Si vincat minimum ſummus laus vincere non eſt: Atque decus minimo fiet ab hoſte minus. De pretio victi pendet victoria; Victor Tantus erit, victi gloria

ria quanta fuit. *Exempl.* Cyro illa præcipuè placebant certamina, quæ cum contentione maximâ ſuſcipiebantur eosque præ cæteris diligebat, qui eadem alacrius inirent. Clariſſimum omnium Græcis ludicrum videbatur certamen Olympiorum, quia ad exercendas corporis animique vires aptiſſimum. Philippus autem Macedô cum Alexandrum ſuum hortaretur, ut quia agilis erat & celer pedibus, in his ipſe etiam ludis ſtadium curreret; & facturum ſe quidem dixit: aſt ſi cum Regibus ſibi curſu certandum eſſet; inique enim comparatum illud certamen exiſtimabat, quo vel victor privatos tantû eſſet victurus, vel victus palmam ceſſurus privatis. *Concl.* Virtus igitur non tantum libenter admittit: ſed ſibi etiam quærit æmulos; quoniam horum comparatione redditur alacrior: ſine his verò marceſſit.

XI. *Adoleſcentia lubrica.* *Ex. àgen.* Vix antequam ad maturitatem pervenerint, quæ incrementa accipiunt, molem rerum ſibi impoſitam ex æquo ſuſtinent: ſed vacillant quandoque, nutant, labaſcunt; quemadmodum in floribus, arboribus, animantibus, hominibus denique quotidiè experimur. *Tract.* (1.) *per part.* Adoleſcentes enim videmus in judicando aliorum modô veſtigia ſequi, in conſiliis eſſe præcipites, magis externa & ſibi blandiente rerum ſpecie capi, quam ut indolem earum & circumſtantias expendant, ſenſibus indulgere, jucunda ſectari, affectibus facilè & cæco quidem impetu abripi, honeſta negligere, ad ludendum, cantandum, ſaltandum, jocandum, omnem corporis mollitiem

proclives eſſe, (2) *cauſ.* Sanguine ſiquidem præcalido fervet adoleſcentia atque abundat, inutilibus & tantum ſuavibus rebus immerſa, ſeria deteſtatur, rerum experientia deſtituitur nondum ſæpè decepta dolis haud difficulter capitur, credula adulatoribus obſequitur, & quia mala nondum ſenſit, optima ſperat, ſibi clauditur, & ſuis quæ ſibi fingit ſimulacris exultat. (3) *effect.* Hinc eos plerumque videas torpentes ad virtutem, ad laborem ſegnes, ad malitiam celeres, audentes, ambitioſos, improvidos, imprudentes, loquaces, temerarios, tumidos, feroces, ad iram pronos, vindictæ cupidos, animo leves, varios, inque omnem partem verſatiles, rebus gerendis planè impares, de utilibus & neceſſariis parum ſollicitos, ludicris & vanis deditos, præfidentes, omnia ſibi ſpondentes, faſtu turgentes: faciles ut in fidem ſic viciſſim in odium: incautos in periculis futurorum ignaros, præteritorum immemores, præſentium amantes: nuſquam certò figentes cogitationes ſuas: amicitiarum æque ac inimicitiarum prodigos. (4) *adj. modi.* Moribus magis ſociorum quam dictamine vivunt rationis, quæ vehementer concupiſcunt, mox faſtidiunt: multa ſibi agenda præſtituunt, pauca exeqvuntur: multa incipiunt, pauca abſolvunt: formæ dignitatem jactant & pompa præfulgere ſtudent aliis: ſola ſpe lactantur. Illa ſuperbiunt, levium rerum gloria efferuntur, quin imo exultant: plura de ſemetipſis ſibi promittunt audaculi, quam ferre ætas nedum proferre poſſit: ſcire ſe putant omnia, cum poſſe contendere, ſapientiæ jam contigiſſe cacumina: vix ætati, vix autoritati

ce,

cedunt: neminem verentur, imitantur neminem, ſibi ſemetipſis exemplar conſtituunt : nimium confidunt ſecundis, nec paupertatem, nec caſum, nec morbum, nec mortem metuunt : ceu neſcia falcis Sylva comas tollit fructumque exſpirat in umbras. *loci.* Hinc eſt quod frequentiores in platea, nonnullos videas atque in Schola; deambulantes in pratis, Sylvis, ad ripas fluminum, quam aſſidentes libris; ludentes in hortis, quam perluſtrantes ſcripta Doctorum; proh pudor! quod cauponas nonnulli aliaque inhoneſta loca ament. *temp.* Nonne fabros ſolem vigiliis antevertere præſtat, quam ſtertere uſque ad jentacula : ſtatuto tempore didiciſſe quæ propoſita fuere, quam diſcendo ſubſequi alios : inſiſtere operi donec perfectum fuerit, quam modo hæc modò illa tentare : non ante laxare animum à ſtudiis, quam penſum planè fuerit abſolutum ; atque feſſum demum à ludo ad ſtudia tractanda accingi? (5) *Comp. per propert.* Adoleſcentia flos ætatis humanæ : quid mirum, ſi ut tempeſtatis injuria floribus folia decidunt : ita temporum hæc injuria ſpe quam promittebat, excidat, vel ipſa eam malitia ſua perdat. Sæpe enim ver fructuum ubertatem lætiſſimam pollicetur, quorum expectationem vel nocturnum frigus, vel aëris intemperies vel inſecta &c. intercipiunt : quid mirum ſi ſpes, quam de pueris concipiebamus adoleſcentibus, in æſtate poſtea atque autumno, juvenili ſc. ac virili ætate ſæpè decollet? tenerrimi flores leviter hærent : facillimè omnium adoleſcentes in morbos incidunt, gravius ægrotant, ægrè curantur:

tur: facillimè quoque pravo ſodalitio inquinantur, æreí in vitium flecti, effreni atque aſperi ad monita prudentum. *Exr. & def*, Sicuti verò adoleſcens vitis. Facilè palo alligatur & falcem admittit: arborum quoque ſtipites & rami, dum hortulani cura reſecari ſe & regi patiuntur, rectius ſurgunt, fortiusque conſiſtunt: hoc quoque minus tenerior ætas dum commoda educatione ad artes, ad virtutem aſſuefieri poteſt, præcepturum ductus atque conſilia aſpernari: ſed robur quod accepit ad ſtudia impendere debet. *Oppoſ* Sunt utique, qui, cum totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, qui emerſerint aliquando, ſeque ad bonam frugem receperint. Libidini L. Sylla etiam adhuc quæſtor deditus erat: perruptis verò tandem & qs. disjectis nequitiæ clauſtris, catenas Iugurthæ injecit, Mithridatem compeſcuit, ſocialis belli fluctus repreſſit, Cinnæ dominationem fregit. Quo Catuli juveniles luxus deliciæque non prohibuerunt, quo minus Patriæ Princeps in Capitolino faſtigio fulgeret. Cimon ex luſtris & vinolentia malè principio audivit; poſtea tamen nec prudentia Themiſtocli, nec fortitudine Miltiadi quicquam conceſſit. At verò rariora hæc ſunt, quam ut in exemplum trahi poſſint, aut adoleſcentiæ indulgeri debeat. (6) *Autor teſt.* Frequentiores illi ſunt, de quibus Seneca pater l. Controv. in præf. med. Somnus languorque, ac ſomno & langvore turpior malarum rerum induſtria adoleſcentum invaſit animos. Cantandi ſaltandique nunc ob ſcæna ſtudia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad mulie-

liebres blanditias vocem extenuare, mollitiæ corporis certare, cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt. Horat. qq. de arte poët. v. 163. Imberbis Juvenis tandem cuſtode remoto &c. Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper, Utilium tardus proviſor prodigus æris, Sublimis cupidusque & amata relinquere pernix. *Exempl.* Mos inde fuit ubique ferè locorum non junioribus ſed ſenioribus reipubl. curam demandare; Solon Athenienſis ap. Stob. ſerm. 114. lege ſanxit, nequis admodum Juvenis ad Magiſtratum aut conſultationes admitteretur, ut ut videretur prudentiſſimus. Romani ap. Halicarnaſſæum 8. Antiq. in judicio quod contra Marcium agebatur, ad dicendam ſententiam primum ſurgere jubebant, qui inter conſulares ætate alios antecellerent, deinde his proximos: poſtremo juniores, non hos verò ut aliquid dicerent: ſed ut in Conſularium ſententias diſcederent. Scripſit quoque Darius Alexandro apud Curtium IV. 32. Vereri ſe non avium modo, quas naturalis levitas ageret ad ſydera inani ex puerili mentis affectu ſe afferret; eo quod nihil difficilius ſit, quam in illa ætate tantam capere fortunam. *Concl.* Quos ergo ætate tenera facillimè adhuc inſtitutio fingit, & quorum adhuc ætas propter humilitatem in hominum adhuc ignoratione verſatur, quibusque ſicubi ceſpitarint haud ægrè ignoſcitur: illos ubi Juvenes eſſe cæperunt magna jam ſpectare, & ad illa rectis ſtudiis jam contendere decet, ut nulla porrò in illis cupiditas ſine delectu, improbitas, libido, luxuries nulla repe-

reperiatur, ſed quod facturi id ſapientes excogitent; audacter verò dein perficiant, quicquid excogitaverint &c.

XII. *Ingenium artibus excolendum.* *Ex. à gen.* Nihil eſt viventium, quod alimento & cultura non indigeat. Plantas illud terra: hanc ſæpiſſime hortulanus & agricola: animantibus plantæ & non rarò homines; his utraque & communiter docti præſtant; quod enim corpori cibus atque cultus, hoc artes animo, ut corpori deſiderium reſcendi: ita diſcendi & ſciendi natura indidit. *Tr.* (1.) *per part.* Sed artium nomine quæ veniunt, non omnes excolunt ingenium. Quædam enim ſunt manuariæ opificum ad vitam civilem utiles; quædam etiam ludicræ, quæ ad oculorum & aurium voluptatem pertinent, & corporeis adeo inſtrumentis efficiuntur: quædam ad animi ſenſa ritè commode & ornate exprimenda valent: quædam mentis cogitationes, quædam voluntatis conſilia & actiones dirigunt ad vitæ honeſtatem & reipublicæ commodum; & præſtantiores quidem ſunt artes, quæ ſolam animam perficiunt; ſed inter hos viciſſim quæ intellectum excellentiores; quæ utilitatem utiliores (2) *cauſ.* Artes illas omnes à Deo humano generi attributas etiam gentium Sapientiſſimi perſpexerunt, hinc Mercurium & Minervam venerati, qui naturæ imbecillitati & cauſarum perveſtigandarum deſiderio his ipſis conſulere conſtituerint. Turpe verò rem à ſummo Numine profectam neglectim habere, & de cæteris ſolum rebus, quæ corpus ſpectant, acram ſuſcipere, animi autem nulla

nulla cura tangi. Vitæ quoque præſidiũ in artibus; nulla ſiquidem natio tam barbara, quæ iis carere potuerit, nulla felix Reſpubl. quæ artes neglexerit aut ſapientes habuerit deſpicatui. (3) *effect.* Artes naturam imitantur, & perficiunt menti lumen affundunt, ejusdemque lippitudinem diſcutiunt, ut ad nobiliorem contemplationem audacior aſſurgat artibus ſæpè ſuperare licet eos à quibus natura vincimur: iisdem pectora molleſcunt, aſperitasque fugit. Ov. 1. Pont. 7. plurimi denique his ipſis ſummam conſecuti ſunt dignitatem opum abundantiam, poteſtates in Republ. maximas, famam ampliſſimam & gloriam ap. poſteros immortalem. (4) *adj. modi.* Invita autem Minerva & niſi Præceptoris fides accedat, fruſtra in his diſcipuli labor fuerit: at verò ubi ingenium valet, artes illud limant, potiunt, firmant, & ſupplent in eo, quod naturæ deeſſe videbatur; cum vero vix aliqua ſit diſciplinæ, in qua non peccando diſcatur, uſum & experientiam in artibus dominari quis neget? experientia autem exercitatione continua acquiritur, creſcit exercitio habitus; perditur negligentia & deſidia; denique & patronus accedat oportet, quia vix eluceſcit ingenium, niſi occaſio emergendi & promotor acceſſerint: præmia & gloria his omnibus calcar addunt. *loci.* Utut verò in unaquaque terra ingenia ad quasvis artes diſcendas pariter apta exiſtimantur, & illuſtriora äere puriore: hebetiora in paluſtribus loci reperiri ſolent, quemadmodum Athenienſes ſapientiſſimos & eloquentiſſimos; ſtupidos verò Thebanos fuiſſet Scriptorum haud pauci judicant

dicant ; ubicunque tamen locorum artes patronos inveniunt, qui foveant eas & nutriant; Studia Tullio teſte delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur pro Roſc. Com. *temp*. Finit. quidem vetus ſapientia rudis; ſucceſſu temporis tamen & cum ipſo ſapientum numero crevit, quemadmodum inventa pleraque magis magiſque in ſpeciebus, ſingularibus, partibusque, tandem omnibus magis atque magis ſubtilius ſubtiliusque elaborantur ; induſtria enim ad induſtriam accedens, & ingenium ingenio ſuperveniens longiores in dies progreſſus facit; Succedente denique ætate etſi vires corporis decedunt, ingenii tamen acrimonia non hebetatur, nec unquam artes vitam Sapientum deſtituunt, adoleſcentiam, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium præbent, uti loc. cit. Cicero. *(5) Comp, per proport*. Neque verò eſt quod quisquam obſtrepat, pleraque eorum quæ in juventute addiſcuntur, maturiore ætate paulatim dediſſi, extrema verò vix ullum uſum præſtare; Anſæ etenim vaſorum liquorem non continent, uſui tamen ſunt ad fundendum; veſtibula ſunt quarundam domuum quam illa ipſe Dominus non inhabitet, neque operæ præcipuæ in iis peragantur: Sua ſunt urbibus ſuburbia; ecquis verò curiam in illis & forum quærat præcipuum? In hortis obſervare licet flores olera, fruges; non copiam & fœcunditatem ſoli ſolo; ſed aëri etiam cœli ſoliſque temperiei accepta referre : haud aliter artium quoque hæc vel prima ſemina, vel ſapientiæ prudentiæque ima fundamen-

damenta, ut quæ iis in ædificantur, ad ſumma aſſurgere & excreſcere queant principum virorum benigniorem auram & fortunæ afflatum expectant. *exc. & def.* Sunt fateor qui nobilitatem in hoc ſtatuunt, ut corpus exerceatur armis, venationibus, & equeſtribus ludis: anne verò præſtat nobiliorem ſui partem iis rebus inſtrui & exerceri, quibus ſolis optime & poſt hanc quoque vitam vivitur? Quod ſi verò qui rudis more plebeculæ uſu omnia metiuntur? ingenii tamen & facultatum ejus uſu, quæcunque in rebus humanis utilitatis nomine vincunt, longiſſimè ſuperari oportet largiantur? vires autem ille perficiuntur artibus. *Oppoſ.* Illi ergo prorſus beſtiarum vitam agunt, qui voluptatibus dediti, eas animi operationibus anteponunt, & ſenſibus potius indulgent, quam vitam ex recta ratione inſtituant; nonnulli quidem operibus quoque artium delectantur; artifices verò contemnunt: amant ſapientiam, rident ſapientes; quemadmodum unguentis aliqui ſuperbiunt & purpura; textores verò & unguentarios deſpiciunt; Hi ſanè id ſpontè videntur agere, quod Mytylenſes ſociis pœnæ loco irrogarunt, ut ſc. nec ipſos nec eorum liberos artes liberales quiſquam doceret, eò quod ſorvorum hanc putarent conditionem artibus liberalibus imbutum non eſſe. (6) *ab Autor. teſt.* Laert. Lib. 5. Cum quoque è Syracuſanis quidam Cyrenem Ariſtippi patriam navigare conſtituiſſent, & ex eo quærerent, numquid familiæ ſuæ mandare vellet? Præcipite, inquit meis, ut eas res ſibi curent parandas, quæ

Vocum viciſſim *contractio* tribus modis fieri poteſt, ſi *ſc.* paucioribus conſtantes ſyllabis pro iis aſſumantur, quæ pluribus e. g. ſta, pro: ſubſiſte, ſic reor, pro: ita exiſtimo. *Vel* ſi generale quoddam nomen aut verbum ponatur pro pluribus minus communibus, quæ tamen ſub illo contineantur e. g Animalia, pro: avibus, piſcibus, jumentis &c. *vel* denique refectis omnibus, illis quibus res ipſa plenè & commode intelligi poſſit, ſynonymis ſc. epithetis, aliquando & antithetis aliisque e g. ſ. d. Deus, pro: omnipotens omnium creator. In aliquibus *dicendi rationibus* longè pluribus modis *contractio* fieri poteſt, *nimirum complexum* è pluribus vocibus *revocando ad unam* e.g. novale, pro: novus ager. Sudum, pro, cæli facies ſerena. Hebdomas pro: ſeptem dies. Luſtrum pro: quinque anni: Roma, pro: urbs Roma. Cicero, pro: Marcus Tullius Cicero. *Vel omittendo ſubſtantivum* e. g dextra, pro manus dextra. Primates, pro: Viri primates. Vel *adjectivum* e g. vir eſto, pro: vir fortis eſto. Item, homo ſum, pro: fragilis homo ſum. Nos omnes, pro: nos ſocii omnes. Vel *nominativus caſus* intellectus *ſub Genitivo* e. g. Hector Priami, pro: filius Priami. Vel *verbo finito* e. g. ajunt, pro: homines ajunt. Pluit, pro: cælum pluit. Vel *verbum* viciſſim ſub *nomine* e. g. Ecce nuncius ſc. venit. Rari quippe boni ſc. ſunt. Porro vel *omittitur Dativus* perſonæ e. g. oſtendit ſc. mihi. item: conducit, ſc. humano generi. vel *Accuſativus* patiens e. g. doce ſc. me. Recita ſc. lectionem. vel *infinitivus* in verbis ap. ſcire, velle, conari, & ſimilibus. e. g. Scit fidibus ſc.

canere. Multum vellet: ſed parum poteſt ſc. præſtare. Vel verbum *finitum*. e. g. Tam deeſt avaro quod habet, quam (ſc. ei deeſt) quod non habet. vel *adverbium* e. g. amplius (ſc. quam.) ſexcenti. vel *præpoſitio* e. g. ſi Pater (propter) id ſuccenſeat. Percuſſus (cum vel: à) dextra vel conjunctio e. g. velis, nolis, pro: ſive velis, ſive nolis; denique & *interjectio* e. g. Infelicem mel pro: ô me infelicem: viciſſim *tranſit* ſæpe nomen *adjectivum* in *adverbium* e. g. ſi pro, ingenioſus eſt & doctus, dicam: eſt ingenioſe doctus, vel *verbum in participium* e. g. ſi pro: legit & audit, dicam: legens audit Item: Quæ Deus creavit, ea quoque conſervat pro: Creata à ſe Deus conſervat aut *gerundium* e. g. Cicero dicendo pro multis, eos ſervavit, pro: Cicero dixit pro multis & eos ſervavit. Sed hæc ferè pueritia, nonnunquam & jejuna ut ad minutias iſtas orator parum reſpiciat. *Rerum* ergo contractio ad inveſtigandum Inventionis atque Diſpoſitionis in Oratione artificium, ſi quis amplificandi rationem probe teneat, exemplis commodius quam præceptis, ut eam conveniat inſtitui obſervabitur; Hanc ergo in rem quatuor Catilinarias Ciceronis ſelegimus, in quibus varios & amplificationis rerum & contradictionis modos, partium adeoque & argumentorum connexionem atque vim oſtenderemus.

ARTICULUS I.

exhibens

CATILINARIAM PRIMAM.

I. QUousque tandem (*a*) abutere, Catilina, patien.

tientia noſtra ? quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet ? quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audaciæ ? (*b*) nihil ne te nocturnum præſidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil, conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora, vultusque moverunt? (*c*) patere tua conſilia non ſentis ? conſtrictam jam omnium horum conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? (*d*) quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris ?

Amplif. (a) *per Synonymiam* (b) *per enumerationem partium* (c) *per Synonym.* (d) *per enum. part.*

Contr. *Catilina patientia Senatus ad furorem abutitur*; Non enim movetur (1) præſidiis & excubiis (2) munitiſſimo Senatus habendi loco (3) & in aprico jam poſitis conſiliis.

II. O tempora (*a*) ô mores ! Senatus hoc intelligit, conſul videt : hic tamen vivit. Vivit ? immo verò etiam in ſenatum venit : (*b*) fit publici conſilii particeps ; notat, & deſignat oculis ad cædem unum quemque noſtrum. Nos autem, viri fortes, ſatisfacere Reip. videmur, ſi iſtius furorem, ac tela vitemus. Ad (*d*) mortem te, Catilina duci, juſſu conſulis, jam pridem oportebat : in te conferri peſtem iſtam, quam tu in nos omneis machinaris.

Ampl. (a) *per figuras Rhetoricas* (b) *ab effect.* (c) *ab Oppoſ.* (d) *per Synonym.*

Contr. Quin in Senatum venit, & notat unum

quemque noſtrum ad cædem; *Dudum* itaque *mortem ipſe meritus eſt , quam machinatur in nos omnes;*

III. An verò vir ampliſſimus, (a) P. Scipio, pontifex maximus, T. Gracchum, mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit: Catilinam verò, orbem terræ cæde, atque incendiis vaſtare cupientem, nos conſules perferemus? nam illa nimis antiqua prætereo (*b*) quod Q. Servilius Hala Sp. Melium, novis rebus ſtudentem, manu ſua occidit. Fuit iſta quondam in hac Rep. virtus ut viri fortes acrioribus ſuppliciis civem pernicioſum, quam acerbiſſimum hoſtem cöercerent. (*c*) Habemus enim ſenatus conſultum in te Catilina, vehemens & grave: non deeſt Reip. conſilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, conſules deſumus.

Ampl. (a) *à comparatis* (b) *ab exemplis* (c) *ab auctoritate Sententiæ Senatus.*

Contr. quaque illum Conſul afficere poſſet (1) quod ſi enim Pontifex ſcipio, Grachum mediocriter ſolum labefactantem ſtatum Reip. privatis interfecit: quidni Catilinam Cicero tot ſcelera molientem. (2) Sic quoque Servilius Hala Sp. Melium manu ſua ſuſtulit. (3) Conſentit Senatus & jam decrevit, viderem Conſul, ne quid Reſp. detrimenti caperet.

IV. Decrevit quondam Senatus, (*a*) ut. L. Opimius COS. videret, ne quid Reſp. detrimenti caperet. Nox nulla interceſſit: interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus, clariſſimo patre

tre natus, avis, majoribus: occiſus eſt cum liberis M. Fulvius, conſularis. Simili ſenatus conſulto, C. Mario & L. Valerio, COSS. permiſſa eſt Reſp. Num unum diem poſtea L. Saturninum tribunum plebis, & C. Servilium mors à Reip. pœna remorata eſt. (*a*) At nos viceſimum jam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi ſenatus conſultum: verum tamen incluſum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum: quo ex ſenatus conſulto confeſtim interfectum te eſſe, Catilina, convenit. Vivis: & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Cupio P. C. me eſſe dementem: cupio in tantis Reip. periculis non diſſolutum videri: ſed jam me ipſum inertiæ, nequitiæque condemno.

Amplif. (a) *ab exempl.* (b) *diſſimilib.*

Contr. Autoritate ejusdem decreti L. Opimius Cenſ. eadem die Grachum & M. Fulvium. Nec non C. Marius, L. Saturnium tribunum pl. & C. Servilium è medio ſuſtulerunt. Catilina autem cum dilata pœna audaciori fiat, ſicut clemens volui eſſe, *non debeo jam diſſolutus videri.*

V. Caſtra ſunt in Italia contra Remp. (*a*) in Etruriæ faucibus collocata: creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus: eorum autem Imperatorem caſtrorum, ducemque hoſtium, intra mœnia, atque adeo in ſenatu videmus, inteſtinam aliquam quotidie perniciem Reip. molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, ſi interfici juſſero: credo, erit verendum

mihi, ne non hoc potius omnes boni ſerius à me, quam quisquam crudelius factum eſſe dicant. Verum ego hoc, quod jam pridem factum eſſe oportuit, certa de cauſa nondum adducor ut faciam, tum denique interficiam te, cum jam nemo (b) tam improbus, tam perditus, tam tui ſimilis inveniri poterit, qui id non jure factum eſſe fateatur.

Ampl. (a) *ab adj.* (b) *per Synonym.*

Contr. Nam apertè bellum adverſus patriam paras. Etſi ergò eo uſque pœnam illam diſtuli, quoad etiam improbiſſimus quisque ea te dignum fateatur;

VI. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives: & vives ita, ut nunc vivis, (a) multis meis & firmis præſidiis obſeſſus, ne commovere te contra Remp. poſſis. Multo te etiam oculi, & aures non ſentientem, ſicut adhuc fecerunt, ſpeculabuntur, atque cuſtodient. Etenim quid eſt, Catilina, quod jam amplius exſpectes, ſi neque (b) nox tenebris obſcurare cætus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ poteſt? (c) ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia? Muta jam iſtam mentem: mihi crede: obliviſcere cædis, atque incendiorum, teneris undique: luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia: quæ etiam mecum licet recognoſcas.

Ampl. (a) *per Synonym.* (b) *per adj. negat.* (c) *Synonym.*

Contr. diligentiſſimè tamen te obſervabo; quoniam verò omnibus nota ſunt conſilia tua, *Præſtare t te hinc abire, in Caſtra Manlij,* VII.

VII. Meminiſtine, me ante diem XII. Calen. Novembr. dicere in ſenatu, certo die fore in armis, qui dies futurus eſſet, ante diem *VIII. Calend. Novembr.* C. Manlium, audaciæ ſatellitem, atque adminiſtrum tuæ? num me fefellit. Catilina, (*a*) non modo reſtanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis eſt admirandum, dies? Dixi ego idem in ſenatu, cædem te optimatum contuliſſe in ante diem *V. Calend. Novembr.* tum cum multi principes civitatis Roma non tam ſui conſervandi, quam tuorum conſiliorum reprimendorum cauſa profugerunt, (*b*) Nam inficiari potes, te illo ipſo die meis præſidiis, mea diligentia circumcluſum, commovere te contra Remp. non potuiſſe, cum tu diſceſſu cæterorum, noſtræ tamen, qui remanſiſſemus, cæde contentum te eſſe dicebas?

Ampl. (a) (b) *ab adj. ſc. tempor.*

Contr. Etenim (1) *Nihil tam occultum quod ego non indagarim*: Prædixi enim *diem* (*a*) quo Manlius futurus eſſet in armis (2) quo trucidandi optimates; præſidiis itaque meis te circumcluſi.

VIII, Quid; cum te Præneſte *Calend. ipſis Novembr.* occupaturum nocturno impetu eſſe confideree: ſenſiſtine, illam coloniam meo juſſu, meis præſidiis, cuſtodiis, vigiliisque eſſe munitam? (*a*) Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, ſed etiam videam, planeque ſentiam. Recognoſce tandem mecum illam ſuperiorem (*b*) *noctem*. Jam intelliges multo me vigilare acrius ad ſa-

lutem , quam te ad perniciem reip. Dico te priori nocte veniſſe inter falcarios (nõ agam obſcure) in (c) M. Leccæ domum : conveniſſe eodem complures ejuſdem amentiæ ſcelerisque ſocios. Num negare audes ? quid taces ? convincam , ſi negas. Video enim eſſe hic in ſenatu (d) quosdam , qui tecum una fuere.

Ampl. (a) *per Synonym.* (b) *per adj. temp.* (c) *loci* (d) *& perſonar.*

Contr. (3) quæ occupandum Præneſte , quod armatis ſepſi Non mihi obſcura (1) *nox* illa qua in M. Leccæ domo fuiſti ; (2) quin & eos novi qui unà tecum , eosque hic præſentes video.

IX. O dii immortales ! ubinam (a) gentium ſumus ? quam remp. habemus ? in qua urbe vivimus ? Hic, hic ſunt , in noſtro numero , P. C. in hoc orbis terræ ſanctiſſimo , graviſſimoque conſilio , qui de meo , noſtrumque omnium interitu , qui de hujus urbis , atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. (b) Hoſce ego video conſul , & de repub. ſententiam rogo : & , quos ferro trucidari oportebat , eos nondum voce vulnero. Fuiſti igitur apud Leccam ea nocte , Catilina (c) diſtribuiſti parteis Italiæ : ſtatuiſti quo quemque proficiſci placeret : delegiſti quos Romæ relinqueres , quos tecum educeres : deſcripſiſti urbis parteis ad incendia : confirmaſti , te ipſum jam eſſe exiturum : dixiſti paullulum tibi eſſe etiam tum moræ , quod ego viverem. Reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent , & ſeſe illa ipſa nocte paullo

lo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur.

Amplif. (a) *per Synon.* (b) *Oppoſ.* (c) *enum. part.*

Contr. iique adſunt, ut una ſuffragium ferant. Tu verò Catilina me exploratum jam habere ſcias, quo pacto ad incendia & cædes tuos diſpoſueris, quibus me equitibus interimendum commiſeris.

X. Hæc ego omnia, (*a*) vix dum etiam cœtu veſtro dimiſſo, comperi: domum meam majoribus præſidiis munivi, atque firmavi; excluſi eos, quos tu mane ad me ſalutatum miſeras, cum illi ipſi veniſſent, quos ego jam multis viris ad me venturos id temporis eſſe prædixeram. Quæ cum ita ſint, Catilina, (*b*) perge quo cepiſti: egredere aliquando ex urbe; patent portæ proficiſcere. Nimium diu te imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant. Educ tecum etiam omneis tuos: ſi minus, quam plurimos, purga urbem. Magno me metu liberabis, dum modo inter me atque te murus interſit. Nobiſcum verſari jam diutius non potes. (*c*) non feram, non patiar, non ſinam.

Amplif. (a) *ab adj. anteced.* (b) (*c*) *per Synonym.*

Contr. quos vero præmonitus domum majoribus muniens præſidiis excluſi. *Abi ergo*; namque Manliana te caſtra expectant, meque ſimul liberabis metu.

XI. Magna diis immortalibus habenda eſt gratia, atque huic ipſi jovi (*a*) ſtatori; antiquiſſimo cuſtodi hujus urbis, quod hanc tam terram, tam horribilem, tamque

hortor) exieris: exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna, & pernicioſa ſentina reip.

Ampl. (a) *perenum. part.* (b) *per deſcript.*

Contr. & jam apertè Remp. petit. Inte autem Catilina nolo gravius adhuc quicquam conſulere: ſed ſuadeo ſaltem, *ut urbe exeas*, quæ odio te perſequitur, ac faſtidit.

XIII. Quid eſt, Catilina (*a*)? num dubitas id, me imperante, facere, quod jam tua ſponte faciebas? Exire ex urbe conſul hoſtem jubet. Interrogas me, num in exilium? Non jubeo: ſed, ſi me conſulis, ſuadeo. Quid enim, Catilina, eſt, quod te jam in hac urbe delectare poſſit? in qua nemo eſt, extra iſtam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo, qui te non oderit? (*b*) Quæ nota domeſticæ turpitudinis non inuſta vitæ tuæ eſt? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus umquam tuis, quod flagitium à toto corpore abfuit? cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam, ferrum, aut ad libidinem, facem prætuliſti.

Amplif. (a) *per interrog.* (b) *enum. part.*

Contr. Et in qua nihil eſt *quod te delectare poſſit*, deteſtantur enim omnes vitæ tuæ turpitudinem & facinora plurima.

XIV. Quid vero? (*a*) nuper, cum morte ſuperioris uxoris, novis nuptiis, domum vacuam feciſſes? nonne etiam alio incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti,

laſti ? quod ego prætermitto , & facile patior ſileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exſtitiſſe , aut non vindicata eſſe videatur. (*b*) Prætermitto ruinas fortunarum tuarum , quas omneis impendere tibi proximis Idibus ſenties. Ad illa venio, quæ non ad privatam ignominiam vitiorum, non ad domeſticam tuam difficultatem , ac turpitudinem, ſed ad ſummam reip. atque ad omnium noſtrum vitam, ſalutemque pertinent.

Amplif. (*a*) *per enum. part.* (b) *& ſimul præteritionem.*

Contr. qualia 1. cædes filii ut nuptias tibi Aureliæ Oreſtillæ conciliares: 2. æs alienum adeo grande conflatum , ut fortunarum tuarum ruina impendeat.

XV. Poteſtne tibi hujus Vitæ hæc lux, Catilina, aut hujus cæli ſpiritus eſſe jucundus, cum ſcias , horum eſſe neminem , (*a*) qui neſciat te pridie Calendas Januar. Lepido & Tullo COSS. ſtetiſſe in comitio cum telo ? manum, conſulum & principum civitatis interficiendorum cauſa, paraviſſe? ſceleri , ac furori tuo non mentem aliquam , aut timorem tuum , ſed fortunam reip. obſtitiſſe ? Ac iam illa omitto. Neque enim ſunt aut obſcura , aut non multo poſt commiſſa. Quoties tu me deſignatum , quoties me conſulem interficere voluiſti ? Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari poſſe non viderentur, parva quadam declinatione, &, ut ajunt corpore effugi. (*b*) Nihil agis, nihil aſſequeris, nihil moliris, quod mihi late-

latere valeat in tempore: neque tamen conari, ac velle deſiſtis.

Amplif. (a) *per enum. part. interr. præterit. &c.* (b) *per Synonym,*

Contr. 3. Conjuratio adverſas patriam & patres patriæ 4. inſidiæ mihi aliiſque ſtructæ.

XVI. Quoties jam, quoties jam tibi extorta eſt ſica iſta de manibus? quoties vero excidit caſu aliquo, & elapſa eſt? tamen ea carere diutius non potes: quæ quidem quibus abs te initiata ſacris, ac devota ſit, neſcio, quod eam neceſſe putas conſulis in corpore defigere. Nunc vero, quæ tua eſt iſta vita? (a) Sic enim jam tecum loquar: non ut odio permotus eſſe videar, quo debeo, ſed ut miſericordia, quæ tibi nulla debetur. Veniſti paullo ante in ſenatum. Quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis, ac neceſſariis ſalutavit? (b) Si hoc poſt hominum memoriam contigit nemini, vocis exſpectas contumeliam, cum ſis graviſſimo judicio taciturnitatis oppreſſus? Quid quod adventu tuo iſta ſubſellia vacua facta ſunt? quid, quod omnes conſulares, qui tibi perſæpe ad cædem conſtituti fuerunt, ſimul atque aſſediſti, partem iſtam ſubſelliorum nudam, atque inanem reliquerunt?

Amplif. (a) *per figur Communic.* (b) *enum. conſeqq.*

Contr. 5. devota ad necem Conſulis; ſede manibus extorta ſica; Quæ omnia cum tacendo conſiteri te oporteret, te veniente in Senatum, plurimi Senatum diſceſſerunt.

XVII.

XVII. Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas. (*a*) *Servi* me hercule mei ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui; domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? &, ſi me meis *civibus* injuria ſuſpectum tam graviter, atque infenſum viderem: carere me adſpectu civium, quam infeſtis oculis omnium conſpici mallem. Tu cum conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium juſtum, & jam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes, ſenſusque vulneras, eorum aſpectum, præſentiamque vitare? Si te *parentes* timerent, atque odiſſent tui, neque eos ulla ratione placare poſſes: ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. Nam te patria, quæ communis eſt omnium noſtrum parens, odit ac metuit: & jam diu te nihil judicat, niſi de parricidio ſuo cogitare, (*b*) Hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium ſequere, neque vim pertimeſces?

Ampl. (a) *à comparatorum congerie ſc. ſervorum civium parentum* (*b*) *per ſigur. disjunct.*

Contr. Non dominus ita timeri vulta Servis; non ita Magiſtratus ſuſpectus eſſe civibus; non filius adeo exoſus parentibus; atque tu patriæ, quæ aſſiduè te de morte ſua cogitare exiſtimat.

XVIII. Quæ tecum, Catilina, ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. (*a*) Nullum jam tot annos facinus exſtitit, niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque ſociorum, impunita fuerit, ac libera: tu non

ſolum

ſolum ad negligendas leges, ac quæſtiones, verum etiam ad evertendas, perfringendasque valuiſti.(*b*)Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc verò me totum eſſe in metu propter te unum: quicquid increpuerit; Catilinam timeri: nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede; atque hunc mihi timorem eripe: ſi verus, ne opprimar; ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam.

Amplif. (a) *per enum. part. & proſop.* (b) *compar.*

Contr. Atque ad te hoc ferè modo: cum tot annos nullum facinus ſine te, à te vero potiſſimum neces & vexatio civium, direptio ſociorum, neglectus legum, everſio judiciorum & conſpiratio adv. remp. abi & libera me metu; ſi verus, ne opprimar, ſi falſus ut timere deſinam.

XIX. Hæc ſi tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam ſi vim adhibere non poſſit? Quid, quod tu te ipſe in cuſtodiam dediſti? quid, quod, vitandæ ſuſpicionis cauſa, (*a*) apud M. Lepidum te habitare velle dixiſti? à quo non receptus, etiam ad me venire auſus es: atque, ut domi meæ te aſſervarem, rogaſti? Cum à me quoque id reſponſum tuliſſes, me nullo modo poſſe iiſdem parietibus tuto eſſe tecum, qui magno in periculo eſſem, quod iiſdem mœnibus contineremur: ad Qu. Metellum prætorem veniſti. A quo repudiatus, ad ſodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigraſti;

quem tu videlicet & (*b*) ad cuſtodiendum te diligentiſſimum, & ad ſuſpicandum, ſagaciſſimum, & ad vindicandum, fortiſſimum fore putaſti. Sed quam longe videtur à carcere, atque à vinculis abeſſe debere, qui ſe ipſum jam dignum cuſtodia judicaverit?

Amplif. (a) *ab enum. part.* (b) *per epitheta.*

Contr. Quid quod tu ipſe non receptus à Lepido, Cicerone, Metella, ad M. Marcellum denique abiens dignum te cuſtodia ipſe judicaſti.

XX. Quæ cum ita ſint, Catilina, dubitas, ſi hic emori æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam iſtam multis ſuppliciis juſtis, debitiſque ereptam, fugæ ſolitudinique mandare? Refer, (*a*) inquis, ad ſenatum. Id enim poſtulas: & ſi hic ordo ſibi placere decreverit, te ire in exilium, ob temperaturum te eſſe dicis. Non referam id, quod abhorret à meis moribus: & tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te ſentiant. (*b*) Egredere ex urbe, Catilina; libera remp. metu: in exilium, ſi hanc vocem exſpectas, proficiſcere. (*c*) Quid eſt? Catilina? ecquid attentis, ecquid animadvertis horum ſilentium? patiuntur, tacent. Quid exſpectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis?

Amplif. (a) *per occup.* (b) *per Synon.* (c) *per interr. & Subj.*

Contr. Senatus ſententiam expectas? Tacendo conſentit.

XXI.

XXI. At (*a*) ſi hoc idem huic adoleſcenti optimo, P. Sextio, ſi fortiſſimo viro, M. Marcello dixiſſem; jam mihi conſuli hoc ipſo in templo jure optimo ſenatus vim, & manus intuliſſet. De te autem, Catilina, cum quieſcunt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant. Neque hi ſolum, (*b*) quorum tibi auctoritas eſt videlicet cara, vita utiliſſima: ſed etiam illi equites R. honeſtiſſimi, atque optimi viri, cæterique fortiſſimi cives, qui circumſtant ſenatum: quorum tu (*c*) & frequentiam videre, & ſtudia perſpicere, & voces paullo ante exaudire potuiſti. Quorum ego vix abs te jamdiu manus, ac tela contineo: eosdem facile adducam ut te hæc, quæ jam pridem vaſtare ſtudes, relinquentem, uſque ad portas proſequantur.

Amplif. (a) *ab oppoſ.* (b) *Deſcr. & Epith.* (c) *& ab adj.*

Contr. Etenim ſi Cloi innocenti hæc dixiſſem, vis mihi illata fuiſſet. Sed ipſorum quoque equitum & civium Romanor. Vix tela manusque à te prohibeo, qui te ad portas inſectabuntur.

XXII. Quamquam quid loquor? (*a*) te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? ut ullum tu exilium cogites? Utinam tibi iſtam mentem dij immortales donarent. Tametſi video, ſi mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempeſtas invidiæ nobis, ſi minus in præſens tempus, recenti memoria ſcelerum tuorum, at in poſteritatem impendeat. Sed

eſt

XXIV. Quamquam quid ego te invitem, (*a*) à quo jam ſciam eſſe præmiſſos, qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur armati? ſciam pactam & conſtitutam eſſe cum Manlio diem? à quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi, ac tuis omnibus perniciosam eſſe confido, & funeſtam futuram, cui domi tuæ facrarium ſcelerum tuorum conſtitutum fuit, ſciam eſſe præmiſſam. (*b*) Tu ut illa diutius carere poſſis, quam venerari, ad cædem proficiſcens, ſolebas? à cujus altaribus ſæpe iſtam dextram impiam ad necem civium transtuliſti?

Amplif. (a) *ab adjunct.* (b) *per interrog.*

Contr. Præſtolantur ibi te armati, præmiſerunt aquilam.

XXV. Ibis tandem aliquando, quo te jam pridem tua iſta (*a*) cupiditas effrenata, ac furioſa rapiebat. Neque enim tibi hæc res affert dolorem, ſed quandam incredibilem voluptatem (*b*) Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna ſervavit. Numquam tu non modo ocium, ſed ne bellum quidem, niſi nefarium, concupiſti. Nactus (*c*) es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam ſpe derelictis, conflatam improborum manum.

Amplif. (a) *per Epith.* (b) *& disjunctio* (c) *nec non adjuncta auxilior.*

Contr. Tua te cupiditas huc vocat, tui te ſocii.

XXVI. Hic tu (*a*) qua lætitia perfruere ? quibus gaudiis exſultabis ? quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis ? Ad hujus vitæ ſtudium meditati illi ſunt, qui feruntur, labores tui; (*b*) jacere humi non modo ad obſidendum ſtuprum, verum etiam ad facinus obeundum : vigilare non ſolum ad inſidiandum ſomno maritorum, verum etiam bonis occiſorum. Habes ubi oſtentes illam præclaram tuam patientiam (*c*) famis, frigoris. inopiæ rerum omnium : quibus te brevi tempore confectum eſſe ſenties.

Ampl. (a) *per Synon.* (b) (c) *& enum. part.*

Contr. Horum conſuetudine lætabere, in iſtis ſtudiis exercebis tuam patientiam.

XXVII. Tantum profeci tum cum te à conſulatu repuli, ut exul potius tentare, quam conſul vexare remp. poſſes : atque ut id, quod eſſet à te ſcelerate ſuſceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur. Nunc ut à me, P. C. quandam prope juſtam patriæ querimoniam deteſter, ac deprecer, percipite; quæſo, diligenter, quæ dicam, & ea penitus animis veſtris, mentibusque mandare. (*a*) ſi mecum patria, quæ mihi vita mea multo eſt carior : ſi cuncta Italia, ſi omnis reſp. loquatur : M. Tulli, quid agis ? tu ne eum, (*b*) quem eſſe hoſtem comperiſti : quem ducem belli futurum vides : quem expectari imperatorem in caſtra hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem conjurationis, evocatorem ſervo-

rum

rum, & civium perditorum, exiere patieris, ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur? nonne hunc in vincula duci, (c) non ad mortem rapi, non ſupplicio ſummo mactari imperabis?

Amplif. (a) *per Proſop.* (b) *Deſcript. ab adj.* (c) *& per Synon.*

Contr. Nimirum eò jam res perducta, ut cum tuis non in urbe poſſis ſed extra eam cum patria bellum gerere oporteat Eequid verò? Anne conſultum magis erat interficere, quam ejicere Catilinam

XXVIII. Quid (a) tandem impedit te? mosne majorum? At perſæpe etiam privati in hac rep. pernicioſos cives morte multarunt. An leges, quæ de civium R. ſupplicio rogatæ ſunt? At numquam in hac urbe ii, qui à Repub. defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam poſteritatis times? Præclaram verò populo R. refers gratiam, qui te, (b) hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam mature ad ſummum imperium per omneis honorum gradus extulit. ſi propter invidiam, aut alicujus periculi metum, ſalutem civium tuorum negligis.

Amplif. (a) *per interr. & ſubj.* (b) *nec non adj.*

Contr. Non impedit enim mos majorum, aut pertimeſcenda eſt invidia poſteritatis, quam nec Conſul tot ornatus à civitate beneficiis debet reformidare.

XXIX. Sed, ſi quis eſt invidiæ metus, num eſt vehementius (*a*) ſeveritatis, ac fortitudinis invidia, quam inertiæ, ac nequitiæ pertimeſcenda? An, cum bello (*b*) vaſtabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non exiſtimas invidiæ incendio conflagraturum? His ego ſanctiſſimis reſp. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus, pauca reſpondebo. Ego, ſi hoc optimum factu judicarem, P. C. Catilinam morte mulctari: unius uſuram horæ gladiatori iſti ad vivendum non dediſſem. Etenim, (*c*) ſi ſummi viri, & clariſſimi cives, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine non modo ſe non cantaminarunt, ſed etiam honeſtarunt: certe verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in poſteritatem redundaret. Quod ſi ea mihi maxime impenderet; tamen hoc animo ſemper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem.

Amplif. (a) *ab Oppoſ.* (b) *enum. part.* (c) *a compar.*

Contr. Non tam pertimeſcenda autem invidia virtute parta; præprimis ſi extent exempla majorum, & hoſtis Patriæ vitæ diſcrimen ſubere non dubitet.

XXX. Quamquam nonnulli ſunt in hoc ordine, (*a*) qui aut ea, quæ imminent, non videant: aut ea, quæ vident, diſſimulent: qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt, (*b*) conjurationemque naſcentem non credendo corroboraverunt, quorum auctotem

ritatem ſecuti multi, non ſolum improbi, verum etiam imperiti, ſi in hunc animadvertiſſem, crudeliter, & regie factum eſſe dicerent. Nunc intelligo, ſi iſte, quo intendit, in Manliana caſtra pervenerit, (*c*) neminem tam ſtultum fore; qui non videat conjurationem eſſe factam: neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo, hanc reip. peſtem paulìſper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe. Quod ſi (*d*) ejecerit, ſecumque ſuos eduxerit, & eodem cæteros undique collectos naufragos aggregaverit: extinguetur, atque delebitur non modo hæc tam adultera reip. peſtis, verum etiam ſtirps, ac ſemen malorum omnium.

Amplif. (a) *à cauſa* (b) *ab effectis.* (*c*) (*d*) *per Synonym.*

Contr. quam mollibus nonnullorum ſenſibus occurendum, quorum ſuffragiis cum ſpes Catilinæ aleretur, ipſeque redderetur audacior, permittendum fuit, ut ille abiret in caſtra, atque facinus quod animo conceperat, aperte proderet ſuccumberet tandem, atque omnis in ejus capite conjuratio opprimeretur.

XXXI. Etenim jamdiu, P. C. in his periculis conjurationis, inſidiiſque verſamur: ſed neſcio quo pacto omnium ſcelerum, ac veteris furoris, & audaciæ maturitas in noſtri conſulatus tempus erupit. (*a*) Quid ſi ex tanto latrocinio iſte unus tolleretur, videbimur fortaſſe ad breve quoddam tempus cura, &

metu eſſe relevati: periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitus in venis, atque inviſceribus reip. (b) ut ſæpe homines ægri morbo gravi, cum æſtu, febrique jactantur; ſi aquam gelidam biberint, primo relevari videntur: deinde multo gravius, vehementiusque afflictantur: ſi hic morbus, qui eſt in repub. relevatus iſtius pœna, vehementius, vivis reliquis ingraveſcet.

Amplif. (a) (b) *per ſimilitud.*

Contr. Quanquam verendum ſimul, ut ſi quæ, reliquiæ hujus conjurationis Romæ remanſerint, novis ſuccedentibus incrementis hoc malum ingraveſcat.

XXXII. P. C. (*a*) ſecedant improbi, ſecernant ſe à bonis, unum in locum congregentur: muro denique, id quod ſæpe jam dixi, ſecernantur à nobis: deſinant (*b*) inſidiari domi ſuæ conſuli, circumſtare tribunal prætoris urbani, obſidere cum gladiis curiam, malleolos ad incendendam urbem, faceſque comparare. Sit denique inſcriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de rep. ſentiat. Polliceor vobis hoc, P. C. (*c*) tantam in nobis COSS. fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Rom. virtutem, tantam in omnibus bonis conſenſionem, ut Catilinæ profectione omnia (*d*) patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis.

Amplif. (a) (b) *per Synonym.* (*c*) *adjuncta* (*d*) & *part. enum.*

Contr.

Contr. Abeant ergo improbi omnes, Tectis & vitæ patrum inſidiari deſinant; Bonorum autem cum maxima conſenſio ſit, patefacta brevì hæc conſpiratio extinguetur.

XXXIII. Hiſce omnibus, Catilina, cùm ſumma Reip. ſalute, & cum tua (*a*) peſte, ac pernicie, cumque eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere, parricidioque junxerunt, proficiſcere ad impium bellum, ac nefarium. Tum tu, (*b*) Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auſpiciis à Romulo es conſtitutus: quem Statorem hujus urbis, atque imperii vere nominamus. Hunc, & hujus ſocios (*c*) à tuis aris, ceterisque templis, à tectis urbis, ac mænibus, à vita fortunisque civium omnium arcebis: & omneis (*d*) inimicos bonorum, hoſteis patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe, ac nefaria ſocietate conjunctôs, æternis ſuppliciis vivos, mortuosque mactabis.

Amplif. (a) *per Synonym.* (b) *Deſcript.* (c) *enum. part.* (d) *& vicisſim Deſcr.*

Contr. Ita vero Catilina cum ſociis ejecto, Juppiter à Romulo patronus hujus urbis conſtitutus, quævis adverſus illam improborum molimina procul arcebit, eosdemque gravi pœna mulctabit.

ORDO

ORDO PARTIUM.

DISPOSITIO ARGUMENTORUM

Atque

COMMOTIO AFFECTUUM.

EXORDIUM.

Clementiſsimus eſt conſul, quod cum

1. *hoſtem audaciſsimum* qui

[*Affect. Indign.*]

Patientia Senatus ad furorem ſuum abutitur Non movetur [*a*] præſidiis & excubiis

Civitatis [*b*] munitiſſimo Senatus habendi loco, & [*c*] autoritate Patrum

Patere licet conſilia ſua ſentiat, in publicum tamen prodit, & unumquemque deſignat ad cædem

2. *dudum mortis reum*

quam in omnes bonos machinatus eſt

exemplo Grachi & Fulvii mediocriter ſtatum

- Reip. labefactantium, quos Scipio

3 ----- Spelii item Melii novarum rerum Studioſi, quem Servilius Hala ſuſtulit

extante jam gravi Senatus decreto

4. *absque*

4. *abſque mora tollere è medio potuerit*
Sicuti Grachus, Fulvius, L. Servilius, & C. Servilius mox ſublati
5. *pœnam diſtulerit*
etſi audacia inde crevit Catilinæ & numerus conjuratorum.
differatque dum omnes in eam conſentiant.
6 Interea tamen omnes ejus conatus vigilantiſſime obſervet.

PROPOSITIO.

Et jubeat ſaltem urbe exire.

CONFIRMATIONIS
ARGUMENTUM PRIMUM

Quoniam

Patent jam conſilia Conjurationis.

nimirum

7. *Dies* quo [*a*] Manlius futurus in armis [*b*] Optimates erant trucidandi [*c*] occupandum Præneſte: quæ mala Conſul prudenter averterit.
8. *Nox* ejusque [*a*] Locus, np. ædes Leccæ [*b*] illi è Senatorum quoque ordine, qui eò convenerint [*c*] conſilia quæ ibi agitarint, de
9. incendio urbis, cæde bonorum, præcipuè
10. Ciceronis, committenda duobus equitibus; quos ipſe excluſerit. 11. *Aſ-*

11. [*Affectus gratiæ erga Conſulem.*]
12. Ut vitam Conſul per amicos defendit:
13, ita abeunte Catilina ſuis quoque conſiliis urbem ſalvam præſtabit.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Exoſus eſt Catilina apud omnes.

ob vitam ſc. actam,

14, *domi olim.* dum [*a*] cæde filii Aureliæ Oreſtillæ nuptias ſibi conciliavit , [*b*] æs grande alienum conflavit; ut fortunarum ſuarum jam impendeat ruina.

15, *in urbe nuper* [*a*] ob conjurationem in patriam & patres patriæ [*b*] & inſidias Ciceroni nuper a-
16, liiſque ſtructas [*c*] olim quoque Torquato & Cottæ,

(*Affectus Deſperationis in Catilina,*)

Non eſt quod Catilinam in urbe diutius retineat, quia

17. (1) Omnium bonorum odio ita flagrat , ut vix quiſquam tale in ſe odium ferre poſſit
18, (*a*) ſervorum (*b*) civium (*c*) parentum.
19. Ipſe hoc expertus Catilina, qui nec à Lepido, nec Cicerone , nec Metello nuper re-
20 ceptus, ad Marcellum abiit , dignumque ſe cuſtodia duxit.
21. (2) Senatus quoque poſtulatione illius rejecta tacitè eum condemnavit; indignè quoque

latu-

laturus, ſi innocentem Conſul urbe ejicere tentaſſet.

22. (3) Ordinis equeſtris,aliorumq; civium manus & tela vix Conſul à Catilinà prohibere, poteſt.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Exeunte urbe Catilina, graviſſima Ciceronem urgebit invidia:

quam tamen Conſul ſalva ſolum patria ſuſcipere in ſe non defugit:
23

Sicut ipſe Catilina nec legibus, nec pudore, nec metu movetur.

Catilinam verò cum gaudio caſtra Manlina excipient.

24. Armati enim præmiſſi ad forum Aurelium advenientem illum præſtolantur,

Præmiſſa quoque aquila ſignum Rom. Imperii, quod avidè expetit.

(*affectus Gaudii in Catilina.*)

25. Huc dudum rapuit eum ſua cupiditas.

26. Erunt ibi commilitones ejus & conjurati reliqui.

27. Ad hujus vitæ ſtudium meditata hactenus patientia & labor ejus.

CONFUTATIO.

28. *Non adeo Conſulem reformidare debuiſſe* invidiam, quo minus more Majorum hoſtem patriæ interficeret. 29. *Reſp.*

29. *Reſp.* 1. Neque pertimeſcit ille invidiam, quam virtute partem gloriæ potius ſibi loco ducit.
2. Sed quoniam mollioribus ſuffragiis non nulli conjurationem indubium vocantes crudelem Conſulem dicturi fuiſſent; conſultum duxit ille, ut abitu Catilinæ in caſtra Manlii aperte Conjuratio erumperet, & Latitantes quoque adhuc in urbe, manifeſtè comprehenderentur

CONCLUSIO.

conſtat *Apoſtrophe* ad

Romanos, quibus Conſul officia ſua pollicetur
Catilinam quem jubet urbe excedere
Jovem Statorem, cui committit tutelam Patriæ & vindictam in hoſtes.

ARTICULUS II.

exhibens

CATILINARIAM SECUNDAM.

Textum illius B. L. è lib. 1. hujus Opuſculi repetet paginis ſc. ſingulis capitibus indicatis.

pag. 41. Num. 1. *Tandem aliquando - in apertum latrocinium conjecimus.*

Ampl.

Ampl. (*a*) per Epitheta. *Furentem audacia* &c. (*b*) Synonyma: *vel ejecimus* &c. item: *Abiit &c.* (*c*) per enum. part. *Non jam inter latera* &c.

Contr. Exceſſit jam è mænibus noſtris peſtis patriæ; nihil porrò à Catilina nobis periculi. Jam ubi ex occultis ille inſidiis in apertum campum conjectus eſt, tutius cum illo & juſtum bellum geremus.

pag. ead Num. 2. *Quod vero non - - foras projecerit*

Amplif. (*a*) à cauſa. *Quod vero* &c. (*b*) per æthopæiam: *jacet ille nunc* &c.

Contr. Dolet fruſtratum ſe ſpe ſua & nefarios conatus effectu caruiſſe, eoque infeſtos ad urbem retorquet oculos.

pag. 42. Num. 3. *At ſi quis eſt talis* &c. *ſuſtuliſſem.*

Amplif. (*a*) per occup. *At ſi quis eſt*, &c. (*b*) *& ſubject. Non eſt iſta mea culpa* &c. (*c*) *per enum. partium: Sed quam multos.*

Contr. Si quis dicat, interficiendum potius, fuiſſe Catilinam; Huic reſpondeo: Temporum culpa id non potuiſſe fieri; quod multi adhuc conjurationem eſſe factam dubitarent; Neque etiam ſublato illo omne à civitate periculum depulſum fuiſſet.

pag. ead. Num. 4. *Sed cum viderem -- vos videtis*

Ampl. (*a*) ab enum. part. *Tongillum mihi eduxit* &c. (*b*) ab adj. *reliquit quos viros* &c.

Contr. Plurimos enim adhuc ſibi faventes & ſocios habet, quos non omnes ſecum eduxiſſe doleo. Neque enim ære plerique alieno gravati & leves

 ſunt

ſunt ſicuti Tongillus, Publicius, atque Munatius, ſed valentes quoque adhuc plurimos, & nobiles.

pag. 43. Num. 5. *Itaque ego illum exercitum - - neque tamen permoventur.*

Ampl. (*a*) per enum. part. *exercitum quem habet ex Gallicanis legionibus* &c. (*b*) per adjuncta: *collectum ex ſenibus deſperatis* &c. (*c*) viciſſim: *Hos quos video volitare in foro* &c.

Contr. Quamobrem exercitu ejus quem extra urbem collegit, non admodum commoveor: ſed qui in urbe potentia & dignitate plurimum valent ſocii ejus, hi potiſſimum ſunt metuendi, quod ſcire me intelligunt quid cogitent, neque tamen permoventur.

Num. 6.

pag. ead. fin. *Video cui Apulia - - ad veſperam conſequentur.*

Ampl. (*a*) per enum. part. *cui Apulia ſit attributa* &c, (*b*) à compar. Major. *Catilina ipſe* pertimuit (*c*) à diſſimil. *Quod expectavi* &c. (*d*) per Synonym. *exeant proficiſcantur* &c.

Contr. Aſtcum omnia quoque horum conſilia mihi perſpecta ſint: Cum Catilina hac re commotus profugerit neque lenitati porro locus ſit, ſed ſeveritatem res ipſa flagitet; moneo adhuc illos ut abeant, eundemque fugientem inſequi ſtudeant.

pag. 44. Num. 7. *O fortunatam rempubl. - - quod nefarium ſtuprum non per illum e*

Ampl.

Ampl. [*a*] per enum. part. *Quis tota Italia veneficus* &c. [*b*] & viciſſim: *Quæ cædes* &c.

Contr. Vix improbus quiſquam in civitate, quin Catilinæ ſocius. Vix ullum perpetratum facinus niſi ab hac ſocietate.

pag. 45. Num. 8. *Jam verò quæ tanta* -- ad hoc incredibile ſceleris fœdus adſciverit.

Ampl. [*a*] Iterum per enum. part. *qui alios ipſe amabat* &c. [*b*] & denuo: *Nunc verò quam ſubito* &c.

Contr. Nulla juventutis illecebra, qua illa non plurimos ad ſe pellexerit: Nemo neque in urbe neque in Italia gravatus ære alieno, quem non ad hujus ſceleris fædus adſciverit.

pag. ead. Num. IX. *Atque ut ejus diverſa ſtudia* -- *audaciaque conſumerentur.*

Ampl. [*a*] per enum part. *Nemo eſt in ludo* &c [*b*] ab adjunct. Atque idem tamen &c.

Contr. Audaciſſimus leviſſimus quisque Catilinæ ſodalis; ipſeque in quovis ſcelere exercitatiſſimus licet, quod ſimul tamen omnem militiæ laborem perferre poſſet, fortiſſimus habetur.

pag. ead. circa fin. Num. X. *Hunc verò ſi ſui* -- *atque urbis incendia.*

Ampl. [*a*] *ab adjunct. Non jam ſunt mediocris* &c. [*b*] ab oppoſ. *inertes homines Viris inſidiari* &c. [*c*] per Ethopejan. accubantes in conviviis &c.

Contr. Hunc ſi comites ejus omnes ſecuti fuerint, O nos Felices! Leviſſimi enim ſunt, audaciſſimi, cupidiſſimo, quos bonis, fortibus temperantibus inſidiari minimè ferendum. Dd 2 pag.

pag 46. Num. XI *quibus ego confido -- ea quæ merentur expectent.*

Ampl. (*a*) per Synonym. *improbitati, nequitiæ* &c. (*b*) à cauſa: *omnia ſunt externa* &c. (*c*) viciſſim per Synon. *intus inſidiæ ſunt* &c (*d*) per oppoſ. *quæ ſanari poterunt* &c.

Contr. Sed impendere jam iis pænas dudum debitas confido; eosque ſi meus conſulatus ſuſtulerit, in multa ſecula Reſpublica noſtra propagari poterit; nullus enim externus jam hoſtis eſt, quem timeamus; omnia terra marique virtute Pompei ſunt pacata: tantum inteſtino bello conflictamur; cui me ducem profiteor, vel quieſcant ergo improbi, aut abeant, aut quæ merentur expectent.

pag. 47. Num. XII. *Ad etiam ſunt --- nudam atque inanem reliquerunt.*

Ampl. (*a*) per occup. *ſunt Quirites qui dicant* &c. (*b*) ab adj. *Homo videlicet timidus* &c (*c*) ab effect. ſ. conſeq. *Quieſcum Senator appellavit.* &c.

Contr. Sunt quoque qui dicant, in exilium à me ejectum eſſe Catilinam; Audaciſſimus np. homo vocem Conſulis ferre non potuit atque mox paruit? At verò cum in Senatum veniret, unusquisque illum ut perditiſſimum hoſtem aſpexit, nemo eum ſalutavit, omnes ab illo abierunt.

pag. ead fin. Num. XIII. *Hic ego vehemens - - ſcirem eſſe præmiſſam.*

Ampl. (*a*) ab adj. antec. *Cum homo ille audaciſſimus* &c. (*b*) ab enum. part. *Cum arma, cum ſecures* &c.

Contr.

Contr. Cum de Conjuratione ex ipſo quærerem, quæ jam habebam cognita, non auſus eſt reſpondere ſuaſi itaque, ut ad eos qui illum avide expectarent, quam primum abiret.

pag. 48. Num. XIV. *In exilium ejiciebam -- exiſtimare velint.*

Ampl. (*a*) per enum part *ſi Luc. Catilina* &c. (*b*) ab oppoſ. *non ille ſpoliatus armis* &c. (*c*) viciſſim: *Et erunt qui illum* &c.

Contr. Neque vero in exilium ille, ſed ad bellum abiit. Miſera verò Conſulis conditio, cujus curas & labores improbi peſſimè interpretentur.

pag. 49. Num. XV. *Eſt mihi tanti -- quid dicerent.*

Ampl. (*a*) per fig. conceſſ. *Dicatur ſane* &c. (*b*) oppoſ. *Multò magis illud timeo* &c. (*c*) à compar. minor. *Sed cum ſint homines* &c.

Contr. Sed non detrectabo hanc invidiam malorum, dummodò patriam eximere his periculis liceat. Equidem nolim invidiæ meæ levandæ cauſa Catilina ut bellum moveat: certe verò commovebit; & timendum fortaſſe, multo magis, ne invidioſum mihi ſit, apud alios, quod eum non dudum ejecerim; quod ſi verò hi ejectum eum querentur, quid de ſublato prorſus dicturi illi fuiſſent.

pag. ead. Num. XVI. *Quanquam iſti --- quam queramur.*

Ampl. (*a*) per fig. Correct. *Non tam hoc querentur* &c. (*b*) ab Oppoſ. *Ille autem* &c. viciſſim: *Nunc verè* &c.

Contr. Cæterum illi ipſi Catilinam ad Manlium in caſtra, quam ad Maſſilienſes in exilium abiiſſe malunt: ipſe quoque Catilina in latrocinio illo mori, quam in exilio vivere præoptat; nobis autem cum præſtaret in exilium abiiſſe.

pag. ead. fin. Num. XVII. *Sed cur tamdiu - - - ſi poteram afferam.*

Amplif. (*a*) per fig. correct. *cur tamdiu* &c. (*b*) ab adj. *de his qui diſſimulant* &c. (c) ab Oppoſ. *non tam ulciſci* &c.

Contr. Non verò eſt quod de his plura. Iſtis ſolum metum adimam oſtendendo equibus generibus hominum Manliana caſtra conflata ſint; hisque ſi potero improbitatem animi, ne una pereant.

pag. 50. Num. XVIII. *Primum eſt eorum - - - quam arma laturi.*

Amplif. [*a*] per deſcr. ab adj. *qui in magno ære alieno* &c. [*b*] enum. part. *tu agris* , *tu ædificiis* &c. [*c*] occup. *Quid ergo in vaſtatione* [*d*] & ſubj. *Quodſi maturius* &c.

Contr. Primum genus eſt eorum, qui magno inære alieno , majores tamen poſſeſſiones habent. Cur verò dubitant illi poſſeſſionum quicquam amittere pluſque acquirere fidei, præſertim cum alia ratione ſalvi eſſe nequeant, & cum uſuris certare cogantur. Sed non valde timendi ſunt illi, quoniam contra rempublicam vota magis facturi, quam arma laturi videntur.

pag. 51. Num. XIX. *Alterum genus eſt - - concedi ſit neceſſe,* *Ampl.*

Amplif. (*a*) per deſcr. ab adj. *qui quanquam* &c. (*b*) enum. part. *primum omnium me ipſum* &c. (c) epitheta *Deos denique immortales* &c. (d) & oppoſ. *Quod ſi jam ſint id* &c.

Contr. Alterum genus eſt eorum, qui turbatis rebus omnibus potentiam & dignitatem ſperant. Vigilant vero omnes boni & auxilium de cælo expectant: republica autem everſa qui ab illa honores poſſunt expectari cum opus ejus gladiatorum futuræ ſint.

pag. ead. fin. Num. XX. *Tertium genus eſt --- paſſura eſſe videantur.*

Ampl. (a) per deſcr. ab adj. *genus eſt ætate jam confectum* &c. (&) et enum. part. *Hi dum ædificant* &c.

Contr. Tertium genus eſt reliquiarum Syllæ, qui bello quæſita per luxuriam perdiderunt, & viciſſim ſpe prædæ alliciuntur; Sed adeo illorum temporum memoriam cives deteſtantur, ut pecudes quoque in eadem minime videantur conceſſuræ.

pag. 52. Num. XXI. *Quartum genus eſt -- arbitrentur.*

Ampl. (*a*) per epith. *Genus ſane varium* &c. (*b*) & enum. part. *qui partim inertia* &c.

Contr. Quartum genus è plurimis eſt miſtum qui ad incitas redacti, non tam milites acres quam inſidiatores lenti futuri ſunt. Cur vero illi quando ſtare non poſſunt, aliorum ſimul ruinam quærunt, ex qua ſuum certe caſum non eſt quod leviorem fore ſperent, mortem vero turpiſſimam procul dubio ſubituri,

pag. 53. Num. XXII. *Quintum genus eſt - - cænis expromitur.*

Amplif. (*a*) deſcr. per enum. part. & conſeqq. *genus eſt parricidarum* &c. (*b*) & deſcr. ab adj. & per Ethop. *Poſtremum autem genus* &c.

Contr. Quartum genus è familia Catilinæ ſed qua libenter caremus, quod carcer capere eam non poſſit, Ultimum fex hominum, in conviviis heroes in acie nulli.

pag. ead. Num. XXIII. *in his gregibus omnes - - ſaltare didicerunt.*

Amplif. (*a*) per enum. part. *omnes aleatores* &c. (*b*) per fig. interrog. *quid ſibi iſti miſeri volunt:*

Contr. Seminarium ſc. Catilinarium veneris uſibus dicatum; quo verò pacto qui illud frequentant labores militiæ; atque frigus in hyeme perferent?

pag. 54. Num. XXIV. *Obellum magnopere - - debeo conferre.*

Amplif. per Oppoſ. *Inſtruite nunc Quirites* &c.

Contr. Nihil poterit Catilina adv. noſtros Conſules, grex illius contra florem Italiæ, nec inopia illius cum copia noſtra certare.

pag. ead. Num. XXV. *Sed ſi omiſſis - - tanta vitia ſuperari.*

Amplif. (*a*) per fig. Præterit. & enum. part. *Omiſſis his rebus* &c. Opp. *ex hac parte pudor pugnat* &c.

Contr. Nihil ſcelus ejus adverſus juſtam Romanorum cauſam, nihil tot vitia contra virtutes valebunt; cœlo præſertim favente.

pag.

pag. 55. Num. XXVI. *Quæ cum ita ſint - - quem vocari videtis.*

Ampl. per enum. part. *Coloni omnes* &c.

Contr. Vos modo Quirites cuſtodite tecta veſtra: urbi à me jam proſpectum. Coloni pariter ſuos fines defendent: Gladiatores in poteſtate veſtra continebuntur. Q. Metellus à me præmiſſus aut opprimet hominem, aut conatus ejus prohibebit.

pag. 56. Num. XXVII. *Nunc illos qui in urbe - - majores noſtri eſſe voluerunt.*

Amplif. (a) per deſcr. *illos qui in urbe remanſerunt* &c. (b) à cauſa *non poſſum oblivisci* &c: (c) per enum. part. &c. *Qui in urbe ſe commoverit* &c. Rurſus: *ſentiet in hac urbe eſſe conſules* &c.

Contr. Reliquos adhuc in urbe Catilinæ ſocios moneo, ne cum quod expectavi, jam eruperit, me porro ita lenem exiſtiment futurum, ut cuiquam liberam abeundi; poteſtatem faciam: ſi quis verò in urbe ſe commoverit, vigilem & vindicem Magiſtratum ſentiet.

pag. ead. Num. XXVIII. *Atque hæc omnia - - ſalvi eſſe poſſitis.*

Amplif. ab Oppoſ. *ut res maximæ minimo motu* &c.

Contr. Hæc verò ea ratione adminiſtrabuntur ut maximi motus nullo tumultu opprimantur & paucorum pœna, omnes boni ſalvi eſſe queant.

pag. 57. Num. XXIX. *Quæ quidem ego - - ſcelere ne furia defendant.*

Amplif. (*a*) à cauſà : *neque mea prudentia* &c. (*b*) per epitheta, *ut quam urbem* &c.

Contr. E, ſingularibus enim Deorum ſignificationibus hanc ſpem concipio futurum ut ipſi quoque auxilio ſuo hanc urbem defendant.

ORDO PARTIUM.

DISPOSITIO ARGUMENTORUM

ET

COMMOTIO AFFECTUUM.

EXORDIUM.

Eſt quod maximè lætemur abiiſſe Catilinam (*Affect. Gaudii in Romanis.*) Nam

1 [1] *ab effect.* multas nobis inſidias ſtruxit

[2] *Conſeq.* quas jam non eſt quod timeamus; ſiquidem aperte jam victus eſt.

2 [3] *ab Oppoſ.* & magno mærore afficitur, quod omnes conatus fruſtra fuerint.

CONFUTATIO.

PRIMÆ SENTENTIÆ.

Non emittendum ſed interficiendum fuiſſe Catilinam.

3 *Non tam id factum Ciceronis culpa; quam temporum.*

rum. Fuerunt enim qui relata de eo non crederent: Imo qui eum defenderent; itaque vitæ
4 meæ periculo eum ſuſtuliſſem : neque hæc ita potuiſſem perſequi.

2.

Foris autem hoſtis non adeo timendus eſt. Potius dolendum, quod Catilina parum comitatus urbe exierit; minus ſaltem metuendos ſecum abduxerit: valentiſſimos reliquerit,

5 Collegit quidem exercitum, ſed perquam infirmum; noſter autem multò fortior.

3.

Socii tantum ejus in urbe præcipuè timendi ſunt. Quia nobilitate & dignitate maximè ſunt conſpicui Audaciſſimi quoque; intelligunt enim me ſcire, quid cogitent; neque tamen commoventur.

(*Affectus Metus in reliqq. Catilinæ ſociis*)

Nam

6 (1) Sicut Catilina, ita quoque illorum Conſilia nobis explorata ſunt

(2) ipſe Catilina in aprico poſitis conſiliis ſuis fuga ſibi conſuluit

(3) fruſtra verò ſocii ejus priſtinæ meæ lenitati con-
7 fidunt; *etenim* (a) quod expectavi, jam ſum conſecutus; atque (b) res nunc ipſa ſeveritatem poſtulat.

(*Affectus quoque Odii* [A] *in Catilinam;*) qui

(4) omnis generis ſceleribus vitam ſuam inquinavit.

8 (*b*)

8 (*b*) ad eandem nequitiam Romanam juventutem pellexit.

(*c*) ipſe viciſſim flagitioſiſſimis quibusque adhæſit.

9 (*d*) diverſis plurimorum ſtudiis diverſiſſimè ſe applicuit.

10 (*e*) Omnis generis ſceleribus patrandis nullo labori pepercit.

(*B*) *in Conjuratos* reliquos quoniam

(*a*) Peſſima quæque adverſus Remp. moliuntur.

(*b*) Bona quæque ſua leviſſime profuderunt.

(*c*) neque tamen , ſumtus licet deficiant in ſcelere ſegniores facti.

(*d*) peſſimi optimis inſidiantur.

11 (*e*) Si his & hoc tempore civitas non liberetur, malum hoc in multa ſecula & maximo cum detrimento propagabitur.

(*f*) Suaviſſima quiete frueretur , nec ulli hoſtes forent pertimeſcendi , ſi cum his intra muros non eſſet pugnandum.

SECUNDÆ SENTENTIÆ.

Non ejiciendum à conſule in exilium fuiſſe Catilinam.

Sed

12 (1) Non adeo timidus ille qui ſola voce Conſulis in exilium ejici potuiſſet.

(2) Neque tantum Cicero ſed quoque Senatus eum non obſcure hoſtem judicavit

13 (3)

13(3) ſed ſcelus ſuum & conſcientia , cum omnia proferri in apricum cerneret , eum ejecerunt.

14(4) Neque etiam in exilium, ſed ad bellum contra remp. ſuſcipiendum profectus eſt.

15 (5) Utinam verò in exilium abiiſſet facilè illius invidiæ tempeſtatem ſubirem; modò ut cives ſalvi eſſe queant.

(6) Sed triduo Caſtra Manlii eum petiſſe, audietis.

16 (7) Ecquid ergo hi dicturi , ſi interfectus fuiſſet
Catilina qui tamen latronem ſe , quam exu-
17 lem perire mavult.

CONFIRMATIO.

Non timendus extra urbem Catilina.

Nam

Copiæ ejus ex hominibus leviſſimis conflatæ

Ex iis ſiquidem

[1] *divites* adhuc, ſed qui plurimum ſimul æris alie-
18 ni habent, vaniſſimi ſunt; quoniam

[a] utile honeſto, opes ſc. ſuas fidei recuperandæ præponunt,

[b] bello hoc eorum opes non ſanctæ futuræ

[c] Neutiquam tabulæ novæ , ſed auctionariæ potius ſcribendæ

[d] cum uſuris certare malunt, quam fidem liberare

19 [2] *Ambitioſi*, qui perturbata republ. honores ſpe-

rant

rant, quos ſalva illa conſequi non poterunt. Sed hi quoque vaniſſimi; cum

[a] Conſul vigilet & omnibus rebus adſit

[b] Reſpublica adv. eorum inſidias ſatis ſit firma

[c] In cineribus urbis magni honores fruſtra ſperantur

[d] quin eos honores milites & ſervi ad ſe rapturi ſint.

20[3] *Veterani milites*, in agris viventes, qui luxuria bona ſua perdiderunt, aliorumque inhiant; Iſti verò non minus vani; quia

[a] Ne quidem ab inferis excitandus Sylla, tantum iis impertire poſſet.

[b] Civitas eorum adhuc temporum dolorem ita graviter fert, ut has illis rapinas nunquam conceſſura ſit.

21[4] *Miſti ex variis & turbulenti* qui multis modis facultates ſuas amiſerunt, & ære nunc alieno gravantur; fruſtra verò

aliorum ruina ſe interitum ſuum ſolari poſſe exiſtimant.

22[5] *Sicarii & parricidæ*; quos perire cum Catilina nihil attinet; ſiquidem tantus horum numerus, ut carcer eos capere non poſſit.

23[6] *Delicati & libidinoſi*, qui nec labores militiæ nec in hyeme frigus ferre poſſunt.

24 *Romanorum* verò (a) *milites fortisſimi*

(b) *& opes maximæ*

25 (c) *cauſa juſtisſima* (d) *quam & Dii juvabunt.* CON-

CONCLUSIO.

26 (*Affectum Fiduciæ in Romanis movet*)

quoniam

[1] a Conſule urbi jam proſpectum, modò cives domi vigilent.

27 [2] Lenitas & ſeveritas Conjuratis ita proponitur ut vel mox iis abeundum, vel pœna expectanda ſit.

28 [3] Interea verò Conſul ſopiendo brevi civili bello omnem operam impendet, cavebitque ne quis bonorum intereat; etſi gravius quid tentandum, paucorum tamen pœna reliqui omnes ſalvi eſſe queant.

29 [24] Dii quoque præſto ſe populo Rom. futuros ſignificarunt, &c.

ARTICULUS III.

exhibens

CATILINARIAM TERTIAM.

I. Rempublicam, (*a*) Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperii fortunatiſſimam, pulcherrimamque urbem, (*b*) hodierno die, deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis, ex flamma, atque ferro, ac pene ex faucibus facti ereptam

reptam, & vobis conſervatam, atque reſtitutam videtis.

Amplif. (a) *ab enum. part.* (b) *ab adj.*

Contr. Reſtitutam videtis Rempublicam Quirites, & vosmet ipſos vobis.

II. Et, (*a*) ſi non minus nobis jucundi, atque illuſtres ſunt ii dies, quibus conſervamur, quam illi, quibus naſcimur, (quod (*b*) ſalutis certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio: & quod ſine ſenſu naſcimur, cum voluptate conſervamur) profectò ((*c*)quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum, ad deos immortaleis benevolentia, famaque ſuſtulimus) eſſe apud vos, poſterosque veſtros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam, amplificatamque ſervavit; (*d*) Nam totius urbis (*e*) templis, delubris, tectis omnibus ſubjectos prope jam igneis, circumdatosque reſtrinximus: (*f*) iidemque gladios in rempublicam diſtrictos retudimus, mucronesque eorum à jugulis veſtris rejecimus.

Ampl. (a) *à compar,* (b) *à cauſa* (c) *rurſus* (d) *iterum* (e) *per enum. part,* (f) *Alleg.*

Contr. Quare ut non minus diei, qua in periculis ſervati, quam qua nati grata nobis ſolet eſſe memoria: ita uti Romuli conditoris, ſic quoque conſervatoris hujus urbis eadem perpetua ap. vos poſterosque veſtros eſſe debet, qui à vobis mortem, ab urbe interitum prohibuit.

III.

III. Quæ quoniam in ſenatu (*a*) illuſtrata, pateſacta, compertaque ſunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites: ut & quanta, & quam manifeſta, & qua ratione inveſtigata, & comprehenſa ſint vos, qui ignoratis, exactis ſcire poſſitis. Principio, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, cum ſceleris ſui ſocios, & hujuſce nefarii belli acerrimos duces Romæ reliquiſſet: ſemper vigilavi, & providi, Quirites, quemadmodum in tantis & tam obſconditis inſidiis ſalvi eſſe poſſemus. Nam tum, cum ex urbe Catilinam (*b*) ejiciebam (non enim jam vereor hujus verbi invidiam, cum illa magis ſit timenda, quod vivus egreſſus eſt) ſed tum, cum illum exterminari volebam; aut reliquam conjuratorum manum ſimul exituram, aut eos qui remanſiſſent, infirmos ſine illo, ac debileis fore putabam.

Amplif. (a) *per Synonym.* (b) *rurſus*

Contr. Eam ob rem enarrabo vobis qua ratione hæc conjuratio pateſacta fuerit, quoque ea ſpectarit. Catilina ergo urbe excedente ſedulo providi ne relicta ejus cohors cuiquam nocere poſſet.

IV. Atque ego, ut vidi, quos maximo furore, & ſcelere eſſe inflammatos ſciebam, eos eſſe nobiſcum, & Romæ remanſiſſe: in eo omneis dies, nocteisque conſumpſi, ut, (*a*) quid agerent quid molirentur, ſentirem, ac viderem; ut (*b*) quoniam auribus veſtris, propter incredibilem magnitudinem ſceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis, ſalutique veſtræ pro-

Ee vide-

videretis; cum oculis maleficium ipſum videretis. Itaque ut comperi, (*c*) legatos Allobrogum, belli Tranſalpini, & tumultus Gallici excitandi cauſa, â P. Lentulo eſſe ſollicitatos; eosque in Galliam ad ſuos civeis, eodem itinere, cum literis, mandatisque, ad Catilinam eſſe miſſos, comitemque iis adjunctum Vulturcium, atque huic datas eſſe ad Catilinam literas; facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego ſemper optabam â diis immortalibus, tota res non ſolum â me, ſed etiam â ſenatu, & â vobis manifeſte deprehenderetur.

Amplif. (a) *per Synon,* (b) *à cauſa* (c) *adj.*

Contr. Exploravi ergo quid molirentur, & quoniam quo gravius iſtud ſcelus, hoc minus credebatur, id principio ſpectavi; quo manifeſte deprehenderem. Quamobrem ut comperi, Allobrogum legatis datas à nonnullis ad Catilinam literas, comitemque iis additum Vulturcium, commodiſſimam ad prodendum ſcelus occaſionem mihi datam exiſtimavi.

V. Itaque heſterno die L. Flaccum, & C. Pontinum, prætores (*a*) fortiſſimos, atque amantiſſimos reip. viros, (*b*) ad me vocavi: rem omnem expoſui: quod fieri placeret, oſtendi. Illi autem, qui omnia de repub. præclara, atque egregia ſentirent, (*c*) ſine recuſatione, uc ſine ulla mora negotium ſuſceperunt, &, cum adveſperaſceret, (*d*) occulte ad pontem Milvium pervenerunt; atque ibi in proximis villis ita bipar-

bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos, & pons intereſſet. Eodem autem & ipſi ſine cujusquam ſuſpicione (e) multos forteis viros eduxerunt; & ego de præfectura Reatina complureis delectos adoleſcenteis, quorum opera utor aſſidue in reip. præſidio, cum gladiis miſeram.

Amplif. (a) *per epith.* (b) *ab adj, antec.* (c) *conſeqq.* (d) *loci* (e) *auxil.*

Contr. Miſi itaque ad pontem Milvium, qua tranſeundum illis erat Flaccum & Pontinium prætores cum expedita manu virorum fortium.

VI. Interim tertia fere vigilia exacta, cum jam pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaq; Vulturcius: fit in eos impetus; educuntur & ab illis gladii, & à noſtris. Res erat prætoribus, nota ſolis, ignorabatur à cæteris. Tum [*a*] interventu Pontini, atque Flacci, pugna, quæ erat commiſſa, ſedatur. Literæ, quæcumque erant in eo comitatu, integris ſignis, prætoribus traduntur: ipſi comprehenſi, ad me, cum jam diluceſceret, deducuntur. Atque horum omnium [*b*] ſcelerum improbiſſimum machinatorem Cimbrum (*c*) Gabinum, ſtatim ad me, nihil dum ſuſpicantem, vocavi. Deinde item arceſſitur P. Statilius, & poſt eum C. Cethegus. tardiſſime autem Lentulus venit, credo quod literis dandis, præter conſuetudinem, proxima nocte vigilarat.

Amplif. (a) *à conſeqq.* (b) *epith.* (c) *enum. part.*

Contr. qui tertia vigilia in eos advenientes impe-

tum fecerunt, literasque illis traditas integris ſignis ad me pertulerunt; mox ergo prima luce duci ad me juſſi Gabinium, Statilium, Cethegum, Lentulum.

VII. Cum vero ſummis ac clariſſimis hujus civitatis viris, qui, audita re, frequentes ad me manè convenerant, literas à me prius aperiri, quam ad ſenatum referri, placeret: ne, ſi nihil eſſet inventum, temerè à me tantus tumultus injectus civitati videretur: negavi me eſſe facturum (*a*), ut de periculo publico, non ad conſilium publicum rem integram deferrem, (*b*) Etenim, Quirites, ſi ea, quæ erant ad me delata, reperta non eſſent: tamen ego non arbitrabar in tantis reip. periculis eſſe mihi nimiam diligentiam pertimeſcendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidiſtis, coegi.

Amplif. (a)(b) *à cauſa.*

Contr. Aperiri quidem literas ante nonnulli ſuadebant quam de his ad Senatum referri; Sed integra res de periculo publico ad Conſilium publicum perferenda mihi videbatur; neque nimiam in hac re diligentiam mihi eſſe pertimeſcendam exiſtimabam.

VIII. Atque interea ſtatim admonitu Allobrogum, C. Sulpitium, prætorem, fortem virum, miſi, qui ex ædibus Cethegi, ſi quid telorum eſſet, efferret: ex quibus ille maximum ſicarum numerum, & gladiorum extulit. Introduxi Vulturcium ſine Gallis: fidem ei publicam, juſſu ſenatus, dedi: hortatus ſum,

ſum, ut ea, quæ ſciret, ſine timore indicaret. Tum ille dixit, cum vix ſe ex magno timore recreaſſet, à P. Lentulo ſe habere ad Catilinam mandata, & literas (*a*) ut ſervorum præſidio uteretur, & ad urbem quam primum cum exercitu accederet: id autem eo conſilio, ut, cum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum deſcriptum, diſtributumq; erat, incendiſſent, cædemque infinitam civium feciſſent: præſto eſſet ille, qui & fugientes exciperet, & ſe cum his urbanis ducibus conjungeret.

Amplif. (a) *ab enum. part.*

Contr. Porro monitu Allobrogum Sulpitium prætorem ex ædibus Cethegi miſi ut telorum ſicarum gladiorum magnam copiam inde efferret. Vulturcio quoque fidem publicam dedi, ſi rem omnem indicaret, qui pariter mandata cuncta Lentuli ad Catilinam enunciavit, literasque ſimul ejus ad eundem mihi tradidit.

IX. Introducti autem Galli, jusjurandum ſibi, & literas à P. Lentulo, Cethego, Statilio ad ſuam gentem datas eſſe dixerunt: atque ita ſibi ab his, & à L. Caſſio, eſſe præſcriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent: pedeſtreis ſibi copias non defuturas: Lentulum autem ſibi confirmaſſe ex fatis Sybillinis haruſpicum reſponſis ſe eſſe tertium illum Cornelium, ad quem regnum hujus urbis, atque imperium pervenire eſſet neceſſe: Cinnam ante ſe, & Syllam fuiſſe: eundemque dixiſſe, fatalem hunc eſſe annum ad interitum hujus urbis, atque imperii,

qui eſſet decimus annus poſt virginum abſolutionem, poſt Capitolii autem incenſionem vicesimus.

In hoc capite cum Orator ſine Amplificatione & ſuccinde admodum narrationem perſequatur; contractione ejusdem opus eſſe non duximus.

X. Hanc autem Cethego cum ceteris controverſiam fuiſſe dixerunt, quod, cum Lentulo, & ceteris, Saturnalibus cædem fieri, atq; urbem incendi placeret, Cethegonimium id longum videretur. Ac, ne longum ſit, Quirites, tabellas proferri juſſimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primum oſtendimus Cethego. Signum cognovit. Nos linum incidimus: legimus: erat ſcriptum ipſius manu, & Allobrogum ſenatui, & populo, ſeſe, quæ eorum legatis confirmaſſet, eſſe facturum: orare, ut item facerent, quæ ſibi legati eorum præcepiſſent. Tum Cethegus, qui paullo ante aliquid de gladiis, ac ſicis, quæ apud illum itidem erant deprehenſæ, reſpondiſſet, dixiſſetque, ſe ſemper bonorum ferramentorum ſtudioſum fuiſſe: recitatis literis (a) debilitatus, atque abjectus, conſcientia convictus, repente conticuit. Introductus Statilius, cognovit manum, & ſignum ſuum. Recitatæ ſunt tabellæ in eandem fere ſententiam: confeſſus eſt. Tum oſtendi tabellas Lentulo: & quæſivi, cognoſceretne ſignum. Annuit. Eſt verò, inquam, ſignum quidem notum, imago avi tui, clariſſimi Viri, qui amavit unice patriam, & civeis ſuos. Quæ quidem te à tanto ſcelere etiam muta revocare debuit.

Ampl. (a) *per Ephop.* **Contr.**

Contr. Prodiderunt Allobroges inter Lentulum & Cethegum de tempore incendendæ urbis non dum potuiſſe convenire. Interea verò allatis e Cethegi æuibus armis; ferramentorum quidem ſe dixit ſemper ſtudioſum fuiſſe; Ad recognoſcendum autem ejusdem Cethegi Statilii & Lentuli productis literis, obmutuerunt ſubito.

XI. Leguntur eadem ratione ad ſenatum Allobrogum, populumque literæ. Siquid de his rebus dicere vellet, feci poteſtatem. Atque ille quidem primo negavit: poſt autem aliquanto, toto indicio expoſito, atque edito, ſurrexit (*a*) quæſivit à Gallis, quid eſſet cum iis: quamobrem domum ſuam veniſſent? itemque à Vulturcio. Qui cum illi breviter, conſtanterque reſpondiſſent, per quem ad eum, quoties veniſſent, quæſiſſentque ab eo, nihilne ſecum eſſet de fatis Sibyllinis locutus: tum ſubito ille, ſcelere demens, quanta (*b*) vis conſcientiæ eſſet, oſtendit. Nam, cum id poſſet inficiari, repente, præter opinionem omnium confeſſus eſt. (*c*) Ita eum non modo ingenium illud, & dicendi exercitatio, qua ſemper valuit, ſed etiam, propter vim ſceleris manifeſti, atque deprehenſi, impudentia, qua ſuperabat omneis, improbitasque defecit.

Ampl. (a) *per Dialog.* (b) *à cauſa* (c) *à conſeq.*

Contr. Lectis inde literis principio quidem culpam Lentulus in Allobroges atque Vulturcium transferre tentavit, ut qui easdem à ſe expetierint; Cum vero illi de fatis Sibyllinis fatuam ejus traditionem

in memoriam ipſi revocarent, ſubito eum mens voxque defecit.

XII. Vulturcius verò ſubitò proferri literas, atque aperiri juſſit, quas ſibi à Lentulo ad Catilinam datas eſſe dicebat. Atque ibi vehementiſſime perturbatus Lentulus, tamen ſignum, & manum ſuam cognovit. Erant autem ſcriptæ ſine nomine, ſed ita: *Qui ſim, ex eo, quem ad te miſi cognoſces. Cura, ut vir ſis, & cogita, quem in locum ſis progreſſus: & vide, quid jam tibi ſit neceſſe. Cura, ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum* A. Gabinius deinde introductus, cum primo impudenter reſpondere cæpiſſet, ad extremum nihil ex iis, quæ Galli inſimulabant, negavit.

Contr. Productis quoque ejusdem ad Catilinam literis ſignum pariter & manum recognovit. Gabinius dein etſi principio nonnulla impudenter, nihil tamen denique horum negare potuit.

XIII. Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certiſſima ſunt viſa argumenta, atque indicia ſceleris, (*a*) tabellæ, ſigna, manus, denique uniuscujusque confeſſio: tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. (*b*) Sic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe adſpiciebant, ut non jam ab aliis indicari, ſed ipſa à ſe viderentur. Indiciis expoſitis, atque editis, Quirites, ſenatum conſului de ſumma reip. quid fieri placeret. Dictæ ſunt à principibus (*c*) acerrimæ, ac fortiſſimæ ſententiæ, quas ſenatus ſine ulla varietate eſt conſecutus

cutus

cutus. Et quoniam nondum eſt perſcriptum S.C. ex memoria vobis, Quirites, quid ſenatus conſuerit, exponam.

Amplif. (a) *per enum. part.* (b) *Ethopœiam* (c) *&* *Epith.*

Contr. Atque hæc etſi ſatis certa ſigna: certiora tamen multo quæ in fronte cujusque legebantur animi dejecti veſtigia; Conſulta denique Senatores ad unum omnes acriter in eos ſuffragia iſta tulerunt.

XIV. Primum mihi gratiæ verbis ampliſſimis aguntur, (*a*) quod virtute, conſilio, providentia mea, reſp. periculis ſit maximis liberata: deinde L. Flaccus, & C. Pontinus, prætores, quod eorum opera forti, fidelique uſus eſſem, merito, ac jure laudantur: atque etiam viro forti, collegæ meo, C. Antonius laus impertitur, (*b*) quod eos, qui hujus conjurationis participes fuiſſent, à ſuis, & reip. conſiliis removiſſent. Atque ita cenſuerunt, ut P. (*c*) Lentulus, cum ſe prætura abdicaſſet, tum in cuſtodiam traderetur: atque idem hoc decretum eſt in L. Caſſium, qui ſibi procurationem incendendæ urbis depopoſcerat: in M. Ceparium, cui ad ſolicitandos paſtores, Apuliam eſſe attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui eſt ex his coloniis, quas Feſulas L. Sylla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio ſemper erat in hac Allobrogum ſollicitatione verſatus: In P. Umbrenum, libertinum hominem, à quo primum Gallos ad Gabinium perductos eſſe conſtabat.

Amplif. (a) *cauſa* (b) *iterum* (c) *enum. part,*

Contr. Mihi ut agerentur, gratiæ pro liberata à periculis patria: Prætores ob præſtitam mihi fidelem operam & Antonius Collega quod Conjurationis participes à ſuis conſiliis removiſſet laudarentur: Lentulus verò, Caſſius, Leparius, Furius, Manlius & Umbrenus cuſtodiis concluderentur.

XV. Atque ea lenitate ſenatus eſt uſus, Quirites, ut (a) ex tanta conjuratione, tantaque vi, ac multitudine domeſticorum hoſtium, novem hominum perditiſſimorum pæna reip. conſervata, reliquorum menteis ſanari poſſe arbitraretur. Atque etiam ſupplicatio diis immortalibus pro ſingulari eorum merito, meo nomine decreta eſt, Quirites, quod mihi primum poſt hanc urbem conditam togato contigit: & his decreta verbis eſt, (b) quod urbem incendiis, cæde civeis, Italiam bello liberaſſem. Quæ ſupplicatio ſi cum ceteris conferatur, Quirites hoc interſit, (c) quod cæteræ, bene geſta, hac una, conſervata repub. conſtituta eſt. Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum, atque transactum eſt. Nam P. Lentulus, quamquam (d) patefactus indiciis, & confeſſionibus ſuis, judicio ſenatus, non modo prætoris jus, verum etiam civis amiſerat: tamen magiſtratu ſe abdicavit: ut, (e) quæ religio C. Mario, clariſſimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, prætorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

Ampl.

Ampl. (a) *per Synon,* (b) *enum. part.* (c) *ac compar.* (d) *adj.* (e) *& viciſſim à compar.*

Contr. Atque ſic novem perditiſſimorum pæna ſenatus reliquorum mentes ſanare ſtuduit. Quin tandem ſupplicatio Diis meo nomine decreta eſt, quæ ipſa præter id, quod togato adhuc contigit nemini, hoc magis honori mihi eſt, quod armatis re ſaltem bene geſta, mihi conſervata patria obtigerit, ſimulque quod Lentulus prætura ſe ante abdicare fuerit coactus, in eo puniendo religione liberatus fuerim.

XVI. Nunc, quoniam Quirites (*a*) ſceleratiſſimi, periculoſiſſimique belli nefarios duces captos jam, & comprehenſos tenetis, exiſtimare debetis, (*b*) omnes Catilinæ copias, omneis ſpes, atque opes his depulſis urbis periculis, concidiſſe. Quem quidem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, (*c*) nec mihi eſſe P. Lentuli ſomnum. nec L. Caſſij adipem, nec C. Cethegi furioſam temeritatem pertimeſcendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus; ſed tamdiu, dum mænibus urbis continebatur. (*d*) Omnia norat, omnium aditus tenebat: appellare, tentare, ſollicitare poterat, audebat: erat ei conſilium ad facinus aptum; conſilio autem neque lingua, neque manus deerat. Jam ad cæteras res conficiendas certos homines delectos: ac deſcriptos habebat. Neque vero cum aliquid mandaverat, confectum putabat. Nihil erat, quod non ipſe obiret, occurreret; vigilaret, laboraret; frigus, ſitim, famem, ferre poterat, *Ampl.*

Amplif. (a) *per epith.* (b) *enum. part. per affirm.* (c) *per negat.* (d) *& deſcr. ab adjunct.*

Contr. His jam in urbe Conjuratorum ducibus captis omnes res ſpesque ſimul Catilinæ concidiſſe putandum eſt ; Hoc quoque urbe ejecto, qui plurimum in ea apud pleroſque poterat, minore jam de reliquis ejus ſociis cura tangebar.

XVII. Hunc ego hominem (*a*) tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in ſcelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem ; niſi ex domeſticis inſidiis in caſtrenſe latrocinium compuliſſem (dicam id, quod ſentio, Quirites) non facile hanc tantam molem mali à cervicibus veſtris depuliſſem. (*b*) Non ille vobis Saturnalia conſtituiſſet, neque tanto ante exitium, ac fati diem reip. denuntiaſſet, neque commiſiſſet (*c*), ut ſignum, ut literæ ſuæ teſtes deniq; manifeſti ſceleris deprehenderentur. Quæ nunc, illo abſente, ſi geſta ſunt, (*d*) ut nullum in privata domo furtum unquam ſit tam palam inventum, quam hæc tanta in rep. conjuratio manifeſto inventa, atque deprehenſa eſt. Quod ſi Catilina in urbe ad hanc diem remanſiſſet : quamquam, quoad fuit, omnibus ejus conſiliis occurri, atque obſtiti, tamen, ut, leviſſime dicam dimicandum nobis cum illo fuiſſet (*e*) neque nos unquam, dum ille in urbe hoſtis fuiſſet, tantis periculis rempublic. tanta pace, tanto otio, tanto ſilentio, liberaſſemus.

Ampl. (a) *per epith.* (b) *à cauſa per negat.* (c) *ab eſſect. ſ. conſeqq.* (d) *à compar.* (e) *& adj. neg.*

Contr.

Contr. Iſtum verò niſi ex urbe in campum ejeciſſem, illius freti conſilio cautius hi egiſſent neque tam facilè & manifeſto in ſcelere potuiſſent deprehendi: Ipſe quoque etſi aſſiduè conſiliis ejus obſtiteram non eo ſilentio hos metus comprimere & patriam liberare periculis potuiſſem.

XVIII. Quanquam (*a*) hæc omnia, Quirites, ita ſunt à me adminiſtrata, ut deorum immortalium nutu, atque conſilio & geſta, & proviſa eſſe videantur. Idque cum conjectura conſequi poſſumus, (*b*) quod vix videtur humani conſilii tantarum rerum gubernatio eſſe potuiſſe: (*c*) tum vero ita præſentes his temporibus opem, & auxilium nobis tulerunt, ut eos pæne oculis videre poſſemus. Nam, ut illa omittam, (*d*) viſas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cæli, fulminum jactus, ut terræ motus, cæteraque, quæ tam multa nobis conſulibus, facta ſunt, ut hæc, quæ nunc fiunt canere dii immortales viderentur. Hoc certe, Quirites, quod ſum dicturus, neque prætermittendum, neque relinquendum eſt.

Ampl. (a) *per fig. Correct.* (b) *ab adjunct.* (c) *effect.* (d) *& enum. part.*

Contr. Præcipuè verò rem tantam Deorum immortalium auxilio me geſſiſſe confido, qui plurimis ſignis ita ſe præſentes nobis oſtenderunt, ut eorum opem vel oculis cernere mihi viſus ſim.

XIX. Nam profecto memoria tenetis, Cotta, & Tor-

TorquatoCOSS (*a*)complureis in Capitolio turreis de cælo eſſe percuſſas, cum & ſimulacra deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liquefacta. Tactus eſt etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus (*b*) quem in auratum in Capitolio parvum, atque lactantem, uberibus lupinis inhiantem fuiſſe meminiſtis. Quo quidem tempore, (*c*) cum haruſpices ex tota Etruria conveniſſent, cædes atque incendia, & legum interitum, & bellum civile, ac domeſticum & totius urbis, atque imperii occaſum appropinquare dixerunt, niſi dii immortales omne ratione placati, ſuo numine prope fata ipſa flexiſſent.

Ampl. (*a*) *per enum, part.* (b) *deſcript.* (c) *ab autorit. Haruſp. reſponſ.*

Contr. Tactas enim meminiſtis de cælo turres, ſtatuas veterum, Romulum quoque illum parvulum ab uberibus Lupæ pendentem, & legum æra liquefacta; quæ cuncta Haruſpices everſionem reipublicæ & legum interitum portendere dixerunt.

XX. Itaque illorum reſponſis tunc (*a*) & ludi decem per dies facti ſunt, neque res ulla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermiſſa eſt: iidemque juſſerunt, ſimulacrum Jovis facere majus, & in excelſo collocare, & contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere: ac ſe ſperare dixerunt, ſi illud ſignum, quod videtis, ſolis ortum, & forum, curiamque conſpiceret, fore, ut ea conſilia, quæ clam eſſent inita contra ſalutem urbis, atque imperii illuſtra-

ſtrarentur, ut à S. P. Q. R. perſpici poſſent. Atque illud ita collocandum conſules illi ſtatuerunt: ſed tanta fuit operis tarditas, ut neque à ſuperioribus conſulibus, neque à nobis ante hodiernum diem collocaretur.

Ampl. (*a*) *à conſeqq.*

Contr. Ludi igitur facti, quibuscunque numina poſſe placari credebantur. Jovis autem in ſimulacro majori forma Haruſpicum monitu ad ſolis ortum fori adeo curiæque conſpectum collocando, quoniam debita feſtinatio non adhibita; hinc fortaſſis illa Reip. tempeſtas obvenit.

XXI. Hic quis poteſt eſſe, Quirites, (*a*) tam averſus à vero, tam præceps, tam mente captus, qui neget, hæc omnia, quæ videmus, præcipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu, atque poteſtate adminiſtrari? Etenim cum eſſet ita reſponſum, (*b*) cædeis, incendia, interitumque reip. comparari, & ea a perditis civibus, quæ tum propter magnitudinem ſcelerum nonnullis incredibilia videbantur: ea non modo cogitata à nefariis civibus, verum etiam ſuſcepta eſſe ſenſiſtis. Illud verò nonne ita præſens eſt, ut nutu Jovis optimi maximi factum eſſe videatur, ut, (*c*) cum hodierno die, mane per forum meo juſſu & conjurati, & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipſo tempore ſignum ſtatueretur? quo collocato, atque ad vos ſenatumque converſo, omnia & ſenatus, & vos, quæ erant contra ſalutem omnium cogitata, illuſtrata & patefacta vidiſtis.

Ampl.

Ampl. (a) *per Synonym.* (b) *enum. part.* (c) *autor. reſp. Haruſp.*

Contr. Aſt ubi hodie mane illud ipſum ſignum eodem habitu atque ſitu collocaretur, eodem quoque tempore vidiſtis is inita adverſus Rempubl. conſilio patefieri, & duces ſcelerum in ædem concordiæ abduci.

XXII. Quo etiam majore ſunt iſti odio, ſuppliciοque digni, qui non ſolum (a) veſtris domiciliis, atque tectis, ſed etiam deorum templis, atque delubris ſunt funeſtos, ac nefarios igneis inferri conati: quibus ego ſi me reſtitiſſe dicam, nimium mihi ſumam, & non ſim ferendus. Ille, ille Jupiter reſtitit: ille (b) Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omneis ſalvos eſſe voluit. (c) Diis ego immortalibus ducibus, hanc mentem, Quirites, voluntatemque ſuſcepi, atque ad hæc tanta intitia perveni. (d) Jam vero illa Allobrogum ſollicitatio, ſic à Lentulo, ceteriſque domeſticis hoſtibus, tanta res, tam dementer credita & ignotis, & barbaris, commiſſæque literæ numquam eſſent profecto, niſi à diis immortalibus huic tantæ audacio conſilium eſſet ereptum. (e) Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, (quæ gens una reſtat, quæ populo Romano bellum facere & poſſe, & non nolle videatur) ſpem imperii, & rerum ampliſſimarum ultro ſibi à patriciis hominibus oblatam negligerent, veſtramque ſalutem ſuis opibus anteponerent: id nonne divinitus factum eſſe putatis? præſertim qui nos non pugnando, ſed tacendo ſuperare potuerunt;

Amplif.

Ampl. (*a*) *ab enum. part.* (b) *Iterum per fig. Repet.* (c) *à cauſa* (d) *effect.* (e) *conſeqq.*

Contr. Maximo ergo odio à vobis proſequendi ſunt, qui his Deorum à quibus hæc urbs conſervatur templis infeſtas faces ſubdere ſunt auſi ; Juppiter vero celebrandus , qui iſtis inſanis planè mentem ademit, ut barbaris & hoſtibus conſilia ſua crederent, iidem verò urbis ſaluti conſulerent.

XXIII. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria ſupplicatio decreta eſt , celebratote illos dies cum conjugibus, ac liberis veſtris. (*a*) Nam multi ſæpe honores diis immortalibus juſti habiti ſunt, ac debiti, ſed protectò juſtiores numquam. (*b*) Erepti enim ex crudeliſſimo, ac miſerrimo interitu, & erepti (*c*) ſine cæde, ſine ſanguine, ſine exercitu, ſine dimicatione, togati, me uno togato duce, & imperatore viciſtis.

Amplif. (a) *à compar.* (b) *à cauſa* (c) *ab adj.*

Contr. Vos autem Quirites celebrate dies feſtos, juſtiſſimos ſanè , quibus feliciter & nullo negotio me togato Duce maximis periculis erepti eſtis.

XXIV. Etenim recordamini, Quirites, omneis civileis diſſenſiones, neque ſolum eas, quas audiſtis, ſed & has , quas vosmetipſi meminiſtis, & vidiſtis. (*a*) L. Sylla P. Sulpitium oppreſſit : ex urbe ejecit C. Marium, cuſtodem hujus urbis : multosque forteis viros partim ejecit ex civitate, partim interemit. Cn. Octavius, COS. armis ex urbe collegam ſuum expu-

lit. Omneis hic locus & acervis corporum, & civium ſanguine redundavit. Superavit poſtea Cinna, cum Mario, tum vero clariſſimis viris interfectis, lumina civitatis extincta ſunt. Ultus eſt hujus victoriæ crudelitatem poſtea Sylla. Ne dici quidem opus eſt, quanta deminutione civium, & quanta calamitate reip. diſſenſit M. Lepidus à clariſſimo & fortiſſimo viro Q. Catulo, attulit non tam ipſius interitus Reip. luctum, quam ceterorum. (*b*) Atque illæ diſſenſiones erant hujuſmodi, Quirites, quæ non ad delendam, ſed ad commutandam remp. pertinerent. Non illi nullam eſſe remp. ſed in ea. quæ eſſet, ſe eſſe principes, neque hanc urbem conflagrare, ſed ſe in hac urbe florere voluerunt.

Amplif. (a) *ab exempl,* (b) *à compar.*

Contr. E, Plurimis domeſticis malis, iſtorum tantum bellorum memoriam recolite, quibus Sylla contra Sulpitium & Marium: Cn. Octavius conſul adv. Collegam, viciſſim Sylla contra Cinnam & Marium, & Lepidus tandem cum Catulo maxima civium ſtage geſſerunt, tantum ut immutarent jura civitatis & Principatum obtinerent: Hi verò prorſus evertere illam cupiverunt, nullius tamen boni civis internecione everſi ſunt.

XXV. Atque illæ (*a*) tamen diſſenſiones omnes, quarum nulla exitium reip. quæſivit, ejuſmodi fuerunt: ut non reconciliatione concordiæ, ſed internecione civium dijudicatæ ſint. In hoc autem uno (*b*) poſt hominum memoriam maximo, crudeliſſimoque bello, quale bellum nulla umquam barbaria cum ſua

gen-

gente geſſit (quo in bello (c) lex hæc fuit à Lentulo, Catilina, Caſſio, Cethego conſtituta, ut omnes, qui ſalva urbe ſalvi eſſe poſſent, in hoſtium numero ducerentur) ita me geſſi, Quirites, (d) ut omnes ſalvi conſervaremini; &, cum hoſtes veſtri tantum civium ſuperfuturum putaſſent, quantum infinitæ cædi reſtitiſſet; tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuiſſet; & urbem, & civeis integros, incolumeisque ſervavi.

Ampl. (a) *à compar.* (b) *per epith.* (c) *à cauſa formali* (d) *ab effect. contr.*

Contr. Qui hoſtium in numero, hi illos ſalvos eſſe voluerunt, qui ſalva urbe ſalvi eſſe poſſent; quo caſu illi ſalvi fuiſſent futuri, qui infinitæ cædi reſiſtere potuiſſent, & tantum urbis, quantum flamma conſumere non potuiſſet, Jam vero & toti urbi & vobis univerſis Deorum ope me duce ſalvis eſſe licet.

XXVI. Quibus pro tantis rebus, Quirites, (a) nullum ego à vobis præmium virtutis, nullum inſigne honoris, nullum monumentum laudis poſtulo, præterquam hujus diei memoriam ſempiternam. In animis ego veſtris (b) omneis triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis inſignia, condi, & collocari volo. Nihil me (c) mutum poteſt delectare, nihil tacitum, nihil denique hujusmodi, quod etiam minus digna aſſequi poſſint. (d) Memoria veſtra, Quirites, noſtræ res alentur, ſermonibus creſcent, literarum monumentis inveteraſcent, & corroborabuntur: eandemque diem in-

telligo, quam ſpero æternam fore, & ad ſalutem urbis, & ad memoriam conſulatus mei, propagatam: unoque tempore in hac rep. duos civeis exſtitiſſe, (e) quorum alter fineis veſtri imperii, non terræ, ſed cæli regionibus terminaret: alter ejuſdem imperii domicilium, ſedemque ſervaret.

Amplif. (a) *per Synon. cum repet.* (b) *rurſus.* (c) *iterum cum repet.* (d) *per enum. part.* (e) *comp. parium.*

Contr. Atque pro tantis à me rebus geſtis, non aliquod hac in urbe monumentum laudis: ſed in veſtris tantum animis mei hujuſque diei memoriam expeto; quod ſc. uno tempore duo cives extiterint. Pompejus qui urbis hujus terminos univerſi orbis finibus deſcriberet: ego autem, qui hujus imperii & imperantium ſedem poteſtatemque conſervarim.

XXVII. Sed quoniam earum rerum, quas ego geſſi, (a) non eſt eadem fortuna, atque conditio, quæ illorum, qui externa bella geſſerunt: quod mihi vivendum ſit cum illis, quos vici, ac ſubegi: iſti hoſteis aut interfectos, aut oppreſſos reliquerunt: veſtrum eſt, Quirites, (b) ſi cæteris recta ſua facta proſunt, mihi mea nequando obſint, providere. (c) Mentes enim hominum audaciſſimorum ſceleratæ, ac nefariæ ne vobis nocere poſſent, ego providi: ne mihi noceant, veſtrum eſt providere: quamquam, Quirites, mihi quidem ipſi nihil jam ab iſtis noceri poteſt. (d) Magnum enim eſt in vobis præſidium, quod mihi in perpetuum comparatum eſt: magna in rep. dignitas,

gnitas, quæ me ſemper tacita defendet; magna vis eſt conſcientiæ, quam qui negligent, cum me violare volent, ſe ipſi indicabunt.

Amplif. (a) *à comp. impar.* (b) *minor.* (c) *ab Oppoſ. relat.* (d) *à cauſa per correct.*

Contr. Hoc felicior autem ille cum cæteris, quod vivendum ei cum his non fuerit, quos devicerat, iisdemque laudabiliter facta plurima commoda pepererint: mihi verò, ne aliquando obſint, maturè ſit proſpiciendum. Vobis cavi Quirites, ne illi nocere poſſent: Veſtrum viciſſim eſt, illorum à me impetus cohibere. In veſtra dignitate permagna mihi ſpes ſedet: in conſcientia autem multo maxima; hanc qui læſerit, improbitatem ipſe ſuam profitebitur.

XXVIII. Eſt etiam in nobis is animus, Quirites, ut non modo nullius audaciæ cedamus, ſed etiam omneis improbos ultro ſemper laceſſamus. Quod ſi omnes impetus domeſticorum hoſtium depulſi à vobis, ſe in me unum converterint: vobis erit providendum, Quirites, qua conditione (*a*) poſthac eos eſſe velitis, qui ſe pro ſalute veſtra obtulerint invidiæ, periculiſque omnibus. Mihi quidem ipſi quid eſt, quod jam ad vitæ fructum poſſit acquiri, (*b*) præſertim cum neq; in honore veſtro neq; in gloria virtutis quidquam videam altius, quo quidem mihi libeat adſcendere?

Amplif. (a) *à conſeqq.* (b) *ab effect.*

Contr. Tantum quidem abeſt improborum me invidiam defugere, ut eos quoque in certamen pro patria provocaturus ſim; Quod ſi tandem quam

à veſtris lateribus ſicam averti, ea ſe in me converterit; in me viciſſim defendendo veſtrum erit exemplum edere, quam illis gratiam referatis, qui veſtram cauſam in ſe ſuſcipiunt; veruntamen eum jam apud vos vitæ meæ fructum cæpi, præterquem non video, quid concupiſcam.

XXIX. Illud perficiam profecto, Quirites, (*a*) ut ea, quæ geſſi in conſulatu, privatus tuear, atque ornem? ut, ſi qua eſt invidia in conſervanda rep. ſuſcepta, lædat invidos, mihi valeat ad gloriam. Denique ita me in rep. tractabo, ut meminerim ſemper, quæ geſſerim, curemque ut ea, virtute, non caſu, geſta eſſe videantur. (*b*) Vos, Quirites, quoniam jam nox eſt, veneramini illum Jovem, cuſtodem hujus urbis, ac veſtrum, atque in veſtra tecta diſcedite: & ea, quamquam jam periculum eſt depulſum, tamen æque, ac priore nocte feciſtis, cuſtodiis, vigiliiſque defendite. Id ne vobis diutius faceundum ſit, atque ut in perpetua pace eſſe poſſitis, providebo.

Amplif. (a) *à conſeqq.* (b) *& Apoſtr.*

Contr. Poſthac quæ in conſulatu geſſi, privatus operam dabo ut tuear. Noceat invidia autoribus: mihi valeat ad gloriam. Vos autem nunc venerantes Jovem in tecta veſtra diſcedite, eademq; hac ſolum nocte ab hoſtibus defendite; Ego ne ſit porro id vobis faciendum, proxime curabo.

ORDO

ORDO PARTIUM DISPOSITIO ARGUMENTORUM ET COMMOTIO AFFECTUUM.

EXORDIUM.

Grata vobis eſſe debet hujus diei memoria.
quia

1. (1) *ab Eff.* vos atque urbem hanc è flamma & ferro ereptam videtis.
2. (2) *à comp.* Tam quibus conſervamur, quam quibus naſcimur dies jucundi ſunt; ſiquidem
   (*a*) naſcendi incerta conditio: ſalutis autem certa lætitia.
   (*b*) ſine ſenſu naſcimur: cum voluptate autem conſervamur.
3. Romulum autem inter Deos retulimus, urbisque ab eo auſpicia celebramus.
   Quare & hæc dies, qua omnia patefacta, celebranda, & mea Ducis memoria conſervanda erit.

PROPOSITIO.

Dies hæc conſervatæ civitatis Deorum ſupplicatione celebranda eſt.

CONFIRMATIONIS.

ARGUMENTUM PRIMUM

Ego per vigili diligentia Catilinariam Conjurationem indagavi & oppreſſi. Nam

Nam

(1) Ejecto Catilina & manentibus in urbe ejus ſociis, vigilavi, ut reſciſcerem, quid molirentur.

4 (2) Et quoniam maximum illud ſcelus non facile credi poterat, in apricum produxi, quò vobis maturè proſpiceretis.

5 (3) Quare ut animadverti, Lentulum Legatos Allobrogum in ſocietatem vocaſſe, eosque cum literis ad Catilinam mitti.

(4) Prætoribus ad me vocatis rem omnem expoſui, quid opus ſit facto oſtendi.

6 (5) Hi negotium in ſe ſuſcipientes, cum fortiſſimis in oportuno loco, quo ego ſimul delectos miſeram, Legatos Allobrogum, comitemque illorum Vulturcium, ad pontem Milvium adoriuntur, capiunt, eosdemque cum literis ad me perducunt.

7 (6) Mox vocavi ad me Gabinium, Statilium, Cethegum, Lentulum.

(7) De periculo publico rem integram ad Conſilium publicum detuli; ſimulque ex Cethegi ædibus arma efferri curavi.

8 (8) Vulturcius introductus, & Lentuli ad Catilinam mandata & de incendio urbis ac cæde civium conſilia ejus expoſuit.

9 (9) Legati ſimiliter literas, conſilia & mandata reliquorum in urbe Conjuratorum. præcipuè Lentuli è libris Sibyllinis conjecturam, & Cethegi in conſtituenda ad interitum urbis die, levem diſſenſum aperuerunt.

10(10) Recognovit Cethegus literas: ad arma denique e domo allata conticuit.

11(11) Idem quoque productis eorum literis fecerunt Statilius Lentulus maxime cum Allobroges rem apertè profiterentur, & Vulturcius literas ſibi ad Catilinam traditas afferri peteret.

12(12) Neque propter conſcientiæ vim eadem negare poterant Gabinius & cæteri.

13 ARGUMENTUM SECUNDUM.

Senatus poſt laudatum meum ſtudium & adhibitam in conſervanda Rep. operam id decrevit; idque decretum,

(1) Fortiſſimi in Senatu ſine ulla varietate ſecuti

14(2) Ampliſſimis verbis gratias mihi egerunt

(3) Prætores & præſtitam operam; ſimul & Collegæ fidem laudarunt.

(4) In cuſtodiam verò tradi juſſerunt Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium Caſſium, Cæparium, Furium Mangionem & Limbreum; eoque pacto reliquorum mentes ſanari poſſe credidit.

15(5) Denique Ciceronis nomini ſupplicationem Diis decrerunt; qui honos (*a*) præterquam mihi togato contigit nemini. (*b*) Supplicatio ſingularibus ſcripta verbis; non tantum ſc. ob rem benegeſtam: ſed rempublicam quoque conſervatam. (*c*) Lentulus Magiſtratu prius ſe abdicare coactus eſt, ut nulla prorſus religio in eo puniendo mihi obſtaret.

Affectus Gaudii in Romanis.

16(*a*) Captis his belli ducibus omnes Catilinæ copias concidiſſe putandum eſt.

(*b*) Ejecto Catilina nihil mali damnive Conjurati Reipubl. inferre potuerunt.

17(*c*) Quodſi ille acerrimus hoſtis tam facilè pulſus; reliquos faciliori negotio profternemus.

(*d*) Omnia Conjuratorum Conſilia jam in apricum producta, ut quæ dudum meditati perficere non poſſint.

(*e*) Si in urbe verò Catilina manſiſſet, plurima Senatui & civibus pericula ſubeunda fuiſſent.

18 ARGUMENTUM TERTIUM.

Prope Deorum immortalium nutu hæc geſta videntur. Siquidem.

[1] Ea harum rerum moles, ut niſi Deorum auxilio negotium non potuiſſet perfici.

[2]Vis de cælo, motusque terrarum id ſignificaruat; nam

[*a*] In Capitolio turres fulmine percuſſæ, ſimulacra dejecta, legum æra liquefacta, tactus Romulus.

19 [*b*] Haruſpices ex Hetruria, cædes in urbe & incendia, legum interitum, bellum civile Imperii ruinam portendi nunciarunt, niſi Dii placarentur.

20 [*c*] Itaque per decem dies ludi facti, Jovis ſimulacrum majori forma, excelſo loco poſitum ad ſolis ortum, ut curia & forum in conſpectu eſſent; quo conſilia improborum adv. rempubl. patefierent.

[*d*] Qu-

21 [d] Cui & eo ipſe die cum ſtatua illa Jovi Statori poneretur eventus reſpondit; nam

22 [3] Infatuata ſunt Conſilia hoſtium; dum(a) ignotis Barbaris commiſerunt literas
[b) homines è civitate male pacata ſpem ampliſſimam ſibi oblatam neglexerunt, Romanorumque ſalutem ſuis opibus antepoſuerunt.

23 [4] graviſſimum hoc bellum ſine cæde ſolo me togato Duce eſt confectum; Nam

24 [a] reliqua multo ſanguine civium redundarunt. [b] Tantum ad Principatum obtinendum: non plane ad evertendam rempubl. ſpectarunt. Hæc verò

25 Catilinaria conjuratio [a] omnium graviſſima ad urbem delendam & vaſtandam Italiam inita eſt: [b] ego autem omni cura id egi ſedulò, ut vos omnes, inotio ſalvi eſſetis.

CONCLUSIO.

Pro tot & tantis rebus geſtis peto nihil aliud, quàm

126 [1] *Sempiternam hujus diei memoriam.* Etenim

26 [a] ita hæc noſtra facta creſcent inveteraſcent corroborabuntur. [b] cum Pompejo qui latè propagavit imperium noſtrum ego conferar, qui iſtud conſervavi.

27 [2] *Et ut adverſus veſtros meosque hoſtes me viciſſim tueamini.* *Amplif.*

[a] *à compar.* Nam reliqui duces belli hoſtes

ſtes ſuos è medio tollunt: mihi cum iis eſt vivendum. Si cæteris res ſuæ bene geſtæ proſunt, proſpiciendum eſt, ne mihi meæ obſint. Ego providi ne vobis hoſtes: vos ne mihi nocea-
28 ant providere oportet: [b] *à conſeqq.* Statuendum quoque in me exemplum, qua poſthac occaſione eos eſſe velitis, qui ſe pro ſalute veſtra invidiæ periculiſque multis obtulere.

Spondeo futurum, ut quæ geſſi in Conſulatu priva-
29 *tus tuear.* Quò [a] invidia tantum autorem lædat; mihi ad gloriam valeat, [b] atque hæc virtute geſta non caſu appareant.

Affectus amoris erga Romanos.

Vos jam in tecta veſtra diſcedite eademque hac ſolum nocte veſtris vigiliis defendite; poſt ego pro ſecuritate & otio ac quiete veſtra vigilabo.

ARTICULUS IV.

exhibens

CATILINARIAM QVARTAM.

I. Video, P. C. in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe converſos: video, vos non ſolum de veſtro, ac reip. verum etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſollicitos. Eſt mihi jucunda in malis, & grata in dolore, veſtra erga me voluntas. Sed eam, per deos immortaleis, quæſo deponite, atque obliti ſalutis meæ, de vobis, ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem ſi hæc conditio conſulatus data eſt, ut [a] omneis acerbitates, omneis dolores, cruciatusque perferrem; feram non ſolum fortiter, ſed etiam

etiam libenter, dummodo meis laboribus, vobis populoque R. dignitas, ſalusque pariatur.

Amplif. (a) *per Synon.*

Contr. Non de veſtro ſolum ſed de meo quoque periculo vos video ſollicitos; quod mihi quidem per quam gratum; quod ſi tamen mihi ea conditio Conſulatus data eſt, ut plurima inde mala in me redundent, feram illa patienter, dummodo vobis propterea bene ſit.

II. Ego ſum ille conſul, P. C. cui (a) non forum, in quo omnis æquitas continetur: non campus, conſularibus auſpiciis conſecratus: non curia, ſummum auxilium omnium gentium: non domus, commune perfugium: non lectus, ad quietem datus: non denique hæc ſedes honoris, ſella curulis, umquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit. Ego (b) multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa meo quodam dolore, in veſtro timore, ſanavi. Nunc, ſi hunc exitum conſulatus mei dii immortales eſſe voluerunt, ut [c] vos P. C. populumque Rom. ex cæde miſera: conjuges, liberosque veſtros, virginesque Veſtaleis ex acerbiſſima vexatione: templa, atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium noſtrum ex fœdiſſima flamma: totam Italiam ex bello, & vaſtitate eriperem: quæcunque mihi uni proponetur fortuna, ſubeatur. [d] Etenim, ſi P. Lentulus ſuum nomen, inductus à vatibus, fatale ad perniciem reip. fore putavit: cur ego non læter, meum conſulatum ad ſalutem reip. prope fatalem extitiſſe?

Ampl. (a) *per partium enumer, negat.* (b) *& affirm.* (c) *iterum.* (d) *& ab Oppoſ.*

Contr.

Contr. Etſi enim nullus mihi locus à Vitæ periculis tutus & plurima adeo mala perpetienda fuerunt; quod ſi eum tamen inde fructum referam, ut vobis à periculis omnino liberatis poſt hac bene ſit, ſubibo libenter quæ impendent omnia; modo ſicut Lentulus fatale ſuum nomen ad perniciem urbem exiſtimavit: ego meum ad ſalutem fuiſſe, lætari queam.

III. Quare, P. C. (*a*) conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſervate vos, conjuges, liberos, fortunasq; veſtras: populi Rom. nomen, ſalutemque defendite: mihi parcere, ac de me cogitare deſinite. (*b*) Nam primum debeo ſperare, omneis deos, qui huic urbi præſident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiam eſſe. Deinde, ſi quid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. (*c*)Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. Nec tamen ego ſum ille ferreus, (*d*)qui fratris clariſſimi, atque amantiſſimi præſentis mærore non movear, horumque omnium lachrymis, à quibus me circumſeſſum videtis: neq; meam mentem non domum ſæpe revocat exanimata uxor, abjecta metu filias & parvulus filius, quem mihi videtur amplecti reſpublica tanquam obſidem conſulatus mei: neque ille, qui exſpectans hujus exitum diei, adſtat in conſpectu meo gener. Moveor his rebus omnibus, ſed in eam partem, ut ſalvi ſint vobiſcum omnes, etiamſi vis aliqua me oppreſſerit, (*e*) potius, quam & illi, & nos una cum rep. pereamus.

Amplif. (a) *ab enum. part.* (b) *a conſeqq.* (c) *adj.* (d) *enum. part. neg.* (e) *& compar.*

Contr.

Contr. Vos ergo P. C. mei relicta cura patriæ conſulite: mihi aliquando Dii gratiam rependent; Si qua vero mors imminebit æquo animo prout fortem & ſapientem decet, eam ſubibo? non quod mærore meorum atque dolore plane non tangar: ſed quod me præſtet perire, quam una cum Republica illos interire.

IV. Quare P. C. incumbite ad reſp. ſalutem: circumſpicite omneis procellas, quæ impendent, niſi providetis (*a*) Non Ti. Gracchus, qui iterum tribunus plebis fieri voluit: non C. Gracchus, qui agrarios concitare conatus eſt: non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in diſcrimen aliquod, atque in veſtræ ſeveritatis judicium adducitur: ſed tenentur(*b*)ii, qui ad urbis incendium, ad veſtrum omnium cædem, ad Catilinam accipiendum, Romæ reſtiterunt. Tenentur literæ ſigna, manus, denique uniuscujusque confeſſio: ſollicitantur Allobroges: ſervitia excitantur: Catilina arceſſitur: id eſt initum conſilium, (*c*) ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem reip. nomen, atque ad lamentandam tantam imperii calamitatem relinquatur.

Ampl. [a] *à comp. neg.* [b] *enum. part.* [c] *à cauſa fin.*

Contr. Non cum Grachis vel Saturnino res nobis eſt, ſed cum his qui vobis ſimul & urbi interitum minantur, adeo ut ne ſuperſit quidem, qui calamitatem veſtram deploret.

V. Hæc omnia (*a*) indices detulerunt, rei confeſſi ſunt, vos multis jam judiciis judicaviſtis: (*b*) primum, quod mihi gratias egiſtis ſingularibus verbis: & mea virtute, atque diligentia, perditorum hominum patefactam

factam eſſe conjurationem decreviſtis: deinde quod P. Lentulum, ut ſe abdicaret prætura, coegiſtis: tum quod eum, & ceteros, de quibus judicaviſtis, in cuſtodiam dandos cenſuiſtis: maximeque quod meo nomine ſupplicationem decreviſtis: qui honos togato habitus ante me eſt nemini. Poſtremo quod heſterno die præmia legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio dediſtis ampliſſima: quæ ſunt omnia ejuſmodi, ut ii, qui in cuſtodiam nominatim dati ſunt, ſine ulla dubitatione à vobis damnati eſſe videantur.

Ampl. (a)(b) *ab enum. part.*

Contr. Atque ea res manifeſta delatione Judicum confeſſione reorum judicio veſtro dum mihi gratias egiſtis: Lentulum ſe abdicare prætura coegiſtis in cuſtodiam eundem & cæteros dandos cenſuiſtis, mihi ſupplicationem decreviſtis, Legatis denique & Vulturcio præmia dediſtis.

VI. Sed ego inſtitui referre ad vos, P. C. tanquam integrum & de facto, quid judicetis: & de pœna, quid cenſeatis. Illa prædicam, quæ ſunt conſulis. Ego magnum in rep. verſari furorem, & nova quædam miſceri, & concitari mala, jam pridem videbam: (*a*) ſed hanc tantam, tam exitioſam haberi conjurationem à civibus, nunquam putavi. Nunc quidquid eſt, quocunque veſtræ mentes inclinant, atque ſententiæ ſtatuendum vobis ante noctem eſt. Quantum facinus ad nos delatum ſit, videtis. (*b*) Huic ſi paucos putatis affineis eſſe, vehementer erratis: (*c*) Latius opinione diſſeminatum eſt hoc malum: manavit non ſolum per Italiam, verum etiam tranſcendit Alpeis, & obſcure ſerpens, multas jam provincias occupavit. Id opprimi ſuſtendando,

do, ac prolatando nullo pacto poteſt. Quacumque ratione placet, celeriter vobis vindicandum eſt.

Amplif. (a) *ab adj, modi* (b) *auxil.* (c) *& loci.*

Contr. Qua autem conjurati pæna ſint afficiendi ante noctem ſtatuendum eſt. Atrocior enim Conjuratio atque eam à civibus iniri potuiſſe primum putavi, latius opinione ſerpit & Alpes quoque transgreditur inq; plurimas inde provincias indies propagabitur.

VII. Video duas adhuc eſſe ſententias: unam D. Silani, qui cenſet, eos, qui hæc delere conati ſunt, morte eſſe multandos; alteram C. Cæſaris, qui mortis pænam removet, cæterorum ſuppliciorum omneis acerbitates amplectitur. Uterque & pro ſua dignitate, & pro rerum magnitudine in ſumma ſeveritate verſatur. Alter eos, (a) qui nos omneis, qui populum Rom. vita privare conati ſunt, qui delere imperium, qui populi Rom. nomen extinguere, punctum temporis frui vita, & hoc communi ſpiritu, non putat oportere; atque hoc genus pænæ ſæpe in improbos civeis in hac republ. eſſe uſurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem (b) à diis immortalibus non eſſe ſupplicii cauſa conſtitutam: ſed aut neceſſitatem naturæ, aut laborum, ac miſeriarum quietem eſſe. Itaque eam ſapientes numquam inviti, fortes etiam ſæpe libenter appetiverunt. Vincula vero, & ea ſempiterna, certe ad ſingularem pænam nefarii ſceleris inventa ſunt. Itaque municipiis diſpertiri jubet. Habere videtur iſta res iniquitatem, ſi imperare velis; difficultatem, ſi rogare. Decernatur tamen, ſi placet.

Amplif. (a) *à cauſa finali juncta ac meritoria.* (b) *ab adj. & autorit. ſapient.*

Contr. In duas præcipuè partes veſtras P. C. ſententias abire video prioris Autor Syllanus qui mortem in eos decernit: Poſterioris Cæſar qui carceres in diverſis municipiis.

VIII. Ego enim ſuſcipiam, &, ut ſpero, reperiam, qui id, quod ſalutis omnium cauſa ſtatueritis, non putet eſſe ſuæ dignitatis recuſare. Adjungit (*a*) gravem pænam municipibus, ſi quis eorum vincula ruperit: horribileis cuſtodias circumdat, & digna ſcelere hominum perditorum ſancit, nequis eorum pænam, quos condemnat, aut per ſenatum, aut per populum levare poſſit. (*b*) Eripit etiam ſpem, quæ ſola hominem in miſeriis conſolari ſolet. Bona præterea publicari jubet: vitam ſolam relinquit nefariis hominibus: quam ſi eripuiſſet, multas uno dolore, animi, ac corporis, & omneis ſcelerum pænas ademiſſet. (*a*) Itaque ut aliqua in vita formido improbis eſſet poſita, apud inferos ejuſmodi quædam illi antiqui ſupplicia impiis conſtituta eſſe voluerunt: quod videlicet intelligebant, his remotis, non eſſe mortem ipſam pertimeſcendam.

Ampl. (a) *ab adjunct.* (b) *& conſeqq.* (c) *autorit. traditionis antiquæ.*

Contr. Quæcunque vobis placuerit, ab ea non diſſentiam; hæc enim ultima gravem addit cuſtodiam, ſpem omnem ſalutis eripit; ſolius vitæ relinquit: ſed eandem quoque ipſam ob pænam.

IX. Nunc P. C. ego mea video quid interſit. Si eritis ſecuti ſententiam C. Cæſaris: quoniam hanc is in Republica viam, quæ popularis habetur ſecutus eſt, fortaſſe minus erunt, hoc monitore, & au-

ctore hujuſce ſententiæ mihi populares impetus pertimeſcendi. Sin illam alteram ſecuti eritis: neſcio, an amplius mihi negotii contrahatur. Sed tamen meorum periculorum rationes utilitas reip. vindicat. Habemus enim à C. Cæſare, (a) ſicut ipſius dignitas, & majorum ejus amplitudo poſtulabat, ſententiam, tam quam obſidem perpetuæ in Remp voluntatis. Intellectum eſt, quid interſit inter levitatem concionatorum, & animum vere popularem, ſaluti populi conſulentem.

Ampl. (a) *ab adjunct.*

Contr. Mea quod attinet, ſi Cæſaris ſententiam ſecuti fueritis, quoniam ea popularis eſt, populares mihi impetus minus erunt pertimeſcendi: ex Syllani autem plus fortaſſe ad me periculi redundare poterit; Reipublicæ tamen commoda ſecuritati meæ anteferenda ſunt.

X. Video de iſtis, qui ſe populareis haberi volunt, abeſſe non neminem, ne de capite videlicet civium Rom. ſententiam ferat. (a) Is & nudius tertius in cuſtodiam civeis Rom. Cethegum, & Lentulum dedit & ſupplicationem mihi decrevit, & indices heſterno die maximis præmiis affecit. Jam hoc nemini dubium eſt, qui reo cuſtodiam, quæſitori gratulationem, indici præmium decrevit, quid de tota re, & cauſa judicavit. (b) At vero C. Cæſar intelligit, legem Semproniam eſſe de civibus Roman. conſtitutam: (c) qui autem Reip. ſit hoſtis, eum civem eſſe nullo modo poſſe: denique ipſum latorem legis Semproniæ, juſſu populi pœnas reip. dependiſſe. Idem etiam (d) ipſum largitorem Lentulum, & prodigum, non pu-

 tat

tat [cum de pernicie Reip. & exitio hujus urbis tam acerbe, tamque crudeliter cogitarit] appellari poſſe popularem. Itaque homo mitiſſimus. atque leniſſimus non dubitat P. Lentulum æternis tenebris, vinculisque mandare: (*e*) & ſancit in poſterum, ne quis hujus ſupplicio levando ſe jactare, & in perniciem Reip. poſt hac popularis eſſe poſſit. Adjungit etiam publicationem bonorum, ut omneis animi cruciatus, & corporis, etiam egeſtas ac mendicitas conſequatur.

Ampl. (a) *ab anteced.* (b) *per occup.* (c) *& ſubject* (d) *per epith.* (e) *& conſeqq.*

Contr. Etſi autem primum abeſt hoc tempore non nemo fortaſſis ne de civis Romani capite ſententiam ferabilis tamen hos in cuſtodiam dandos mihique ſupplicationem decernendum atque indicibus præmium judicavit. Et deinde utut Cæſar legem Semproniam de civibus Romanis conſtitutam arbitratus ſit. Conjurati tamen non in civium ſed hoſtium numero ſunt habendi: Quin ipſe illius legislator populi juſſu pænas dependit, denique nec Lentulum Cæſar popularem exiſtimat: ſed gravem potius illi pænam irrogat.

XI. Quamobrem ſive hoc ſtatueritis: dederitis mihi comitem ad concionem, populo Romano earum, atque jucundum: ſive illam Silani ſententiam ſequi malueritis: facile me, atque vos à crudelitatis vituperatione defendetis: atque obtinebo, eam multo leviorem fuiſſe. Quamquam P. C. quæ poteſt eſſe in tanti ſceleris immanitate punienda, erudelitas? Ego enim de meo ſenſu judico. Nam ita mihi ſalva Repub. vobiſcum perfrui liceat, ut ego, quod in hac cauſa vehe-

vehementior ſum, [*a*] non atrocitate animi moveor [quis enim eſt me melior?] ſed ſingulari quadam humanitate, & miſericordia. Videor [*b*] enim mihi hanc urbem videre, [*c*] lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito imo incendio concidentem: cerno animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos acervos civium: verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, & furor, in veſtra cæde bacchantis.

Ampl. [a] *à cauſa* [b] *per hypotypoſin.* [c] *epith.*

Contr. Quodcunque autem P. C. in Conjuratos pænæ genus ſtatueritis: vos ipſi à crudelitatis convitio me liberabitis; neque enim me animus meus induxit: ſed cauſa ſive amor patriæ [quam illi funditus evertere conſtituerant] me impulit, ut vehementior eſſem.

XII. Cum vero mihi propoſui (*a*) regnantem Lentulum, ſicut ipſe ſe ex fatis ſperaſſe confeſſus eſt, purpuratum eſſe hunc Gabinium, cum exercitu veniſſe Catilinam, tum lamentationem matrum familias, tum fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem virginum Veſtalium perhorreſco: & quia mihi vehementer hæc videntur miſera, atque miſeranda, idcirco in eos, quia ea perficere voluerunt, me ſeverum, vehementemque præbeo. Etenim quæro, (*b*) ſi quis paterfamilias, liberis ſuis à ſervo interfectis, uxore occiſa, incenſa domo, ſupplicium de ſervo quam acerbiſſimum ſumſerit: utrum is clemens, ac miſericors, an inhumaniſſimus & crudeliſſimus eſſe videatur. Mihi vero importunus, ac ferreus, qui non dolorem ſuum & cruciatum, dolore nocentis, & cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, qui no-

nos, qui conjuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt: qui ſingulas unius cujusque noſtrum domos, & hoc univerſum reip. domicilium delere conati ſunt: qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in veſtigiis hujus urbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent: ſi vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur: ſin remiſſiores eſſe voluerimus, ſummæ nobis crudelitatis in patriæ, civiumque pernicie, fama ſubeunda eſt.

Ampl. (*a*) *per Hypotyp.* (*b*) *à compar. ſimil.*

Contr. Quod ſi enim quis animo ſibi proponat cædes civium, ruinam urbis, vaſtatam Italiam regnantes Lentulum atque Gabinium Imperantem Catilinam: quis non commoveatur? Sane quemadmodum Pater familias de ſervo qui conjugem ejus liberosque trucidaſſet, ſupplicium non ſumens crudelis potius quam clemens dicendus foret: ſic quoque conſul conjuratis parcens adverſus patriam.

XIII. Nisi vero cuipiam J. Cæſar, (*a*) vir fortiſſimus, & amantiſſimus reip. crudelior nudius tertius eſt viſus. (*b*) cum ſororis ſuæ, feminæ lectiſſimæ, virum præſentem, & audientem, vita privandum eſſe dixit, cum avum juſſu COS. interfectum, filiumque ejus impuberem, legatum à patre miſſum in carcere necandum eſſe dixit. Quorum quod ſimile fuit factum? quod initum delendæ reip. conſilium? largitionis voluntas tum in rep. verſata eſt, & partium quædam contentio. (*c*) Atque illo tempore hujus avus Lentuli, clariſſimus vir, armatus Gracchum eſt perſecutus, & grave tum vulnus accepit, ne quid de ſumma dignitate reip. minueretur. Hic ad everten-

de

da fundamenda reip. (*d*) Gallos arceſſivit, ſervitia concitavit, Catilinam evocavit, attribuit nos trucidandos Cethego, cæteros civeis interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Caſſio, totam Italiam vaſtandam, diripiendamque Catilinæ. Vereamini, cenſeo, ne in hoc ſcelere tam immani, ac nefario, nimis aliquid ſevere ſtatuiſſe videamini, cum multo magis in patriam, quam ne ſeveritate animadverſionis nimis vehementes in acerbiſſimos hoſteis fuiſſe, videamini.

Amplif. (a) *per epith.* (b) *ab exemplo.* (c) *compar. minor.* (d) *enum. part.*

Contr. Quod ſi minime crudelis L. Cæſar, qui ſororis ſuæ Maritum adverſus patriam inſurgentem, interficiendum judicant, & Lentulus hujus avus Grachum armatum inſequens; non eſt quod nos quoque crudelitatis in conjuratos opprobrium vereamur.

XIV. Sed quæ exaudio, P.C. diſſimulare non poſſum. (*a*) Lactantur enim voces, quæ perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam ſatis præſidii ad ea, quæ vos ſtatueritis hodierno die, tranſigenda. (*b*) Omnia proviſa, parata, & conſtituta ſunt, P.C cum mea ſumma cura, atque diligentia, tum multo etiam majore populi Rom. ad ſummum imperium retinendum, & ad communeis fortunas conſervandas voluntate. (*c*) Omnes adſunt omnium ordinum homines, omnium denique ætatum; plenum eſt forum, pleni omnes aditus hujus loci, ac templi. Cauſa enim eſt poſt urbem conditam hæc inventa ſola, in qua omnes ſentirent unum, atque idem

præter eos, qui cum ſibi viderent eſſe pereundum, cum omnibus potius, quam ſoli perire voluerunt.

Ampl. (a) *per occup* (b) *Synonym.* (c) *enum. part.*

Contr. Aſt in metu ſunt nonnulli, ne ſatis nobis præſidii ſit ad ea tuenda quæ vos ſtatueritis. Verum enim vero, ut omnes in hac cauſa conſpirant ſic quoque advolant undique omnes ad opem ferendam patriæ.

XV. Hoſce ego homines excipio, & ſecerno libenter: neque enim in improborum civium, ſed in acerbiſſimorum hoſtium numero habendos puto. Cæteri vero dii immortales, qua frequentia, quo ſtudio, qua virtute ad communem dignitatem, ſalutemque conſentiunt! Quid ego hic equites Romanos commemorem? qui (*a*) vobis ita ſumma ordinis, conſiliique concedunt, ut vobiſcum de amore reipublicæ certent: quos ex multorum annorum diſſenſione, ad hujus ordinis ſocietatem, concordiamque revocatos, hodiernos dies nobiſcum, atque hæc cauſa conjungit: (*b*) quam conjunctionem ſi in conſulatu confirmatam meo perpetuam in rep. tenuerimus: confirmo vobis, nullum poſthac malum civile, ac domeſticum, ad ullam reip. partem eſſe venturum. Pari ſtudio defendendæ reip. conveniſſe video (*c*) tribunos ærarios, fortiſſimos viros: ſcribas item univerſos: quoscum caſu hic dies ad ærarium frequenteis advocaſſet, video ab exſpectatione ſortis ad communem ſalutem eſſe converſos. Omnis ingenuorum adeſt multitudo, etiam tenuiſſimorum.

Ampl. (a) *deſcr.* (b) *à conſeq.* (c) *ab enum. part.*

Contr.

Contr. Adjuvant hanc cauſam ex longa diſſenſione Equites, tribuni quoque ærarii, Scribæ, ingenui omnes etiam tenuiſſimæ ſortis.

XVI. Quis eſt enim, (*a*) cui non hæc templa, adſpectus urbis, poſſeſſio libertatis, lux denique hæc ipſa, & hoc commune patriæ ſolum, cum ſit carum, tum vero dulce, atque jucundum? Operæ pretium eſt, P. C. libertinorum hominum ſtudia cognoſcere. (*b*) Qui ſua virtute ac fortuna hujus civitatis jus conſecuti, hanc vere ſuam patriam eſſe judicant: (*c*) quam quidam hinc nati, & ſummo nati loco, non patriam ſuam, ſed urbem hoſtium eſſe judicaverunt. Sed quid ego hujuſce ordinis homines commemorem, (*d*) quos privatæ fortunæ, quos communis Reſpub. quos denique libertas ea, quæ dulciſſima eſt, ad ſalutem patriæ defendendam excitavit; Servus eſt nemo, qui modo tolerabili conditione ſit ſervitutis, qui non audaciam civium perditorum perhorreſcat: qui non obſtare cupiat: qui non tantum, quantum audet, & quantum poteſt, conferat ad communem ſalutis voluntatem

Amplif. (a) *à cauſarum congerie.* (b) *deſcr.* (c) *oppoſ* (d) *viciſſim à cauſarum congerie.*

Contr. Quem enim non hoc imperii domicilium ſua cujusque libertas ad communem cauſam invitaret? Adjunt quoque libertini hanc pariter patriam ſuam exiſtimantes, quam civium nonnulli perdere atque evertere conati ſunt; Quin & ſervi, quorum ſaltem tolerabilis apud Dominos conditio eſt.

XVII. Quare ſi quem veſtrum forte commovet hoc, (*a*) quod auditum eſt, lenonem quendam Len-

tuli concurſare circum tabernas, pretio ſperantem ſollicitari poſſe animos egentium, atq; imperitorum: eſt id quidem cæptum, atque tentatum; ſed nulli ſunt inventi, tam aut fortuna miſeri, aut voluntate perditi, (*a*) qui non ipſum illum ſellæ, atque operis, & quæſtus quotidiani locum: qui non cubilia, ac lectulum ſuum; qui denique non curſum hunc otioſum vitæ ſuæ, ſalvum eſſe velint. Multa vero maxima pars eorum, qui in tabernis ſunt: immo vero (id enim potius eſt dicendum) genus hoc univerſum, (*b*) amantiſſimum eſt otii. Etenim omne eorum inſtrumentum, omnis opera, ac quæſtus, frequentia civium ſuſtinetur, alitur otio: quorum ſi quæſtus, occluſis tabernis, minui ſolet, quid tandem incenſis futurum eſt?

Amplif. (a) *per enum. part.* (b) *à cauſa.*

Contr. Fruſtra operam impendit Leno quidam Lentuli tabernas ſollicitans; Nemo ſiquidem in his miſer adeo atque perditus, quin otium malit, atque ex frequentia & facultatibus civium quæſtum ſperet.

XVIII. Quæ cum ita ſint, P. C. vobis Populi præſidia non deſunt: vos ne populo R. deeſſe videamini, providete. Habetis conſulem (*a*) ex plurimis periculis, & inſidiis, atque ex media morte, non ad vitam ſuam, ſed ad ſalutem veſtram reſervatum: omnes ordines ad conſervandum remp. (*b*) mente voluntate, ſtudio, virtute, voce conſentiunt: obſeſſa facibus, & telis impiæ conjurationis, vobis ſupplex (*c*) manus tendit patria communis: vobis ſe, vobis (*d*) vitam omnium civium, vobis arcem, & Capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum ignem Ve-

ſtæ

ſta perpetuum, ac ſempiternum, vobis omnia templa deorum, atque delubra, vobis muros, atque urbis tecta commendat. Præterea (e) de veſtra vita, de conjugum veſtrarum, ac liberorum anima, de fortunis omnium, de ſedibus, de focis veſtris, hodierno die vobis judicandum eſt.

Amplif. (a) *per deſcr. ab adj.* (b) *auxilior* (c) *præſepop.* (d) *enum part.* (e) *& rurſus.*

Contr. Cum itaque ego Conſul veſtra magis cauſa quam mea ipſius ſollicitus ſim: omnes quoque ordines in ope Patriæ ferenda conſentiant; Patria denique ipſa veſtrum auxilium imploret, & de veſtrum ſalute omnium jam deliberandum ſit, ſtrenue decernite.

XIX. Habetis ducem, (a) memorem veſtri, oblitum ſui: quæ non ſemper facultas datur: habetis (b) omneis ordines, omneis homines, univerſum populum Roman. id quod civili cauſa hodierno die primum videmus, unum atque idem ſentientem. Cogitate, (c) quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute ſtabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una Nox pene delerit. (d) Id ne umquam poſthac non modo confici: ſed ne cogitari quidem poſſit, vobis hodierno die providendum eſt. Atque hæc non ut vos, qui mihi ſtudio pene procurritis, excitarem, locutus ſum: ſed ut mea vox, quæ debet eſſe in Repub. princeps, officio functa conſulari videretur.

Amplif. (a) *per deſcr. ab adj.* (b) *enum. part.* (c) *ab auct.* (d) *& conſeqq.*

Contr.

Contr. Expendite vobiſcum quanto labore quot ſeculis cuncta hæc quæſita una pene nox perdidiſſet; Id ne quis unquam tentare auſit, aut hæc civitas poſſit metuere, nunc providete. Quod equidem non ideo dico, quod vos excitandi mihi videamini, ſed ut munere meo perſungar.

XX. Nunc antequam ad ſententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus eſt conjuratorum quam videtis eſſe permagnam, tantam me inimicorum multitudinem ſuſcepiſſe video: Sed eam eſſe judicio (*a*) turpem, & infirmam, contemptam & abjectam. Quod ſi aliquando alicujus furore & ſcelere concitata manus iſta plus valuerit, quam veſtra ac Reip. dignitas: me tamen meorum factorum, atque conſiliorum nunquam, P. C. pœnitebit. (*b*) Etenim mors quam illi mihi fortaſſe minitantur, omnibus eſt parato vitæ tantam laudem, quanto vos me veſtris decretis honeſtaſtis, nemo eſt aſſecutus. Cæteris enim ſemper bene geſtæ, mihi uni conſervatæ Reipub. gratulationem decreviſtis.

Ampl. (a) *per epith.* (b) *à cauſa.*

Contr. Quod ſi quoque aliquando plus Conjuratorum reliquiæ, quam Reip. dignitas valuerit, mihique ab iis fatum immineat, optima conſcientia & rerum geſtarum gloria fretus, numquam iſtud defugiam.

XXI. Sit Scipio clarus, ille, (*a*) cujus conſilio, atque virtute Annibal in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus eſt; ornetur alter eximia laude

Afri-

Africanus, (*b*) qui duas urbeis huic imperio, infeſtiſſimas, Carthaginem, Numantiamque delevit: (*c*) Habeatur vir egregius, L. Paulus ille, cujus currum rex potentiſſimus quondam, & nobiliſſimus, Perſes honeſtavit: ſit in æterna gloria Marius, qui bis Italiam obſidione, & metu ſervitutis liberavit: anteponatus omnibus Pompejus, cujus res geſtæ, atque virtutes, iisdem quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur. (*d*) Erit profecto inter horum laudes aliquid loci noſtræ gloriæ, niſi forte majus eſt patefacere nobis provincias, quo exire poſſimus, quam curare, ut etiam illi, qui abſunt, habeant quo victores revertantur.

Ampl. (a) *à deſcript. ab effect.* (b) *iterum* (c) *rurſus &c.* (d) *per compar.*

Contr. Celebrentur quidem ap. poſteros Scipiones, Paulus Marius Pompejus, qui cum externis hoſtibus plurima bella geſſerunt: majus hoc inteſtinum e cujus victoria, urbs reſtituta, in qua poſthac victores triumphos agant.

XXII. Quamquam eſt in uno loco (*a*) conditio melior externæ victoriæ, quam domeſticæ: quod hoſtes alienigenæ aut oppreſſi ſerviunt: aut recepti, beneficio ſe obligatos putant: qui autem ex numero civium dementia aliqua depravati, hoſtes patriæ ſemel eſſe cœperunt, eos cum à pernicie reip. repuleris, neque vi coercere, neque beneficio placare poſſis. Quare mihi cum perditis civibus æternum bellum ſuſceptum eſſe video: quod ego veſtro, bonorumque omnium

manuum auxilio, memoriaque tantorum periculorum (quæ non modo in hoc populo, qui ſervatus eſt, ſed etiam in omnium gentium ſermonibus ac mentibus ſemper hærebit) à me, atque à meis facilè propulſari poſſe confido. (*b*) Neque ulla profectò tanta vis reperietur, quæ conjunctionem veſtram, equitum Romanorum, & tantam conſpirationem bonorum omnium perfringere & labefactare poſſit.

Amplif. (a) *per compar. diſſimil.* (b) *à cauſa.*

Contr. Multò autem difficilius, quod victi externo bello victori vix porro nocere poſſint: interno autem vix unquam quieſcant; neque victor ab inſidiis tutus eſſe queat. In veſtro autem, quos ſervavi, auxilio ſpes mihi unice poſita.

XXIII. Quæ cum ita ſint, patres conſcripti, (*a*) pro imperio, pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro triumpho, cæteriſque laudis inſignibus quæ ſunt à me, propter urbis, veſtræque ſalutis cuſtodiam, repudiata, pro clientilis, hoſpitiiſque provincialibus, quæ tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo: pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in vos ſingularibus ſtudiis, proque hac, quam conſpicitis, ad conſervandam rempublic. diligentia, nihil aliud à vobis, niſi hujus temporis, totiusque mei conſulatus memoriam poſtulo: (*b*) quæ dum erit veſtris mentibus infixa, firmiſſimo me muro ſeptum eſſe arbitrabor. Quod ſi meam ſpem vis improborum fefellerit, atque ſuperaverit: commendo vobis parvum meum filium: cui

profe-

profecto ſatis erat præſidii, non ſolum ad ſalutem, verum etiam ad dignitatem ſi ejus, qui hæc omnia ſuo ſolus periculo conſervaverit, illum eſſe filium memineritis.

Amplif. (a) *ab enum. part.* (b) *à conſeqq.*

Contr. Et ſicuti cætera mihi decreta laudum & gloriæ inſignia neglexi: ita harum à me rerum geſtarum perpetuam memoriam peto; quæ facile viciſſim ſalutem meam tuebitur. Si verò vis improborum atque fati me oppreſſerit, filio meo iſthæc omnia quæſo ad ſalutem & dignitatem proficua ſint.

XXIV. Qua propter (*a*) de ſumma ſalute veſtra, populique Romani, P. C. de veſtris conjugibus, ac liberis: de fanis ac templis, de totius urbis tectis, ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deque univerſa Republic. decernite diligenter, ut inſtituiſtis, ac fortiter. Habetis enim conſulem, qui & parere veſtris decretis non dubitet: & ea, quæ ſtatueritis, quoad vivet, defendere, & per ſe ipſum præſtare poſſit.

Ampl. (a) *ab enum. part.*

Contr. Decernite ergo fortiter P. C. de ſalute patriæ; ego veſtris decretis parebo, quæque ſtatueritis defendam.

ORDO

ORDO PARTIUM,

DISPOSITIO ARGUMENTORUM

ET

COMMOTIO AFFECTUUM.

EXORDIUM.

1. *Non eſt quod adeo ſollicitam mei curam geratis.* ſiquidem

2. (1) Uti labores, ita porro pericula fortiter ſubire conſtitui; dummodo ex illis gravius laborans patria convaleſcat.

3. (2) Dii quoque mihi aderunt & gratiam referent.
(3) Neque enim ut vita mihi miſera ſic mors triſtis aut acerba accidet;
(a) Atque licet moveant me frater, uxor filius gener.
(b) Præſtat tamen illos cum republ. ſervari, quam patriam ſimul & hos interire.

PROPOSITIO.

4 *Vos ergo P. C. potius conſulite & proſpicite patriæ,*

CON-

CONFIRMATIO.

Quoniam maximum ei à conjuratis periculum imminet.

5. Non enim cum Grachis negotiũ eſt, vel cum Saturnio: ſed cum his qui conjurarunt (*a*) ad patriam delendam, quorum (*b*)
6 ſcelus jam manifeſtum, (*c*) pæna judiciis veſtris confirmata (*d*) malum autem latè jam propagatum eſt.

7. *Graviſſimam in eos pænam decernite.*

Et quoniam de ea duæ præcipuæ ſunt ſententiæ, Syllani ſc. qui morte: Cæſaris autem qui carceribus eos perpetuis mulctandos exiſtimat.

8 *Poſterior* habere videtur.

Difficultatem, ſi conjurati in municipia diſtribuendi.

9 Iniquitatem, quod vitam relinquat ſpem eripiat, ut infernalia pene ſupplicia illis irroget.

10 Tutior licet mihi ſit, quod minus periculi à populo impendeat.

Neque obſtat Lex Sempronia

Nam

11. 1 De civibus, non hoſtibus lata

2 Ipſe Sempronius juſſu populi pænas dependit

3 Neque Lentulum popularium numero habet.

4 Sed gravem illi pænam irrogat.

12 *Prior* verò minimè atrox & multò poſteriore lenior.

Nam

1 Conjurati urbem incendere, cives trucidare, Italiam vaſtare cupiverunt; digni itaque ipſi morte, quam aliis intentarunt.

2 Neque crudelis dicendus eſt pater familias, ſi liberis & uxore à ſervo necatis, domo incenſa, acerbiſſimum de ſervo ſupplicium ſumat.

13 3 Neque crudele fuit judicium Lentuli, qui ſororis ſuæ maritum Reip. adverſantem interficiendum duxit, aut Lentuli, qui Grachum ultus eſt. *Neque obſtat.*

14 Quod ſatis mihi non ſit præſidii ad hæc, ſi ſtatuatis defendenda.

Siquidem.

1. Omnia jam ſumma cura & diligentia conſtituta ſunt.

15. 2. Omnes in hoc conſentiunt (*a*) Equites (*b*) Tribuni ærarii, Scribæ & ingenii omnes (*c*) Li-

16 bertini quoque (*d*) quin & ſervi, qui tolerabili conditione ſunt.

17. 3. Nec quicquam contra hos efficiet Lentuli leno, circa tabernas curſitans; Nam & hoc genus hominum otium amat, & è ſalute civitatis quæſtum ſperat.

(*Affectus* [A] *Spei.*)

18 Poſſe iſta facilè fieri, cum facultas adſit & voluntas omnium.

[B] *Deſiderii.*

Patria efflagitat, ut P. C. in hoſtes ſeverè animadvertant. [C] *Æmu-*

[C] *Æmulationis.*

19 Magnis laboribus & periculis hæc parta à majoribus, omnia ſtudio ſunt conſervanda.

20, 4 Denique ſi plus ſcelerati aliquando valeant quam Reip. dignitas: gloria tamen rerum geſtarum fretus mortem contemnam.

21 Magna enim licet gloria externorum bellorum Duces & Victores, Scipiones, Paulum, Marium & Pompejum maneat, qui hoſtes oppreſſerunt: hoc tamen bellum difficilius, quoniam ſeditioſi cives, nec vi coerceri, nec beneficiis placari poſſunt.

CONCLUSIO.

22 Pro his laboribus & periculis mei tantum memoriam à vobis expeto.

23 Quod ſi vero à ſceleratis opprimar, filium meum vobis commendo.

24 Adverſus illos hoſtes verò ut fortiter decernatis, denuo vos hortor.

Addendi erant Amice Lector & reliqui Libri de *Exornatione* & *Imitatione* Periodi, quorum in principio mentionem fecimus: ſed quia huic, qui impenſas fecit, atque ad nundinas Lipſienſes properat, Bibliopolæ nimium excreſcere videbatur opuſculum; alio tempore & alia occaſione illi jam perfecti bono cum Deo in lucem prodibunt. Tu interim vale, noſtrisque laboribus fave.

FINIS.

Digitized by Google

005656315

